117. *An in constituendo Vicario perpetuo non tantùm nominatio Rectoris principalis, sed etiam consensus Patroni intervenire debeat.*

118. *Parochiæ annexæ monasterio qualis instituendus Vicarius, temporalis an perpetuus, sæcularis, an regularis.*

119. *An, & qualiter Vicarius sibi substituere possit alium Vicarium.*

120. *An, & qualiter instituantur Vicarii per concursum.*

121. *An, & qualiter Vicarii constituendi non sint sine prævio examine, & approbatione Episcopali.*

122. *An, & qualiter Vicarius semel constitutus amoveri possit.*

123. *Quænam in assignanda Vicario congrua sint consideranda.*

124. *A quo assignari debeat Vicario congrua.*

125. *Cui incumbat onus suppeditandi Vicario congruam.*

126. *Quanta assignari debeat congrua.*

127. *Quænam in constitutione Piana veniant nomine incertorum computandorum.*

128. *An, & quando assignatâ semel congruâ, Vicarius eâ contentus esse debeat.*

129. *Ad quem spectet congrua Vicariæ perpetuæ pro tempore, quo vacat.*

130. *Qualiter Vicarius dicatur curatus, & penes eum cura respectivè ad Rectorem principalem.*

131. *Ad quem spectet cura & administratio beneficii, Vicario perpetuo mortuo, resignante, vel deposito interim, dum alius substituitur.*

132. *Quid jurisdictionis in Ecclesia competat Vicario respectivè ad Rectorem principalem.*

133. *Quid juris habeat Vicarius participandi de massa distributionũ, aliisque emolumentis.*

134. *An Vicarius Parochi licentiam dare possit alteri presbytero assistendi matrimonio.*

135. *Quæ ætas requiratur in Vicario perpetuo, & intra quod tempus fieri debeat sacerdos.*

136. *An, & qualiter Vicarii perpetui teneantur ad residentiam personalem in suis Ecclesiis.*

137. *An, & qualiter Vicarii perpetui teneantur ad horas Canonicas.*

138. *An, & qualiter Vicarius teneatur ad subsidium caritativum.*

139. *An, & qualiter esse possint plures Vicarii perpetui ejusdem parochialis.*

140. *An plures simul Vicariæ conferri possint uni.*

141. *An, & qualiter Vicario perpetuo mortuo, Ecclesia dicatur vacare per ejus obitum.*

PARAGRAPHVS III.

De parochiis, & Ecclesiis parochialibus.

142. VNde nomen parochi, & quid in jure can. importet.

143. *An, & qualiter Episcopo nomen parochi tribuatur.*

144. *Quid sit parochia, prout est certa diœcesos pars.*

145. *Quid sit Ecclesia parochialis.*

146. *Quæ requirantur essentialiter, ut Ecclesia sit parochialis.*

147. *An, & qualiter distinguantur Ecclesia parochialis & Ecclesia curata, beneficium parochiale & beneficium habens curam animarum.*

148. *An*

148. *An, & qualiter distinguatur Ecclesia parochialis habitu & actu curata, à curata habitu tantùm.*

149. *Ecclesia Parochialis unde dignoscatur.*

150. *Quæ requirantur, ut Ecclesia probetur parochialis, dum fortè dubitatur, an in ea recipientes sacramenta ad id compellantur necessitate juris.*

151. *Quotuplices sint parochialium Ecclesiarum species.*

152. *An parochialis Ecclesiæ nomine veniant, quæ simul sunt Collegiatæ.*

153. *An dispositio loquens de parochiis, extendatur ad beneficia habentes accessoriè parochialitatem, seu unitas sibi parochias, & curam habitualiter.*

154. *Quæ sint vel non sint sufficientes causæ constituendi novam parochiam, dismembrando antiquam.*

155. *Ad quos spectet erigere novas parochiales.*

156. *Qualiter præsumantur adhibitæ solennitates, causa sufficiens, & consensus, seu auctoritas potentis dismembrare.*

157. *An, & quæ solennitates, aliáque servanda requirantur ad constitutionem novarum parochialium cum illa dismembratione antiquarum.*

158. *An Episcopus Ecclesiam simplicem jam constitutam erigere possit in curatam & parochialem, & econtra parochialem reducere ad simplicem Ecclesiam.*

159. *Vnde & quæ constituenda Ecclesiæ noviter erigendæ cum dicta dismembratione dos & congrua pro sustentatione novi Rectoris.*

160. *An, & qualiter parochiæ constituendæ habere separatum territorium, & quot familiis constare debeant.*

161. *An, & qualiter fines parochiarum præscribantur.*

162. *An, à quo, & qualiter parochiales inter se uniri possint.*

163. *An, & qualiter requiratur vocatio & consensus Patroni, & Rectoris ad unionem parochialium inter se.*

164. *An, à quo Ecclesia parochialis alteri non parochiali, puta monasterio, Collegiatæ, dignitati, canonicatui &c. uniri possit.*

165. *Quot modis Ecclesia parochialis alteri non parochiali uniri dici possit.*

166. *Quotupliciter monasterium, Collegium vel dignitas jus habere possit in annexam ei parochialem.*

167. *Vnde dignoscendum, parochialem verè, vel etiam pleno jure unitam monasterio alteríve collegio vel beneficio.*

168. *Quid monasterium, Collegium &c. cui quoad spiritualia etiam, seu pleno jure parochialis subjecta, præstare debeat.*

169. *Cujus sit factam unionem parochialium dissolvere.*

170. *Ad quem spectet provisio parochialium non unitarum, seu incorporatarum monasterio, Collegio &c.*

171. *An Ecclesiæ parochialis collatio, sede Episcopali vacante, spectet ad Capitulum, vel saltem ad illud spectet ponere tantisper œconomum, aut ad tempus commendare.*

172. *Ad quem sede Apostolicâ vacante spectet collatio vacantium parochiarum aliàs eidem sedi reservatarum ex eo, quòd vacent in curia.*

173. *Quid intelligatur per curiam Romanam, & sedem Apostolicam, in qua, vel apud quam vacare dicuntur beneficia.*

174. *Ad quem sede Papali vacante spectet collatio parochialium reservatarum alias Papæ ex eo, quòd vacent in mense Pontificio.*

175. *Quæ sit praxis impetrandi parochialem, cujus collatio spectat ad Papam.*

176. *Sub qua forma impetretur à sede Apostolica parochialis vacans ob non servatam formam in ejus provisione præscriptam servari à Tridentino.*

177. *An Ecclesiæ parochiali non unitæ constitui possit parochus amovibilis.*

178. *An parochialis vacans, donec de illius Rectore provideatur, hodiedum adhuc, interim ab Ordinario dari possit alicui in commendam, nempe usque ad 6. menses.*

179. *Quæ sit forma provisionis Ecclesiarum parochialium non unitarum monasterio, collegio &c.*

180. *An nominatio, & vocatio plurium ad examen sit de forma concursûs.*

181. *An necessarium, & de forma, per edictum publicum fieri vocationem omnium, quotquot examinari volunt.*

182. *Quinam in specie ad concursum admittendi, aut ab eo excludendi.*

183. *Quid circa terminum pro habendo concursu statuendum, vel prorogandum possint Episcopi.*

184. *Intra quot dies ab elapso termino præfixo necesse sit fieri examen concursûs.*

185. *Quid faciendum, ubi intra præfixum terminum nemo, vel unicus tantùm comparet? quid ubi ex oppositoribus descriptis aliqui non comparuerint ad examen præfixo die, neque etiam se excusent? quid ubi edicto proposito nullus oppositor comparet, aut nemo ex comparentibus reperitur idoneus.*

186. *Quot esse debeant examinatores synodales.*

187. *Quid si intra annum à celebrata synodo mortui sint, vel aliò commigrârint omnes 6. Examinatores, vel eorum aliqui, & interea habendus concursus.*

188. *Quid in dictis casibus possit Capitulum sede vacante.*

189. *An, & qualiter præstatio juramenti facienda ab Examinatoribus juxta Trid. sit de forma concursûs.*

190. *An ad valorem concursûs spectet, Episco-*

Episcopum aut ejus Vicarium interesse examini.

191. *Qualiter peracto examine referre debeant Examinatores.*

192. *De quibus disquirere, & peracto examine referre debeant examinatores.*

193. *Quot vota referre quis debeat, ut censeatur approbatus.*

194. *An, & qualiter ab Examinatorum aliquo occasione hujus muneris commissa Simonia noceat approbato.*

195. *An, & qualiter Episcopus voto suo accedere possit ad Examinatores, habeatque votum decisivum.*

196. *An, & qualiter præeligere unum ex judicatis idoneis solius sit Episcopi, ejusve Vicarii.*

197. *Quid in præelectione spectare debeat Episcopus, & unde ab ea æstimanda major idoneitas.*

198. *An facta ab Episcopo ejusve Vicario electio minus idonei ex approbatis præterito digniore sit ipso jure nulla ob decretum Tridentini.*

199. *An si magis idoneus ex Examinatis desistat, & amplius ad parochiam in ordine, ad quam habitus concursus aspiret, Episcopus possit ex cæteris oppositoribus magis idoneum eligere, an vero de novo alius instituendus concursus.*

200. *An si semel in examine non repertus idoneus possit iterum examinari, & illi tunc idoneo reperto beneficium conferri.*

201. *An, & qualiter, dum non apparet vitium in ipsa relatione, secutáque est electio Episcopi, hæc inducat præsumptionem majoris idoneitatis in præelecto, donec ea elidatur per probationes contrarias.*

202. *An, & quando appelletur à mala relatione Examinatorum, & hinc à provisione parochialis.*

203. *An, & quando appelletur à mala Ordinarii electione.*

204. *Quo fructu similes appellationes fiant.*

205. *Cujus sit habere, & indicere concursum.*

206. *In quibus casibus ritè provideatur parochialibus sine concursu.*

207. *An non saltem examen per concursum remitti possit, & absque eo parochialis conferri ei, de cujus idoneitate constat omnibus ipsi Vicario in spiritualibus, Archidiacono, Doctori &c.*

208. *An in omnibus casibus, in quibus concursum haberi non est opus, adhuc approbatio fieri debeat prævio examine eorundem Examinatorum synodalium cum eadem forma collegiativæ discussionis.*

209. *An à tali examine, vel etiam simpliciter ab examine, & visitatione Episcopi liberent exemptionis privilegia.*

210. *An semel approbati, vel etiam per concursum provisi possint denuo ab Episcopo examinari ac suspendi.*

211. *An præscindendo etiam à concursu, ad beneficia parochialia promovendus semper dignior.*

SECTIO SECVNDA.

De qualitatibus requisitis in promovendis ad beneficia.

CAPVT PRIMVM.

De qualitatibus quasi physicis.

PARAGRAPHVS I.

De ætate & habilitate corporis.

212. *QVæ ætas requiratur ad beneficium simplex, cui sacer ordo annexus non est.*

213. *An sub genere beneficiorum, pro quibus sufficiunt 14. anni, veniant etiam Canonicatus in Collegiata, etiam insigni, & Canonicatus in Cathedrali, in qua facta non est illa Ordinum distributio, fieri mandata per Tridentinum.*

214. *An quæ dicta sunt de ætate requisita vi Concilii Trid. ad Canonicatus cathedrales, vel alios, aliave beneficia teneant, si fundator voluisset sufficere minorem ætatem.*

215. *Quæ requiratur ætas ad præbendam, Canonicatum aliúdve beneficium non curatum, cui sacer ordo annexus est.*

216. *Quæ ætas requiratur ad obtinendam dignitatem in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, cui annexa non est cura animarum.*

217. *Quæ ætas requiratur & sufficiat ad dignitates inferiores Episcopatu, & beneficia habentia curam animarum.*

218. *Quæ ætas requiratur ad beneficia habentia curam animarum merè accessoriè, & non æquè principaliter.*

219. *Quot anni requirantur in Canonico pœnitentiario.*

220. *Quæ ætas requiratur ad Episcopatum, patriarchatum &c.*

221. *Quæ ætas requiratur ad Cardinalatum.*

222. *Quæ ætas requiratur ad summum Pontificatum.*

223. *Quæ ætas requiratur in Prælatis regularibus.*

224. *Quæ ætas requiratur in Abbatissis, Prioriss is &c.*

325. *An provisio facta non habenti actu ætatem ad beneficium, de quo ei provisum, requisitam sit ipso facto nulla.*

226. *Quid requiratur ad incurrendas pœnas statutas promotis ante legitimam ætatem.*

227. *Qualiter probetur ætas.*

228. *An Episcopus in requisita ætate dispensare possit.*

229. *Quæ-*

229. *Quænam corporis infirmitas, aut defectus reddat impromovibilem ad beneficium vel officium Ecclesiasticum.*

230. *Quæ infirmitas, & defectus corporis directè seu independenter abeo, quod irregularitatem inducat, & à Clericatu, vel Ordinibus arceat, reddat impromovibilem.*

231. *An patiens vitium corporis impediens celebrationem missæ promoveri possit ad beneficium simplex, non requirens nisi subdiaconatum, vel solum Clericatum.*

232. *An ex defectu usus rationis sint ineligibiles ad Prælaturas infantes, amentes &c.*

233. *An electio talium sit ipso jure irrita.*

234. *An eligi possit in Prælatum qui frequenter solet inebriari.*

235. *Quid dicendum de dæmoniacis.*

236. *Quid dicendum de Epilepticis.*

237. *An electio horum infirmorum sit ipso jure nulla.*

238. *Quid si post confirmationem superveniat Prælato infirmitas, reddens illum inhabilem ad gubernandum, an teneatur resignare, vel superiores teneantur illum amovere.*

239. *An conferri possit beneficium illi, qui post susceptum Clericatum contraxit irregularitatem ex vitio corporis.*

240. *An semel morbosus præsumatur laborare eodem morbo, adeoque semel repulsus ratione morbi non possit amplius eligi, nisi probet se sanatum.*

PARAGRAPHVS II.

De scientiâ, & gradu magisterii requisitis ad obtinendum beneficium.

241. *AN requiratur in promovendo ad beneficia scientia literarum.*

242. *Quanta ad hoc ex jure naturæ, & divino requiratur scientia.*

243. *Quanta requiratur scientia jure Ecclesiastico pro omni beneficio.*

244. *Quanta requiratur scientia ad beneficium simplex.*

245. *Quæ scientia requiratur ad dignitates & Canonicatus, non habentes Jurisdictionem aut curam animarum.*

246. *Quæ scientia requiratur ad beneficia curam animarum annexam habentia maximè parochialia.*

247. *Quæ sciertia requiratur ad Episcopatum.*

248. *Quæ scientia requiratur in Abbate.*

249. *An promotio penitus illiterati, vel etiam carentis scientiâ, quam jus ad tale officium requirit, sit ipso jure nulla.*

250. *An illiteratus talis conscius suæ illiteraturæ, vel etiam in ejus defectu promotores illius teneantur restituere fructus, quos ille percepit.*

251. *Qualiter probetur inscitia literarum.*

252. *Ad quas dignitates requiratur gradus doctoralis, vel licentiatûs in Theologia, vel jure Canonico.*

253. *An pro obtinenda dignitate, cui annexus est talis gradus, necesse sit hunc esse obtentum in publica universitate studii generalis.*

254. *An valeat adeptio beneficii requirentis gradum, si is habeatur sine competente scientia, vel etiam si is collatus contra formam statutorum Academiæ, in qua susceptus.*

255. *Qualiter gradus magisterii, doctoratûs vel licentiæ narratus pro obtinendo beneficio sit justificandus.*

256. *Qualiter gradus magisterii in artibus, aut etiam Doctoratus in aliis scientiis, quam in jure Canonico aut Theologia habeatur in consideratione respectu beneficiorum Ecclesiasticorum.*

257. *Quis dispensare possit, ut illiteratus validè eligi possit.*

PARAGRAPHVS III.

De legitimitate natalium.

258. *QValiter, quòd nati ex vero matrimonio sint legitimi, sit extendendum.*

259. *Qualiter hoc ipsum limitandum, nimirum ut nati ex legitimo matrimonio habeantur, & sint quandoque illegitimi.*

260. *An, & qualiter illegitimi legitimentur per subsequens matrimonium.*

261. *An taliter legitimati sint adhuc irregulares, & promoveri nequeant ad beneficia.*

262. *An, & ad quæ munia Ecclesiastica promoveri nequeant illegitimi sæculares.*

263. *An, & ad quæ promoveri nequeant illegitimi regulares.*

264. *Ad quæ sine dispensatione promoveri possint illegitimi religiosi.*

265. *An dicta hac in parte de inhabilitate illegitimorum applicanda quoque sint dubie illegitimis.*

266. *Quid si filius credat matri, dicenti se non esse suum; vel esse quidem suum, sed non mariti sui filium, vel conceptum se ex parentibus non, vel illegitimè copulatis.*

267. *An, & in ordine ad quæ Episcopus dispensare possit cum sæcularibus illegitimis.*

268. *Quis præter Episcopum dispensare possit cum illegitimis sibi subditis quoad Ordines minores, & beneficia simplicia.*

269. *Qualiter dispensatio Papalis in ordine ad habilitandum illegitimum concessa sit intelligenda.*

270. *An hic nomine beneficii simplicis, in ordine ad quod cum illegitimo dispensare potest Episcopus, veniant etiam dignitates, personatus, canonicatus, & portiones cathedrales, non habentes annexam curam animarum, item*

benefi-

beneficium simplex habens annexum sacrum Ordinem vel accessoriè curam animarum, vel quod ex statuto requirit legitimitatem.

271. *Quis dispensare possit cum illegitimis religiosis in ordine ad Prælaturas tam in quàm extra ordinem consequendas.*

272. *Ad quæ Ecclesiastica munia & beneficia tam jure antiquo quàm novo Tridentinum specialiter prohibeantur promoveri illegitimi sacerdotum, aliorúmque clericorum.*

273. *Qualiter dicta* quæst. præced. *extendenda & limitanda.*

274. *Quid veniat nomine ejusdem Ecclesiæ.*

275. *Quid hic veniat nomine beneficii, & ejusdem beneficii, & habere beneficium.*

276. *Quid intelligatur per ministrare in Ecclesia.*

277. *An hic etiam comprehendatur pensio.*

278. *Quid in hoc puncto dicendum de illegitimis religiosorum.*

279. *An etiam Pater nequeat obtinere beneficium in Ecclesia, in qua filius illius illegitimus habuit beneficium.*

280. *An Pater habere possit beneficium in Ecclesia, in qua filius ejus illegitimus jam est beneficiatus.*

281. *Quid dicendum hac in parte de filiis legitimis presbyterorum aliorúmve clericorum.*

282. *Qualiter dicta* quæst. præced. *extendenda & limitanda.*

283. *An Episcopus in decreto illo Tridentini de filiis presbyterorum dispensare possit.*

284. *Quid si Episcopus concesserit filio presbyteri beneficium, & ad titulum illius illum ordinaverit, quod Pater ejus habuit, vel etiam in Ecclesia, in qua Pater ejus ministravit.*

285. *An Prælati regulares cum suis in isto genere dispensare possint.*

286. *Quales conditiones habere debeat dispersatio super defectu natalium, ut sit valida.*

287. *In quo differat legitimatio à tali dispensatione.*

288. *An promotio illegitimi non dispensati ad beneficia sit ipso jure nulla.*

CAPVT SECVNDVM.

De qualitatibus promovendorum quasi supernaturalibus.

PARAGRAPHVS I.

De fide promovendi ad beneficia.

289. *AN, & quo jure infidelis non baptizatus sit impromovibilis ad beneficia.*

290. *Quid hac in re dicendum de infidelibus conversis.*

291. *Quid dicendum de descendentibus ab idololatris, Saracenis, Judæis.*

292. *Quid dicendum de neophytis.*

293. *Quid dicendum de hæreticis.*

294. *An, & qualiter dicta* quæst. præcedente *locum habeant in hæretico converso, & occulto.*

295. *An, & qualiter dicta extendenda quóque sint ad credentes, receptatores, defensores, fautores hæreticorum horum, & illorum filios, & nepotes.*

296. *Quinam hic vocentur credentes, fautores, receptatores, defensores hæreticorum.*

297. *Qualiter hæc ipsa quoad hæreticorum, eorúmque credentium &c. filios ac nepotes sint limitanda.*

298. *Qualiter dicta sint extendenda ratione beneficiorum, ad quæ filii hæreticorum, eorúmque fautorum sunt inhabiles.*

299. *An filii hæreticorum, eorúmque fautorum sint infames, & vel hinc etiam ad eligendum activè aliósque actus legitimos sint inhabiles.*

300. *An regulares ob delictum ad inquisitionis officium pertinens pœnitentiâ aliquâ affecti etiam post peractam pœnitentiam inhabiles sint ad Prælaturas, & officia religionis suæ citra dispensationem.*

301. *An schismaticus purus sit inhabilis ad beneficia.*

PARAGRAPHVS II.

De clericatu, SS. Ordinibus, professione.

302. *AN ad quodcunque beneficium requiratur clericatus.*

303. *An collatio beneficii facta alicui tempore collationis non clerico sit ipso jure nulla.*

304. *An Papa laico mansuro laico conferre possit beneficium.*

305. *An præsentatio actu non clerici sit ipso jure nulla.*

306. *An electio actu non clerici sit ipso jure nulla.*

307. *An dicta de nullitate collationis, præsentationis, electionis, locum quoque habeant in clericis conjugatis, vel etiam carentibus executione clericatus.*

308. *An dicta de inhabilitate non clerici ad beneficia locũ quoque habeant quoad pensiones.*

309. *An, & qualiter in impetratione beneficii exprimendus clericatus.*

310. *An ad hoc, ut eligi quis possit in superiorem regularem requiratur clericatus.*

311. *An ad beneficia habentia annexum S. Ordinem promoveri possint actu tempore promotionis non habentes illum ordinem.*

312. *Circa annexionem illam Ordinis ad beneficium quid attendatur, sive unde ea annexio dignoscatur.*

313. *Quis dispensare possit, dum actu à fundatore requiritur sacerdotium.*

314. *An, & quis Ordo sacer requiratur actu habitus, & sufficiat, ut quis promoveri possit in Episcopum.*

315. *An, & quo tempore suscipiendi sacerdotii obligatio annectatur Episcopatui.*

316. *An, & quis ordo sacer requiratur in promoven-*

movendo ad dignitates Episcopatu inferiores, tam sæculares quàm regulares, aut beneficia quibus animarum cura incumbit.

317. *Quæ sint dignitates, quibus jure communi annexum sacerdotium.*

318. *An, & quis Ordo sacer susceptus, vel suscipiendus requiratur in Canonicis cathedralium vel Collegiatarum.*

319. *Intra quod tempus promotus ad beneficium curatum debeat suscipere sacerdotium, & quo die incipiat illud tempus.*

320. *An, & qualiter non intendentes, negligentes, vel etiam legitimè impediti suscipere intra annum Ordines annexos beneficiis iis excidant, alitérve puniantur & peccent.*

321. *Qualiter objectus circa defectum Ordinis formari, vel etiam excludi possit.*

322. *Quis dispensare possit in promovendis vel promotis ad beneficia, quibus annexus Ordo sacer aptitudine ratione curæ, aut aliàs ex ordinatione Ecclesiæ, quo minùs teneantur eum intra annum recipere.*

323. *An, ut quis promoveatur in Prælatum, vel superiorem regularium, necesse sit esse professum, & quidem expresse in eadem religione, & ita, ut aliàs promotio sit ipso jure nulla.*

324. *Quantum tempus à professione requiratur, ut quis eligi possit in Prælatum religionis.*

CAPVT TERTIVM.

De qualitatibus eligendorum, aut aliter promovendorum ad beneficia moralibus.

PARAGRAPHVS I.

De carentia censurarum.

325. *AN excommunicatus excommunicatione majore sit impromovibilis ad quæcunque beneficia tam sæcularia quàm regularia, ita ut ejus promotio sit ipso jure nulla.*

326. *An etiam excommunicati tempore electionis, postulationis, præsentationis, dein absoluti confirmatio, institutio, ipso jure sit nulla.*

327. *Qualiter se gerere debeat excommunicatus electus.*

328. *A quo petenda sit dispensatio.*

329. *Qualiter limitanda sit responsio ad* quæst. 1. hujus §.

330. *Quid hac in parte dicendum de excommunicato excommunicatione minore.*

331. *An, & qualiter suspensus sit ineligibilis, vel impromovibilis ad Prælaturas & beneficia.*

332. *An electio suspensi sit ipso jure irrita.*

333. *An, & qualiter interdictus, vel interdictum violans sit ineligibilis, aut aliter impromovibilis.*

334. *An, & qualiter responsio* præced. 9. 2dâ. *sit limitanda.*

335. *An, & qualiter irregularis sit ineligibilis.*

336. *An electio irregularis sit ipso jure nulla.*

PARAGRAPHVS II.

De morum honestate, & carentia infamiæ.

337. *AN vitæ probitas seu morum honestas requiratur, ut quis promoveri possit ad beneficia.*

338. *An promotio carentis morum honestate sit ipso jure irrita.*

339. *Quid sit infamia facti & juris.*

340. *An infamis infamia facti sit impromovibilis ad dignitates & beneficia, ejusque promotio vi solius infamiæ facti sit nulla ipso facto.*

341. *An, & quis dispensare possit in infamia facti.*

342. *An infamis infamiâ juris latæ sententiæ, & ipso facto incursâ teneatur in conscientia abstinere, etiam ante sententiam declaratoriam delicti, ab actibus legitimis, ad quos illum dicta infamia inhabilitat.*

343. *An ex delicto famoso, seu infamia facti, dum de cetero delictum non est notorium, incurratur irregularitas.*

344 *An ex crimine saltem enormi, digno depositione, seu cui in jure statuta est pœna depositionis, notorio tantùm per evidentiam facti, cui de cetero statuta non est in specie pœna irregularitatis, incurratur infamia juris, & consequenter irregularitas propriè talis, quæ per pœnitentiam non tollitur, sed eget dispensatione.*

345. *An, & quando ex delicto notorio notoreitate juris inducatur infamia juris, & irregularitas propriè.*

346. *Quid si ergo delictum, pro quo in specie non imponitur à jure infamia, sit notorium tantùm altera quasi specie notoreitatis juris, nimirum per solam confessionem rei in judicio coram judice legitimo.*

347. *Ex quibus pœnis, ad quas quis per sententiam judicis damnatus fuit ob culpam, & quando incurratur infamia juris, & irregularitas.*

348. *An damnatus ad pœnitentias solennes ex crimine famoso sit infamis & irregularis, ita ut peracta pœnitentia maneat infamis.*

349. *An ex delictis, pro quibus in specie lata est infamia juris ipso jure incurrenda notoriis per evidentiam facti incurratur irregularitas, teneatúrque talis in conscientia se habere ut irregularem, & abstinere ab actibus legitimis ante sententiam declaratoriam.*

350. *An accusatus in judicio non sententiatus sit per hoc infamis, & ideo ineligibilis.*

PARA-

PARAGRAPHVS III.

De bigamia, & servitute impedientibus promotionem ad beneficia.

351. *Quid sit, & quotuplex bigamia.*
352. *Quid sit bigamia vera.*
353. *Quid sit, & quot modis contrahatur bigamia interpretativa.*
354. *Quid sit bigamia similitudinaria.*
355. *An bigami tam interpretativè & similitudinariè, quàm verè tales sint impromovibiles ad beneficia.*
356. *An Papa dispensare possit in omni bigamia quoad Ordines & dignitates.*
357. *An idem possit Episcopus.*
358. *An Prælati religiosi dispensare possint cum suis subditis regularibus in bigamia.*
359. *An servi seu mancipia, antequam libertate donati, impromovibiles sint ad beneficia.*
360. *Quid si ergo servus non donatus libertate pervenerit ad Ordines.*
361. *Quinam præterea ob defectum plenæ libertatis à servitute prohibeantur ordinari.*
362. *Quis in hoc impedimento servitutis, sive irregularitate ob defectum plenæ libertatis possit dispensare.*

SECTIO TERTIA.

De oneribus seu obligationibus, déque juribus ac emolumentis beneficiatorum.

CAPVT PRIMVM.

De oneribus beneficiatorum.

PARAGRAPHVS I.

De onere residendi Curatorum.

363. *Quid sit residentia, & residere.*
364. *Quotuplex sit hæc residentia.*
365. *Quæ sit causa efficiens residentiæ præcisæ.*
366. *An residere teneantur habentes beneficia parochialia.*
367. *Quo jure hi curati residere teneantur.*
368. *An per consuetudinem fieri possit, ut propriè ac strictè curam habens absit à sua Ecclesia.*
369. *An, & qualiter Papa dispensare possit in hac lege residendi quoad curatos.*
370. *An jure quoque divino, & humano residere teneantur ii, quibus cura animarum non nisi latiùs talis, seu exterior tantùm incumbit.*
371. *Qualiter residere teneantur strictè curati.*
372. *An Parochi aliique curati abesse possint duobus illis mensibus à Concilio illis concessis ex causa, quæ ipsis justa videtur sine approbatione, & licentia Ordinarii.*
373. *An, & quâ licentiâ egeant Episcopi, iisque superiores, aut in jurisdictione similes Prælati abfuturi ultra tres menses ipsis concessos.*
374. *An, & quis præter Papam aliis curatis inferioribus dare possit licentiam non residendi ultra bimestre.*
375. *An, dum jus ipsum vel etiam Papa generaliter indulget curato abesse studendi gratiâ v. g. adhuc hæc causa insinuari debeat Episcopo, ab eo cognosci, peti, & obtineri ab eodem licentia in scriptis.*
376. *Quæ dicantur justæ causæ non residendi, & quæ censeatur justa absentia.*
377. *Efformatâ semel justâ absentiâ ex concursu causæ & licentiæ, quamdiu duret ejus effectus.*
378. *Quænam excusent ab ista licentia petenda.*
379. *Quid liceat, constitutúmque sit quoad non residendum ratione doctionis.*
380. *An, & qualiter liceat curatis abesse ratione studiorum.*
381. *Vbinam privilegio juris communis quoad curatos absentes ratione studiorum derogatum colligatur per Tridentinum.*
382. *An, & quando negotium proprium vel lis ipsius beneficiati sit causa justa absentiæ ab Ecclesia.*
383. *An, & qualiter ratione infirmitatis corporalis & spiritualis parochus excusetur à residendo.*
384. *An propter aëris intemperiem, pestem, aliúmve morbum contagiosum, vel ob populi furorem excusetur Parochus à residentia.*
385. *An ob capitales inimicitias Ordinarius possit parocho licentiam dare non residendi.*
386. *An, & qualiter parochi, aliique curatè excusentur à residendo ob servitium præstitum Papæ, Episcopis, Cardinalibus.*
387. *An, & qualiter excusentur parochi curati à residendo ob peregrinationem.*
388. *Quæ pœnæ jure antiquo ante Trident. statutæ animarũ curatoribus non residentibus.*
389. *Quæ pœnæ statutæ animarum curatoribus non residentibus jure novo, seu post Tridentinum.*
390. *An, dum absentia à principio justa, fuit concessa ad certum tempus, ultra quod ea dein continuatur, requiratur monitio, antequam beneficio spolietur.*
391. *Quid si temerè recessit, scitúrque locus, in quo moratur, neque ipse latitat, vel impedit accessum ad se.*
392. *Quid si sciatur locus, sed ipse absens impediat, ne personaliter moneatur.*
393. *Quid si penitus ignoretur, ubinam degat absens, ita ut nequeat personaliter citari.*
394. *Quid si post citationem comparuerit excusator, vel etiam redierit ipse absens.*

PARAGRAPHVS II.

De onere residendi aliorum beneficiatorum non curatorum.

395. *QVinam præterea beneficiati, & quo jure residere teneantur, & imprimis, quid sit hac in parte circa beneficia simplicia in genere.*

396. *An, & quando exprimenda, præsumenda & arquenda sit qualitas residentialis in beneficiis istiusmodi simplicibus.*

397. *Quid sit in hoc punctο quoad obtinentes in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, & portiones.*

398. *Quis Canonicis aliisque præfatis dare possit licentiam non residendi, seu discedendi ab Ecclesia seu loco beneficii.*

399. *An obtinentes dignitates, Canonicatus, portiones &c. licitè, & tutâ conscientiâ possint ultra tempus à Concilio permissum amittendo distributiones, & omnes fructus, qui residendo lucrifiunt, abesse, & non residere.*

400. *An consuetudine induci possit, ut Canonici tam Collegiatæ, quàm Cathedralis, habentesque dignitates non curatas licitè non resideant, & in absentia percipiant fructus, etiam non constituendo alium, qui loco illorum deserviat Ecclesiæ.*

401. *Circa dictos tres menses à Concilio permissos quietis, & recreationis causâ sumendos continuè vel interpolatim, quid observandum ulteriùs.*

402. *An istis tribus mensibus, qui dantur recreationis causa absentes non solum lucrentur fructus seu grossam, sed etiam distributiones quotidianas, maximè stante tali consuetudine, & ordinatione.*

403. *Circa causas justæ absentiæ habentium dignitates, Canonicatus &c. An omnis causa justa excusans à residentia faciat etiam fructus lucrifieri pro rata istius justæ absentiæ.*

404. *An, & qualiter præfati ob negotium necessarium seu evidentem Ecclesiæ utilitatem abesse possint ultra dictos tres menses, & interim lucrari non tantùm fructus grossos, sed & distributiones quotidianas.*

405. *An, & qualiter Canonici præbendati &c. ob servitium præstitum Episcopo licitè absint, & in absentia lucrentur fructus, & distributiones.*

406. *An, & quando servientes Episcopo (idem est de aliis) præter fructus lucrari possint distributiones.*

407. *An, & qualiter Canonici, aliique supradicti absentes ratione infirmitatis excusentur à residentia, lucrenturque fructus & distributiones.*

408. *An, & qualiter Canonici dictique alii ratione studiorum excusentur à residentia, lucrenturque fructus, & distributiones.*

409. *An data licentia abessendi ratione studiorum exspiret, & terminetur per assecutionem doctoratûs, dum de cetero necdum elapsus est terminus, ad quem concessa.*

410. *An, & qualiter Canonici aliique supradicti abesse possint ratione doctionis, & lectionis, & percipere interim fructus & distributiones.*

411. *An Canonici aliique supradicti causâ peregrinationis, maximè ex voto, possint abesse ultra tres menses datos à Concilio, & lucrari interim fructus, & distributiones.*

412. *Quænam præterea in specie sint causæ, ob quas à Choro absentes lucrentur etiam distributiones.*

413. *An dicti absentes citra similes causas à choro, & divinis lucrentur ad minimum fructus suorum beneficiorum, dum de cetero commorantur in loco beneficii.*

414. *An consuetudine induci possit, ut supradicti citra memoratas causas, similesve à choro absentes lucrentur nihilominus distributiones, modò sint in civitate, in qua est Ecclesia beneficii.*

415. *An saltem, & quando valeat consuetudo & statutum Capituli circa quotidianas distributiones certo modo dividendas inter Canonicos.*

416. *An statuere possit Capitulum, vel consuetudine induci, ut certis solum horis principalibus assignentur, & fiant distributiones, non verò aliis horis intermediis.*

417. *An quæ dicta sunt de distributionibus quotidianis, intelligenda quoque sint de aliis distributionibus, quæ dantur in anniversariis defunctorum, ut iis tantùm, qui præsentes sunt funeralibus exequiis, obveniant, & consuetudo contraria non valeat.*

418. *An ad lucrandas distributiones requiratur, ut Canonici non tantum divinis officiis intersint, sed etiam ut ipsi in choro cantent*

419. *An obtinentes dignitatem, Canonicatum vel præbendam teneantur per seipsos obire divina officia sua suæ dignitati, vel Canonicatui incumbentia.*

420. *An Canonicus satisfaciens suæ obligationi quoad residentiam, & servitium chori, & altaris, possit licitè ordinariè abesse à Capitularibus Congregationibus.*

421. *An Canonici aliique supradicti non residentes, & absentes à Choro, tutâ conscientiâ lucrentur fructus, & distributiones, dum alii præsentes remittunt, & donant.*

422. *Ad quem spectent distributiones amissæ per non interessentes; item fructus præbendæ amissi ob non residentiam.*

423. *An distributiones securè transmittantur ad hæredes, ut alia bona patrimonialia Clericorum.*

424. *Quæ pœnæ directæ in eos, qui dignitates, vel Canonicatus, aut præbendas in Cathedrali-*

dra-

dralibus, aut Collegiatis obtinentes sine legitima facultate absunt, seu non residen.

PARAGRAPHVS III.

De aliis obligationibus Parochorum.

425. QValiter Parochus obligetur administrare Parochianis suis Sacramenta.

426. *Quæ sit pœna Parochi nolentis ministrare sacramenta, ubi ad ea ministranda obligatus fuit.*

427. *Quæ sit obligatio Parochi circa celebrationem missarum.*

428. *Quæ obligatio Parochi assistendi infirmis, & moribundis.*

429. *Quæ obligatio Parochi prædicandi verbum Dei.*

430. *Quæ obligatio Parochi docendi doctrinam Christianam.*

431. *Quæ obligatio Parochi faciendi varias denunciationes.*

432. *Quæ obligatio Parochi faciendi varias annotationes.*

433. *Quæ obligatio Parochi reparandi Ecclesiam, & domum parochialem.*

CAPVT SECVNDVM.

De potestate, juribus, emolumentis beneficiatorum.

PARAGRAPHVS I.

De potestate, jurisdictione ac præcedentia Parochorum.

434. QVid possit vel non possit Parochus quoad ministrandum sacramentum pœnitentiæ.

435. *Quid possit Parochus circa delegationem administrandi sacramenta.*

436. *Quid possit Parochus circa delegationem prædicandi in parochia.*

437. *Quid possit circa dandam veniam non jejunandi diebus jejunii, & laborandi diebus festis.*

438. *An Parochus possit parochianos cogere ad audiendam missam diebus festis in parochia.*

439. *An cogere possit parochianos ad audiendam concionem in parochiali.*

440. *An mulctis, & pœnis cogere possit pueros, & rudes ad discendam doctrinam Christianam, & parentes ad mittendum pueros ad eam audiendam.*

441. *An, & qualiter impedire possint Parochi solennitates aut functiones parochiales exerceri per alios in Ecclesia sua parochiali, aut aliis Ecclesiis publicis, vel privatis oratoriis.*

442. *Quid possint Parochi quoad impediendas varias functiones regularium.*

443. *An impedire possint fundationem, vel ædificationem monasterii, Collegii, seu Conventûs regularium.*

444. *An Parochi in suos parochianos ferre possint censuram.*

445. *An, & quid agere possit Parochus pro Ecclesia sibi subjecta.*

446. *An, & qualiter Parochi bona Ecclesiæ suæ custodire, alienare, & elocare debeant & possint.*

447. *Qualis sit jurisdictio Parochi respectivè ad loca exempta: item comparative ad jurisdictionem capituli cathedralis.*

448. *Quæ, & respectu quorum sit præcedentia Parochi.*

PARAGRAPHVS II.

De juribus parochialibus, & in specie de jure funerandi.

449. IN quibus consistat jus parochiale, qualem assistentiam juris habeat, qualiter immutetur vel etiam amittatur.

450. *Ad quem spectent jura parochialia, & respectu quorum dentur.*

451. *Quale jus habeat Parochus circa funera.*

452. *Quale sit hoc jus sepeliendi.*

453. *Quid sit circa jus interveniendi funeribus.*

454. *Quid, & quanta sit quarta parochialis, seu portio Canonica.*

455. *Vnde solvenda portio Canonica.*

456. *A quibus solvenda dicta portio parochialis.*

457. *Quænam Ecclesiæ ab hoc onere solvendi dictam quartam sint immunes.*

458. *Cui Ecclesiæ debeatur Canonica portio.*

459. *An in concordia super emolumentis, funeralibus, aliisque juribus parochialibus inter Capitulum & Vicarium, seu alium ad exercitium curæ deputatum, aliosque ejusdem Ecclesiæ Clericos, vel etiam inter diversas Ecclesias requirantur solemnitates aliàs in concordiis super bonis & juribus Ecclesiæ requiri solitæ.*

PARAGRAPHVS III.

De jure percipiendi oblationes, decimas, primitias.

460. QVid veniat nomine oblationum.

461. *An, & quo jure debeantur oblationes.*

462. *Ex quibus rebus, & à quibus fieri, aut admitti vetentur oblationes.*

463. *Ad quem spectent oblationes tam quæ jure debentur, quàm quæ sponte offeruntur.*

464. *Quid sint decimæ.*

465. *Quotuplices sint decimæ.*

466. *Quo jure debeantur decimæ.*

467. *Ex quibus rebus solvendæ decimæ personales.*

468. *Ex quibus rebus solvendæ decimæ prædiales.*

469. *Quando, & qualiter solvendæ decimæ personales.*

470. *Quando, & qualiter solvendæ decimæ prædiales.*

471. *Vbi solvendæ decimæ personales.*

472. *Vbi solvendæ decimæ prædiales.*

473. *An, & quando laici capaces sint juris decimandi.*

474. *Qualiter jus illud secundarium percipiendi decimas Ecclesiasticas obvenire possit laicis.*

475. *An, & qualiter laicus justè possidens hoc jus decimandi, illud iterum in alios, etiam laicos, transferre possit.*

476. *Quibus modis jus decimandi obvenire possit Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis.*

477. *Qualiter obveniat iis per transactionem, compromissum, & permutationem.*

478. *Qualiter obveniat illis jus decimandi per donationem seu concessionem.*

479. *Qualiter obveniat illis per consuetudinem vel præscriptionem.*

480. *Quibus personis Ecclesiasticis jure communi debeantur decimæ.*

481. *Quid sit circa jus decimandi respectu Ecclesiarum de novo erectarum intra fines parochiæ.*

482. *Cui Ecclesiæ parochiali pendendæ sint decimæ.*

483. *A quibus pendendæ decimæ, seu quæ personæ ad decimas obligentur debito personali.*

484. *Quæ personæ obligentur debito tantùm reali ad solvendas decimas.*

485. *Num Dominus seu locator, an verò colonus seu conductor prædii solvere debeat decimas.*

486. *An dari possit exemptio ab obligatione solvendi decimas, & qualiter.*

487. *Quid in hoc possit Papa, aliúsve Prælatus inferior.*

488. *Quinam de facto à solvendis decimis eximantur jure communi.*

489. *Qualiter concessio specialis privilegii non solvendi decimas valeat, & extendenda vel restringenda sit.*

490. *Quibus modis privilegium non solvendi decimas amittatur.*

491. *An, & qualiter obligati ad decimas ab illis solvendis liberentur per consuetudinem.*

492. *An, & qualiter per præscriptionem detur exemptio à solvendis decimis.*

493. *An transactione, commutatione, similíve pacto eximi quis possit à decimis.*

494. *Quæ jurè communi pœnæ statutæ non solventibus aut solvi impedientibus, aut aliquo modo usurpantibus decimas.*

495. *Qualiter injustè non solventes, vel detinentes decimas compellendi sint ad earum solutionem.*

496. *Quâ actione Ecclesia, aut ejus loco Parochus vel Episcopus exigere possit decimas sibi debitas.*

497. *Quis sit judex competens in causa decimarum.*

498. *Quale jus habeat Ecclesia, seu ejus Rectores in decimis.*

499. *Quid sint primitiæ, & quo jure debitæ.*

FORI BENEFICIALIS
PARTIS PRIMÆ
SECTIO PRIMA.

De Beneficiorum Ecclesiasticorum in genere naturâ, origine, erectione, divisione in species, & harum singularum conditionibus & qualitatibus.

CAPUT PRIMUM.

DE BENEFICII ECCLESIASTICI NATVRA, ORIGINE, ERECTIONE.

PARAGRAPHVS I.

Datur & explicatur definitio beneficii.

Quæres primò: qualiter definiendum Beneficium Ecclesiasticum, prout in rigore accipitur à Canonistis?

REspondeo: quòd sit jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officii auctoritate ecclesiasticâ constitutum. Less. *de jure & just. l. 2. c. 34. n. 1.* Laym. *theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 1. n. 1.* Barb. *de jure Eccles. l. 3. c. 4. n. 8.*

Quæres secundò: quid importet TÒ jus?

REspondeo: importare primò potestatem legitimam, quæ est incorporeum quid à re ipsa, ad quam datur, distinctum; unde & beneficium inter res incorporeas numeratur. Lott. *de benef. l. 1. q. 3. n. 3.* Laym. *l. c.* Secundò ipsam rationem formalem beneficii; nam neque ipsi fructus percipiendi, utpote quid merè temporale, sunt beneficium; neque ipsum officium seu ministerium spirituale, illiúsve exercendi obligatio aut potestas, utpote quæ sunt solùm fundamentum & causa, ob quam conceditur facultas illa percipiendi fructus. Less. *l. c.* & ex eo Castrop. *tr. 13. d. 1. p. 1. n. 2.*

Quæres 3. an & qualiter hoc jus sit spirituale?

REspondeo: esse spirituale, non in se formaliter (est enim in se proportionatum rei, ad quam datur, seu quam intrinsecè respicit, nempe fructibus percipiendis) sed solùm in radice, seu spiritualitatem participare unicè per accidens, & per respectum ad ministerium in se spirituale, jusque exercendi hoc ministerium itidem simpliciter intrinsecè spirituale, cui annectitur. *c. dilecto. de præb.* D. Th. 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. Barb. *n.* 8. Consequenter quoque, non verò antecedenter ex eo hoc jus censetur spirituale, quòd tam in recipiente, quàm conferente supponat Clericatum; ideo namque possideri nequit, & conferri à laico, quia aliunde spirituale est. Garc. 1. *p. c.* 2. *n.* 6. 28. & 34. Porrò num ex eo, quòd principaliter & in se hoc jus sit quid temporale, rectè inferatur (ut contendit Garc. *n.* 8. & *seq.* citans plures alios) vendere beneficium esse simoniam non nisi juris humani, prohibentis venditionem illorum, quæ similem connexionem & respectum dicunt ad spirituale, videbitur alibi.

Quæres 4. *quid importet* TÒ perpetuum?

1. REspondeo primò: eam perpetuitatem intelligi, requiri, & sufficere ad rationem beneficii, quæ inest ipsi huic juri seu beneficio, quatenus hoc semel auctoritate prælati Ecclesiastici constitutum, manet semper, ita ut sublatum ab uno sive voluntate superioris, sive per mortem possessoris non pereat, sed vacet, remaneátque alteri conferendum, secus ac contingit in pensione, quæ cum

pensionario extinguitur, & vel hinc rationem beneficii non habet. Castrop. *loc. cit.* Gonz. *ad reg. 8. Cancell. gl. 5. §. 5.* Paris. *de resign. l. 1. q. 10. num. 69.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 3.* Suar. *de relig. tom. 1. tr. 3. l. 4. c. 25. n. 1.* Nihilominùs

2. Respondeo secundò: beneficium, prout in jure Canonico & communiùs accipitur hoc nomen, esse, & dici perpetuum, quia non tantùm in se modo jam explicato, sed simul etiam in beneficiato, quantum est ex se, perpetuatur, dum ei non datur ad tempus, sed in titulum perpetuum. Less. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. n. 11.* C. Tusch. *lit. A. concl. 55.* éstque veluti matrimonium celebratum inter beneficiatum & Ecclesiam. Sanch. *in Decal. l. 7. c. 29. n. 106.* Atque ita jam beneficia manualia, etsi priori modo in se perpetua; quia tamen ex se non perpetuantur quòque in beneficiato, à ratione beneficii communiter accepti recedere dicendum erit. Castrop. *nu. 7.* & apud Gonz. *loc. cit. nu. 21.* Nav. *cons. 27. de præb.* De cetero relictâ hac communi acceptione beneficii, posse ex speciali jure dari beneficium verum, etiam sæculare, neutro modo perpetuum, docet Barb. *loc. cit. n. 12.* Conrad. *in praxi benef. l. 1. c. 6. nu. 285.* Possèque beneficium ex institutione sua perpetuum conferri ad tempus, & fieri temporale per Papam, non tamen per alium illo inferiorem, tenet Garc. *loc. cit. n. 72.* Conrad. *loc. cit. n. 288.* Et per consuetudinem immemorialem Garc. *n. 74.* citans Nav. Quin & primitus constitui tale ex fundatione. Garc. *num. 72.* citans Lap. *alleg. 67.* Absque tamen eo, quòd quis titulo talis beneficii non perpetui promoveri possit ad ordines; cùm titulus ille debeat esse perpetuus. Trid. *sess. 21. c. 2.*

Quæres 5. quid importent particulæ percipiendi fructus?

1. Respondeo primò: importare perceptionem, quâ beneficiatus facit fructus suos, seu subjicit dominio suo, citra tamen omne dominium bonorum, ex quibus ii proveniunt; cum horum bonorum sit solùm administrator, competente illi hac administratione à summo Pontifice; qui solus habet jus plenæ administrationis illorum bonorum Lott. *cit. q. 3. n. 8.*

2. Respondet secundò idem Lott. *n. 11. & seq.* Longè majus & pinguius esse hoc jus, quàm ut restringi debeat ad simplicem perceptionem fructuum, & minùs aptè beneficiatum cum usufructuario conferri, cùm ipsum fundum ecclesiasticum veluti suum, more tamen boni patrisfamilias curare, & administrare possit, faciendo etiam ex terra prædiali vineatoriam juxta *c. ult. de pecul. Cler.* quod usufructuario minimè permittitur juxta *l. si ususfructus.* ff. *de usufructu.* Unde hic Auctor in definitione beneficii ponit: jus administrandi certum fundum ecclesiasticum. De cetero beneficiatum respectu bonorum stabilium, ex quibus percipiuntur fructus, etsi majus jus habeat, quàm purus usuarius, utpote qui non tantùm (quod solùm conceditur usuario) capere potest fructus; quatenus eget ad usum quotidianum; sed etiam de iis in suos aliosve usus pios, dum vivit, disponere; in tantum tamen habere jus minus usufructuario, in quantum hic fructus tam in vivis, quàm post mortem relinquere potest, quibus vult; adeóque nec esse merè usuarium, nec propriè usufructuarium, tenet Laym. *loc. cit. c. 3. n. 8.* Nav. *tr. de redit. q. 1. monito 40. n. 12.*

Quæres 6. Quid importent particulæ ex bonis Ecclesiæ?

Respondeo: indicari primò, quod bona immobilia aliáque dominia & jura, ex quibus beneficiorum reditus proveniunt, debeant esse extra bona sæcularia, dicata nimirum cultui divino: rationem adferre videtur Lott. *l. 1. q. 5. n. 43* Dum ait: jus, in quo ratio beneficii constituitur, spirituale esse, non præcisè ex correspectivitate officii divini, sed ex eo etiam, quòd emergat ex legitima temporalium dedicatione Deo factâ; & vel hinc jam titulo patrimonii promotus ad ordines, beneficiatus non est; cùm patrimonium illud sit adhuc, & remaneat in bonis sæcularibus, spectétque jure hæreditario ad talem clericum, & morte illius non vacet, sed transeat ad hæredes defuncti; unde & indivisum esse potest cum aliis fratribus; etsi juxta Trid. *sess. 21. c. 2.* alienari nequeat, donec clericus adeptus sit beneficium sufficiens ad sustentationem. Filiuc. *tr. 41. de statu cler. c. 1.* citans Abb. *in c. cum tuis de præb. n. 9.* Azor *l. 3. c. 4. q. 2.* Secundò, dicta jura & bona pertinere ad particulares quasque Ecclesias, esséque communitatis, eorum tantummodò administratione existente penes Episcopos, aliósque Ordinarios Ecclesiarum tum sæcularium, tum regularium Rectores. Laym. *loc. cit. n. 2.* ex D. Tho. *2. 2. q. 43. in corp. ar. 8.* Neque enim, dum dicuntur esse res Dei & ecclesiæ, intelligitur, ut censuisse putatur Abb. *in c. cum secundum. de præb.* Nav. & alii quidam, quòd non sint in hominum dominio & commercio, sed quòd Ecclesiæ his rebus à fidelibus ad cultum Dei ita dotatæ, ut ad profanos usus ampliùs non serviant. Vide Molin. *de Just. to. 1. D. 142.*

Quæres 7. Num hæc bona debeant esse res certa & stabilis?

Respondeo affirmativè, sunt enim veluti dos assignata beneficii. Lott. *loc. cit. n. 15.* idque satis indicat Trid. *sess. 7. c. 7.* dum determinat, congruam assignatam pro Vicaria perpetua debere fieri super re certa.

Quæres 8. Num ergo talis res certa assignata v. g. fundus, debeat abdicari, & transferri in dominium Ecclesiæ?

Respondeo negativè: sufficit enim rem hypothecatam & affectam onere præstandi tales reditus reali perpetuo, non extinguibili cum persona, sed cum re ipsâ ad quemcunque successorem transeunte; Vox siquidem ista *assigno* regulatur à jure, & intelligitur facta demonstrationis causâ, super quibus bonis habenda congrua, seu ex quibus desumendi illi reditus. Lott. *n. 18. & seq.* citans Felin. Bart. &c. qui etiam *n. 16.* ait: ipsum quoque annuum reditum in dotem beneficii assignatum, si ex certo fundo debeatur, dici fundum Ecclesiasticum, utpote inhærens fundo, & hinc illius naturam induens; juxta Tiraq. *de jure primogen. q. 49. n. 9.*

Quæres 9. Quid importent particulæ ratione spiritualis officii?

Respondeo; connexionem, quam habere debet jus dictum cum ministerio spirituali; (quale

v. g.

v. g. est decantatio, & recitatio horarum, prædicatio verbi Dei, administratio sacramentorum) veluti cum sua causâ, ob quâ datur. *c. ult. de rescript. in sexto*; ita ut si reditus Ecclesiastici, júsve illos percipiendi sive Clerico sive laico assignentur ob munus vel servitium non spirituale, v. g. cantandi, pulsandi organum, vel ob bellum contra infideles, in remunerationem meritorum, nullatenus sit beneficium Ecclesiasticum. Porrò dum dicuntur dari ob spirituale officium, vel etiam, ut Lott. *loc. cit. n. 25.* ait, ob spiritualis officii temporalem retributionem, ita accipiendum non est; acsi dentur in compensationem & pretium, sed in sustentationem talium personarum, ut eæ à cura sibi providendi liberæ Deo melius vacare queant. Garc. *p. 1. c. 2. n. 60.*

Quæres 10. *Quid intelligatur per hoc*: auctoritate Ecclesiasticâ institutum?

REspondeo: significari beneficium ab ista auctoritate superveniente veluti constitutivo ultimo & formâ esse suum consequi, ceteráque, puta, collationem bonorum, designationem redituum, constitutionem altaris &c. esse veluti materialia beneficii; Lott. *l. 1. q. 5. n. 41. & 42.* ita ut impossibile sit, jus illud percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis induere rationem beneficii, nisi auctoritate Ecclesiasticâ constituatur, vel confirmetur, beneficiúmque ullum Ecclesiasticum, quocunque demum nomine veniat, sine ea interveniente erigi; Argumento *c. nemo. & c. nullus. de consecratione. d. 1.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. n. 7.* Selv. *de benef. p. 1. q. 5. n. 29.* Lott. *n. 40.* Barb. *loc. cit. c. 4. n. 15.* Corr. *l. 1. c. 2. n. 16. & 17. &c.* Ratio: solius enim prælati Ecclesiastici est, officia in Ecclesia instituere, iisque proventus Ecclesiasticos annectere, & dispicere, quot & qualibus ministris Ecclesiæ opus sit; ac proinde novos admittere; vel excludere; ne aliàs magna sequatur confusio Less. *loc. cit. n. 4.* Filiuc. *loc. cit. n. 4.* Proinde dum fundator quis ex assignato Deóque dicato prædio suo constituisset in perpetuum proventus pro onere legendi missas à præsentando per hæredes suos, ad hoc etiam clerico vel sacerdote, quin & instituendo ab Episcopo, solâ desideratâ auctoritate Ecclesiasticâ, consensu nimirum Prælati Ecclesiastici id admittentis & confirmantis, necdum erit beneficium. Corrad. *loc. cit.* sed solùm dicitur simpliciter pia donatio. Barb. ex Lott. *loc. cit. n. 56.* eritque talis Capellania carens erectione & institutione Ordinarii laicale quid. Corrad. *loc. cit. n. 28.* Barb. *n. 20.* citans Nav. *consil. 5. de præb. num. 1.* Gonz. & alios, concedendum etiam citra privilegium à laico per modum simplicis deputationis sacerdotis. Lott. *num. 57.* Barb. *num. 18.* Quin & præsentari poterit ad eam laicus, quantum est ex natura talis Capellaniæ (secùs est, quantum est ex mente fundatoris, quæ servanda est) Lott. *n. 59.* citans Abb. *in c. 2. de institut. num. 4.* Neque etiam per fundationem talem quæritur fundatori jus aliquod patronatûs, sed stabit in pendenti, usque dum accedat consensus prælati Ecclesiastici. Felin. *in c. ex parte. de rescript. nu. 2.* Lott. *n. 55.* Barb. *n. 16.* Ac denique non subjacet tale legatum, priusquam erigatur in titulum beneficii, provisioni aut collationi etiam Apostolicæ; cùm collatio tanquam necessarium suum antecedens requirat & supponat existentiam beneficii. Corr *num. 29. & seq.* & hinc frequenter tales collationes & provisiones invalidæ declaratæ sunt; & signanter talem nullam declaravit Rota *in una Melphitensi legati Pii de anno* 1629. coram Dunezetto apud Corrad. *num. 28.* & Barb. *num. 15.*

PARAGRAPHVS II.

De origine & erectione beneficiorum in genere.

Quæres 11. *Quæ fuerit beneficiorum Ecclesiasticorum origo?*

REspondeo: hanc ferè fuisse ea instituendi occasionem; quòd postquam in primitiva Ecclesia fideles venditorum à se prædiorum suorum pretia Apostolis deferre soliti essent, ut exinde, prout cuique opus erat, distribueretur; Actorum 4. & 5. Visum dein fuit expedire magis, ut ipsamet prædia seu immobilia bona Ecclesiis donarentur, ex quorum annuis proventibus ministrorum Ecclesiasticorum sustentationi perpetuò provisum esset, præberentúrque certa stipendia singulis proprium nihil possidentibus, sed in communi, Episcopo præsidente, vitam agentibus, certâque vivendi normâ (unde Canonici dicti) adstrictis in una aliqua æde seu Collegio, cui certus præfixus titulus v. g. S. Crucis, S. Joannis &c. Recedentibus demum à communi illâ vitâ clericis divisæ fuerunt à Dionysio Papâ Parochiæ, singulíque Clericis beneficiorum tituli assignati, ex quibus vitæ necessaria sibi possent ministrare. C. 1. 13. *q.* 1. Porrò beneficii Ecclesiastici nomen, etsi plures velint usurpatum primò in Concilio Moguntino ad annum 813. longè tamen antiquiùs eo usum Innoc. primum, qui vixit anno 400. ostendit Barb. *de benef. c. 4. n. 5.* citans Epistolam ipsius Innocentii 2. & 10. *Volum. 1. Concil.* & *c. si monachus ad Clericatum. 16. q. 1.*

Quæres 12. *Quo jure inducta sint beneficia?*

1. REspondeo: inductio seu erectio beneficii, in quantùm præcisè est assumptio Clerici ad divinum officium, cum deputatione temporalis retributionis ad vitam sustentandam necessariæ, vel etiam beneficiû, in quantùm nudè jus est ob ministerium spirituale percipiendi fructus ad congruam sustentationem necessarios, juris est divini ad minimum positivi (dico ad minimum, ait enim Azor *p. 2. l. 6. c. 1.* esse juris divini naturalis; eò quòd militanti & laboranti stipendium, merces, & alimenta jure naturali debeantur) utpote ex præcepto Dei tam in lege Mosaicâ, quàm Evangelicâ revelato, dicente Domino ad Aaronem *Num. 8. Omnia, quæ sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitimâ sempiternâ &c.* Apostolo etiam *1. ad Cor. 9.* hoc institutum legis veteris in lege nova retentum, & à Christo renovatum diserte attestante his verbis: *nescitis, quòd qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt? & qui altari deserviunt, cum altari participant; ita & Dominus ordinavit, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere,* ipsóque Christo de operario Evangelico dicente *Luc. 10. dignus est enim operarius mercede suâ.* Lott. *l. 1. q. 5. num. 49. & seq.* Unde jam beneficiatus ex patrimonio suo sæculari

dives, adhuc jure divino exigere potest ex rebus Ecclesiæ portionem fructuum, non solùm ut debitum alimentum, sed & ut stipendium operæ, cùm pro Ecclesia laboret & militet, neq; hâc eum portione Papa privare potest, nisi fortè ubi is ultro cedat hoc suo jure, ita ut ex suo patrimonio, non ex beneficio dato vivere velit. Azor *loc. cit.*

2. Si verò spectetur beneficiorum inductio secundum formam illam, qua beneficiales constituti sunt tituli; deputatique singulis reditus certi ex talibus prædiis, juribus &c. cum tali vel tali onere, pro hoc vel illo officio &c. est juris merè positivi humani. Lott. *loc. cit. n.* 53. *& seq.* pleneque subjecta potestati Papæ, utpote qui in hoc sensu beneficia conjungere, dividere, extinguere, augere, minuere, nova erigere ad nutum; ad tempus, sub vel sine conditione conferre &c. potest: Abb. *in c. constitutum. de religios. domib. n.* 15. & cum eo passim alii, quos cumulat Bursat. *cons.* 125. Atque hoc sensu intelligendi sunt illi, qui institutionem beneficiorum absolutè esse juris humani pronunciant. Moscon. *de majestate. milit. Eccl. l.* 1. *p.* 3. *c.* 1. Marsil. & alii apud Barb. *de benef. c.* 4. *num.* 7. & qui copiosè variis adductis textibus id probat Selva, quem vide *q.* 4. ubi etiam *num.* 23. *&* 24. asserit Cardinalatus, & Patriarchatus jure Ecclesiastico inductos, *&* n. 28. eodem jure, sive ex ordinatione Ecclesiæ esse deputationem personarum, quæ in Episcopatibus præsident, creationem seu erectionem Episcopatuum, limitationem, quâ mediante quisque suis limitibus contentus esse debeat; juxta quod intelligendum, quod dicitur *c.* 1. *d.* 22. Episcopatuum Cathedras & Ecclesiarum cujuscunque ordinis dignitatem institui ab Ecclesia Romana, & de cetero Episcopi prout repræsentant Apostolos, & sumuntur in *c. in novo. d.* 22. & diœceses, ut sumuntur *c.* 1. *d.* 8. sint de jure divino, non secùs ac Papatus.

Quæres 13. *Cujus sit erigere seu instituere beneficia?*

Respondeo: beneficia majora, hoc est, Cathedrales, aliásque dignitates solus Pontifex instituere potest; *c.* 1. *d.* 22. Glossa *ibidem.* communiter recepta, *Verbo: Omnes.* Lott. *cit. q.* 5. *num.* 12. *& seq.* citans Mandos. *de signat. gratiæ. tit. de erectione,* ita ut in hoc Episcopi potestas penitùs deficiat. Imol. *in c. olim. de consuet. n.* 1. Lott. *n.* 15. Quod tamen intelligendum non nisi de dignitate noviter erigenda; nam restaurare antiquam, quæ fortè defecisset, cùm facilis sit reditus ad statum pristinum, poterit Episcopus, si accedat Capituli consensus, & congrua dos reassignetur. Felin. *in c. cùm accessissent. de constitut. n.* 14. *& seq.* Præpos. *in cit. c.* 1. *colum.* 2. Lott. *loc. cit.* Porrò quæ beneficia veniant nomine dignitatis, dicetur infrà. Vide tantisper Lott. *à num.* 17. minora verò beneficia, hoc est, destituta omni jurisdictione, quantumcunque de cetero curata sint (jurisdictio namque fori pœnitentialis non est propriè jurisdictio. Butr. in *c. cùm Ecclesiarum. de offic. Ordinar. num.* 23. Lott. *num.* 37.) erigi & institui possunt auctoritate Episcopali, seu ab Episcopo. *c. Episcopi. d.* 80. Item ab habente jurisdictionem quasi Episcopalem (qualis hîc intelligitur esse ea, quam habent Prælati quidam Episcopo inferiores, etiam extra congregationem seu Collegium suum diffusam per totum aliquod territorium certis limitibus finitum, ita ut ea vigeat in Parochos & Parochianos ad exemplum jurisdictionis Episcopi. Lott. *num.* 51.) Abb. *cons.* 69. *n.* 3. Lamb. *de jurepat. l.* 1. *p.* 1. *q.* 9. *a.* 5. *num.* 1. Lott. *n.* 49. dedicatio namque illa temporalium pro beneficio Ecclesiastico non pertinet ad Ordinem, sed quasi ad ordinem; cùm sufficiat dedicatio vel etiam consecratio verbalis, quæ magis ad dignitatem Episcopalem, quàm ordinem spectat. Franc. *in c. Abbates. de privil. in* 6. *n.* 3. Lott. *n.* 52. qui nihilominùs *n. seq.* citans quoque pro hoc Aut. de Butr. *cons.* 19. *n.* 19. & Franc. *loc. cit.* censet hoc jus dedicandi, & consequenter potestatem erigendi beneficia dictis prælatis inferioribus non competere, ubi solenniter benedicti, pontificalibúsque ornamentis, puta mitrâ & baculo insigniti non fuerint; eò quòd per horum insignium Pontificalium concessionem hæc facultas dedicandi temporalia pro beneficio implicitam habens benedictionem transfundi videatur; & iis deficientibus, non tantùm Ordo, sed etiam dignitas & majestas illa Pontificia, cui hæc facultas attribuitur, desideretur: De cetero Prælatus nullus inferior quantumcunque exemptus absque suffragio Episcopi diœcesani, aut sine speciali privilegio Sedis Apostolicæ, auctoritatem habet erigendi beneficium. *c. Auctoritate. de privil. in* 6.

Quæres 14. *Num igitur ad erectionem beneficii necesse sit interponi auctoritatem & consensum Episcopi, alteriúsve Prælati habentis ad hoc potestatem expresse?*

Respondeo: sufficere, ut id fiat tacitè; unde si Episcopus sciens statum rei, conferat altare vel Capellam jam fundatam seu dotatam, & ordinatam per fundatorem quempiam, satis dicetur, illam vel illud, in beneficium Ecclesiasticum collativum instituisse. Ægid. *in c. super hoc. de renunc. n.* 18. Lott. *l.* 1. *q.* 5. *num.* 63. Actus enim conferendi in titulum perpetuum non potest cadere nisi in beneficium Ecclesiasticum, adeóque gestus ab Episcopo sciente statum talis Capellæ, nondum scilicet Auctoritate Ecclesiasticâ, erectæ in beneficium, satis indicat præsentem ejus voluntatem erigendi illam in tale; secus tamen est, si solùm concedat facultatem in tali altari vel Capellâ celebrandi. Lott. *n.* 65. Corr. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 23. cùm actus celebrandi cadat etiam in oratoria privata non dotata, & in his sine licentia Episcopi celebrari nequeat juxta *c. si quis etiam. de consecratione. d.* 1.

Quæres 15. *Dum agitur de non arguendo consensu Episcopi ex actu aliquo positivo eum involvente, sed de præsumptione solùm in præteritum, undenam præsumatur interpositam fuisse ab initio Auctoritatem Ecclesiasticam?*

Respondeo: id indicari ex statu præsente, qui si in reliquis se conformet statui beneficii, puta, quia Ecclesia ædificata reperitur in forma debitâ, habet dotem & Rectorem, ipse consensus Episcopi ab initio præbitus præsumitur, Card. *cons.* 11. *num.* 6. Archid. *in cit. c. nemo num.* 3. Lott. *nu.* 68. Barb. *cit. c.* 4. *n.* 23. Corr. *c.* 2. *n.* 63. uti etiam in dubio, ubi non constat, an talis fundatio sit beneficium

neq;

nec ne, habendum est pro beneficio, si reperiatur collatum per Ordinarium in titulum beneficii, & ita attendendus est ultimus ejus status. Corr. *loc. cit. n. 58. & 59.* citans plures Rotæ decis. & collatio ipsa sustinenda, quatenus in continente non docetur de statu contrario. Corrad. *n. 62.* citans Calder. *cons. 43. de præb.* De cetero ubi constat de anteriori statu Laicalitatis & temporalitatis, ob defectum auctoritatis Ecclesiasticæ primitùs non interpositæ, non est attendendus status ultimus. Corrad. *loc. cit. n. 31.* Rota. *decis. 2. de præb. in Recent.* Adeóque attendendum etiam non est, quòd in provisione ultimi possessoris adfuerit intentio Ordinarii, quia in inducenda qualitate beneficii attenditur tantùm fundatio, & erectio. Corrad. *n. 41.* Quare nec ista Ordinarii institutio arguit illud exercitè vi illius institutionis fuisse erectum auctoritate Episcopi; nisi constet Ordinarium scientem statum beneficii id fecisse juxta dicta paulò antè: ubi nimirum fundator non disposuit contrarium; nam si constet, fundatorem noluisse Capellaniam esse collativam, non sufficit, quòd ut talis collata fuerit, etiam spatio 40. annorum, sed requiritur tempus immemoriale. Corrad. *cit. n. 59.* citans Garc. *in addit. ad p. 1. c. 2. n. 115. & seq.*

Quæres 16. Num ergo rectè præsumatur vel arguatur, Episcopum præbuisse consensum, quòd constet, hunc ab eo petitum, vel etiam Episcopum dedisse consilium fundandi & dotandi talis altaris vel Ecclesiæ?

REspondeo negativè: Barb. *cit. c. 4. num. 22.* Lamb. *l. 1. p. 1. q. 9. a. 2. num. 131.* Lott. *l. 1. q. 32. num. 6.*

Quæres 17. Quæ sint veluti materialia beneficii præsuppositæ ejus Erectioni?

REspondeo: esse prædia & reditus, quæ pro dote applicantur, fundus, ipsiúsque Ecclesiæ, vel altaris rude ædificium, Ecclesiæ vel altaris consecratio; item officium divinum, quod beneficio annectitur, leges fundationis: atque ita materia hæc partim spiritualis, partim est profana. Lott. *l. 1. q. 7. n. 8.* sintque hæc tria locus fundationis, dos beneficii, & leges fundationis, in quorum examine officium superioris Ecclesiastici erigentis consumitur. Calder. *de jurepat. cons. 20. nu. 1.* Lott. *l. 1. q. 13. n. 1.*

Quæres 18. Quis sit locus necessarius beneficii?

REspondeo: Ecclesia aliqua vel Capella: requiritur namque ut beneficium habeat Ecclesiam; Selva. *q. 5. sub initium:* nempe certam aliquam, in qua erigatur, seu cui adscribatur; neque enim beneficium & titulus separantur respectu loci, cùm ibi dicatur consistere beneficium, ubi impenditur officium: Rota *decis. 9. de præb. in antiq.* Lott. *loc. cit. n. 127.* & hoc, etiamsi dos sit constituta alibi, cùm veluti accessoria sequatur naturam & consistentiam beneficii. Oldr. *consil. 257 nu. 15.* Navar. *cons. 6. de verb. signif.* apud Lott. *nu. 28.* & etiamsi beneficiatus de facto officium expleat alibi, cùm ad hunc effectum attendatur destinatio. Rota *cit. decis. 9. & decis. 119. in Recent. n. 3.* apud Lott. *n. 29* Porrò nomine Ecclesiæ non venit hîc universalis fidelium collectio, pro ut sumitur *c. Ecclesia. 8. de consecr. d. 1* neque particularis Canonica collectio Clericorum in aliqua domo Deo dicatâ; pro ut etiam sumitur *cit. c.* neque Prælatura ipsius Ecclesiæ, aut ejus reditus, ut sumitur *c. quoniam. & c. querelam & c. ne prælati vices suas.* sed ipsa sacra domus, prout est ædificium constans parietibus, & tecto, auctoritate Episcopi ad hoc destinatum, ut sumitur in *c. nemo. d. 1.* Lott. *cit. q. 13. n. 3.* quæ si major est, templum dicitur. Bellamer. *in c & hoc dicimus. 16. q. 7.* dicitur etiam quandoque Basilica, quòd in ea Regi Regum serviatur. Selva. *loc. cit. num. 30.* De cetero dicitur quandoque etiam martyrium; dum in honorem martyris alicujus, seu ejus memoriæ & reliquiis singulariter posita est. Lott. *num. 48.* ex Euseb. *Hist. Eccl. l. 11. c. 17. & 19.* quamvis ad differentiam templi martyrium olim dicebatur quodcunque ædificium sacrum, in memoriam alicujus rei in illo loco gestæ. Lott. *num. 47.* aliàs Capella, Sacellum, Sacrarium, Oratorium, Selva. *ibid.* quamvis oratorium generaliter potiùs significet locum quemcunque ad orandum statutum, adeóque comprehendat etiam privata oratoria, quæ fiunt sine auctoritate Episcopi, remanente loco profano, in quibus celebratur super portatili, cujus usum permittere potest Episcopus. Lott. *q. 13. num. 49.* Nulla interim admissa differentia, sive Ecclesia sit consecrata solenniter per unctionem illam chrismatis, sive simpliciter solùm instructa auctoritate Episcopi, ritéque deputata pro habendis ibi officiis divinis juxta *c. nemo Ecclesiam* Lott. *loc. cit. n. 7.*

Quæres 19. An præter hunc locum communem beneficiorum (qualem Ecclesiam dicit Lott. l. 1. q. 30. n. 1. & 2. dum in ea erigi possunt plura beneficia & tituli) detur locus proprius beneficii, & quis ille?

REspondeo: hunc esse & dici Altare, quod beneficio in ejus erectione assignatur, & in quo beneficiatus per se, vel per alium pensum suum absolvit. Lott. *loc. cit. & num. 3.* hinc beneficiatus servire dicitur Altari, & de Altari vivere. Possunt autem ad unum altare plura constitui beneficia. Rochus *de jurep. V. & dotavit. n. 30.* Lott. *loc. cit. nu. 40.* uti & *q. 2. n. 44.* sub diversis tamen invocationibus. Lott. *ibid.* citans Rotam *in una Hipporegiensi Capellania S. Martini. 5. Decemb. Anno 1628.* quin & sub eadem invocatione, & extra casum, in quo destructo Altari priore ad aliud altare ejus beneficium transfertur. C. de Luca. *jurep. d. 17. nu. 3.* Quòd si non appareret, an Altare fuerit nec ne erectum in beneficium, attenditur illius ultimus status; altare enim, quod datur in titulum, dicitur beneficium, & venit appellatione beneficii. Decius *cons. 210. n. 4.* apud Lott. *cit. q. 30. num. 39.* quamvis tamen literis Apostolicis concernentibus materiam provisionis exponatur altare pro Ecclesiâ seu beneficiali titulo. Abb. *in c. 1 de succeff. ab inteft.* Lott. *num. 41.* utpote qui est locus, cui affixum est munus à Clerico persolvendum. Lott. *q. 2. num. 44.* uti & nomine Altaristæ venit ipse Rector seu minister Altaris. Rota *decis. 216. num. 2. p. 2. in Recent.* Porrò non secus ex constructione, fundatio-

dotatione, & dotatione altaris acquiritur juspatronatûs, quàm ex dotatione, fundatione, & constructione Ecclesiæ. Lamb. *de jure pat. l.1.p.1.q.11. a.9. num.9.* Lott. *loc. cit. n.12.* demum dum Altare extructum in Ecclesia ha[illegible]tem suam, & Rectorem, & aliquid ei, sive i[illegible]i in eo depictæ legatur vel offertur, totum illud eidem altari acquiritur per accessionem, ut loquitur Abb. *loc. cit.* hoc est, accedit ad dotem dicti altaris. Lott. *loc. cit. nu.* 34. si verò non habeat dotem neque Rectorem, acquiritur ipsi Ecclesiæ, in qua est altare, præcipuè si est Ecclesia regularis. *c.1. de statu monach.* Maresch. *variar. resol. l.2. c.42. num.3.* apud Lott. *n.36.*

Quæres 20. *An in quibuscunque Ecclesiis erigi possint beneficia, etiam cum reservatione jurispatronatûs & conditionibus juri communi aliàs contrariis, etiam dum ipsæ Ecclesiæ, & altaria, aut Capellæ in iis existentes sunt de hujusmodi jurepatronatûs, aut etiam dum earum Ecclesiarum Prælati seu Rectores contradicunt?*

Respondeo affirmativè: cum consensu tamen [illegible]iarii; cùm id tendat ad cultûs divini augmentum, nullúmque prædictis Prælatis seu Ecclesiarum Rectoribus infertur præjudicium, utpote qui neque prætextu fundi quidquam prætendere possunt, cùm solus dotans & construens in Ecclesia juxta consuetudinem ubique ferè receptam in ecclesia fiat patronus, Ecclesia verò aut ejus Rector ratione fundi non fiat compatrona, nec compatronus. Neque etiam dum dictæ Ecclesiæ jam sunt de jurepatronatûs sive singularium personarum, sive Collegii aut Universitatis, horum patronorum consensus ad hoc requiritur, cùm ipsi non habeant jus in fundo Ecclesiæ, sed tantùm præsentandi in ea Rectorem aliáque sibi ex fundatione reservata: proinde, ut responsum, hujusmodi erectiones dicto modo impediri nequeunt; cùm beneficia hujusmodi ubique erigi possint. ità ferè Corrad. *l.4. c.6. n.42.*

Quæres 21. *Quid veniat nomine dotis beneficii?*

Respondeo: certa bona eorúmque proventus assignati beneficio, pro illius tanquam matrimonii spiritualis cum Ecclesia initi supportandis oneribus. Paul. de Cittadinis *de jurepat. p.13. nu.5. & seq.* Lott. *l.1.q.31. num.1.* numerantur autem inter hæc omnia alimenta Rectoris, juxta *c. cum secundum Apostolum. de præb.* impensæ ad sarta tecta habenda illius Ecclesiæ vel altaris *c.1. de Eccl. ædif.* ac pro luminibus aliáque sacrâ suppellectili juxta C. *altaris palla. de consecr. d.1.*

Quæres 22. *Num hæc dos congrua ita necessaria, ut ante eam assignatam Episcopus fundationi beneficii nullatenus consentire possit?*

Respondeo affirmativè: *c. nemo Ecclesiam.9, d.1.* Lott. *cit. q.13. nu.2.* cum communi; qui etiam *n.60. & 61.* monet observare debere Episcopum in hac dotis constitutione, ut nuncupatim fiat hoc nomine, & non nomine stipendii vel salarii pro Capellano vel Sacerdote, eò quòd etiam Oratoria, Hospitalia, aliáque loca pia habere possint bona, ex quibus personæ Ecclesiasticæ percipiant reditus, absque eo tamen, quòd sint beneficia.

Quæres 23. *Quid si ergò constructâ Ecclesiâ fundator negligat eam dotare, num is aut illius hæredes compelli poterunt ad præstandam dotem?*

Respondeo affirmativè: Gl. *in c. piamentis, 16. q.* [illegible]*ollata.* Lott. *cit. q.31. n.4.* qui tamen addit, nisi malit perdere jus totum patronatûs. Sic etiam, ubi quidem dos aliqua collata, sed insufficiens, compelli poterit ad dotem complendam. Lott. *loc. cit. num.7.* Lamb. *de jurep. l.1. p.1. q.5. a.13.* cum paria sint nullam, vel incongruam assignâsse dotem. Lamb. *a.21. n.1.* Tenéntque hæc etiamsi constructio facta esset absque auctoritate Episcopi. Abb. *cons.89. p.2. n.2.* Non tamen tenent de Capella vel altari aliquo in Ecclesia jam erectâ & competenter dotatâ constructo simplicis devotionis causâ. Lott. *loc. cit. n.6.*

Quæres 24. *Quid si ignoretur beneficium ab initio sufficienter dotatum fuisse, an per hoc amittat statum beneficii?*

Respondeo negativè: neque enim bene infertur; non habet dotem, ergo non est beneficium, eò quòd multa contingere potuerint, ut dos etiam penitus interiret: Lott. *cit. q.31. n.24.* citans Berrran. *volum.6 cons.257. num.1.* quod tamen intelligendum credo de beneficio habito semper tali, etsi prima ejus dotatio aliter probari non possit. Illud nihilominus & nihil aliud operabitur hic defectus dotis, quòd dicatur beneficium de pertica & impermutabile cum alio, quod dotem habet. Lott. *n.25.* Gomez. *l.1. decis.28.* nimirum ob fraudem, quæ regulariter semper præsumitur, etiam dum permutatur, cum beneficio habente tenues reditus. Abb. *in c. vero simile, de præsumpt. n.22.* Lott. *n.28.* Paris. *de resign. l.13. q.4. n.8.* Tholosan. *de benef. c.31. num.15.* & alii, quos vide apud Tiraq. *ad l. si unquam. c. de revoc. donat. num.122.* & Lott. *loc. cit.* quamvis purgatâ hac suspicione fraudis ex facto & auctoritate superioris statum scilicet scientis, & tamen talem permutationem admittentis citra fraudem cujuspiam: quod ideo vix practicari posse ab inferiore Papâ censet Lott. *nu.29.*) promotio talis fieri, & sustineri potest, Decius. *cons.210. n.5.* Gomez. *loc. cit.* Contradicit nihilominùs huic doctrinæ Zoës: citans pro se Jo. And. tenet namque beneficium non habens fructus rectè permutari cum habente fructus; cùm non curetur de fructibus, sed tantùm agatur de jure spirituali, cujus fit permutatio: nec posse præsumi fraudem; cũ ex generali regula nemo præsumatur malus, nisi probetur; & cuilibet liceat uti jure suo, si aliud nihil concurrat, quod fraudem faciat; ut si morti vicinus vel senex permutet pingue cum tenui. Azor. *p.2. l.7. c.29. q.15.*

Quæres 25. *Quanam censenda dos congrua beneficii?*

1. Respondeo: quamvis de hoc statuere spectet vel maximè ad arbitrium judicis; Bursat. *l.3. cons.*

l. 3. conſ. 80. num. 15. Menoch. *caſu 149. n. 34.* Lott. *loc. cit. n. 8.* hoc tamen arbitrium regulandum aliis circumſtantiis, quàm quibus id regulatur in ſtatuendo de dote mulieris; in hac enim expenduntur facultas donantis, legitima mulieri debita, & alia hujuſmodi, de quibus vide Menoch. *loc. cit. num. 2.* quæ non conveniunt rationi ſtatuendæ hujus dotis Eccleſiaſticæ. Lott. *loc. cit. nu. 9. & 10.* De cetero ubi non eſt taxata quantitas doris à jure, prout factum à Trid. *ſeſſ. 24. c. 13.* in Cathedralibus & Parochialibus, illud potiſſimùm conſiderandum, an ſufficiat ad impenſas onerum altaris ex lege fundatoris adjectorum, & ſuſtentationem neceſſariam ipſius beneficiarii in tali miniſterio, non habitâ ratione alimentorum, vel congruæ ſuſtentationis extra hujuſmodi miniſterium. Lott. *n. 13.* uti nec habitâ ratione conſervandi ſplendoris vel dignitatis familiæ beneficiati; habito tamen ſemper, ut dictum, reſpectu ad miniſterium, quod exhibet, & cui convenienter alendus. Unde ſi beneficium eſſet reſidentiæ præciſæ & continuæ, utique conſtituenda foret dos ſufficiens pro ſuſtentandâ vitâ in loco ipſius beneficii, inſpectâ etiam loci ipſius qualitate, num v. g. ex majori populi frequentiâ ibidem ſit major annonæ caritas. Lott. *num. 14.* ita tamen juxta Abb. *in c. conquerente, de cler. non reſid. n. 1.* ut dos nunquam ſit minor 50. aureis, quot annis percipiendis.

2. Porrò notandum, longè diverſam ab hac quæſtione eſſe illam, quæ occaſione pluralitatis beneficiorum proponi ſolet; nimirum quodnam beneficium cenſeatur ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem Clerici; ibi enim reſponderi ſolet, præter rationem ipſam dignitatis, & ſtatûs beneficii, habendam inſuper rationem ſtatûs & conditionis ipſiuſmet beneficiati, puta nobilitatis, dignitatis &c. quam habet independenter à tali beneficio, ratione cujus ampliorem familiam & menſam requirit, pluribúſque eget; de quo vide tantisper Molin. *tr. de juſt. D. 145. a. 7.* Azor. *l. 6. c. 10. q. 8.* Pirh. *ad tit. 5. l. 3. n. 34.*

Quæres 26. Quid ſi ergò beneficium priùs ritè & congruè dotatum, poſtmodum ſit ita depauperatum, ut jam ſit ſine dote, aut cum dote omnino modicâ & incongruâ?

1. REſpondeo primò: dum beneficium eſt Eccleſia Parochialis, fundata à populo, is cogi poteſt ad redintegrandam dotem uſque ad ſufficientiam, propter neceſſitatem adminiſtrationis ſacramentorum. Lott. *cit. q. 31. n. 16.* citans Archid. *in c. ſi plures. 16. q. 7.* manente apud quemlibet de populo poteſtate agendi de rei vindicatione contra occupatores bonorum, quæ priùs habebat Eccleſia. *c. ſi quis presbyterorum. de rebus Eccleſiæ non alienand. ibid. Gl.* Lott. *n. 17.* Quin & apud illum ipſum, qui bona alienavit, non obſtante quocunque juramento. Lott. *n. 17.* Surd. *de alim. tit. 7. q. 38. n. 8.* cum pluribus aliis apud Barb. *in cit. c. ſi quis. n. 8.* ubi addit poſſe Eccleſiam hoc caſu nullo reſtituto pretio res malè alienatas repetere, niſi fortè pretium ſit converſum in utilitatem Eccleſiæ; quod ipſum tamen admodùm clarè liquere deberet. Greg. *deciſ. 116. n. 3.* Lott. *loc. cit.* ubi námque Eccleſia ſpoliata eſt, etiam facto ſui Rectoris probato primo extremo illicò reſtituitur, Veral. *p. 3. deciſ. 170.* Rota *deciſ. 473. n. 2. p. 2. in Recent.* aliique apud Lott. *loc. cit.*

2. Reſpondeo ſecundò: ſi beneficium tale fundatum fuerit à privato, dóſque ejus totaliter perierit; tenebitur fundator illud redotare; qui tamen hoc onere liberabitur cedendo jure ſuo; & ſi abſque ulla ceſſione prævenerit tertius quis in redotando, ad hunc tranſibit jus patronatûs, ſecundùm tamen eam diſtinctionem, quam adhibet Lamb. *l. 1. q. 6. a. 4. n. 5.* ſi verò non totaliter, ſed ſolùm notabiliter interierit dos, vel etiam à principio inſufficiens omnino conſtituta fuerit, ſupplenti dotem uſque ad ſufficientiam non acquiritur jus patronatûs ſine conſenſu patroni prioris, ubi beneficium eſt juris patronatûs. Lamb. *loc. cit.* Lott. *n. 21.* Ubi verò beneficium eſt liberæ collationis, illud redotans priore dote penitus amiſsâ, efficitur patronus. Dote illius tantùm valde diminutâ non per quodcunque ſupplementum quæritur ſupplenti jus patronatûs, quantum eſt de jure communi. Lamb. *loc. cit. nu. 2.* Abb. *in c. quoniam. de jure patronatus.* apud Lott. *nu. 22.* & hinc ſi intuitu talis augmenti concedatur alicui à Papa jus patronatûs, dicetur illi competere ex privilegio, non ex diſpoſitione juris. Lamb. *loc. cit.* Lott. *n. 23.*

Quæres 27. An & qualiter dos beneficii fundúſque, in quo ea conſtituitur, debeant eſſe libera?

1. REſpondeo: quemadmodum dos debet eſſe libera, ità & fundus, dum in eo ſeu in manſo (manſus enim idem eſt quod menſus, id eſt, ager certæ dimenſæ quantitatis, ut ex lexico juridico Lott. *cit. q. 31. n. 35.*) & non in decimis conſtituitur, immunis eſſe debet à quocunque tributo, non ſolùm reſpectu ipſius dotantis, ſed & cujuſvis alterius; juxta Gl. *ad c. ſi quis baſilicam. d. 1. de conſec.* juxtaque. *c. ſecundum Canonicam 23. q. 8.* qui tamen textus poſterior intelligitur de dote ipſâ, piéque oblatis; non verò de aliis titulo emptionis, aut ſimili acquiſitis Eccleſiæ. Gl. & Turrecrem. *ibid.* apud Lott. *n. 37.*

2. Nihilominùs dote conſtitutâ in fundo Emphyteutico ſeu feudali, qui pendit canonem Domino directo, nullum huic creatur præjudicium, cùm tranſeat id onus cum fundo in Eccleſiam. Suar. *in defenſ. fidei. l. 4. c. 2. n. 5. & ſeq.* cit. à Lott. *n. 37.* Requiritur autem conſenſus Domini directi, eò quòd per conſtitutam in eo dotem auferatur à Domino directo omnis ſpes devolutionis ad eundem, quod fieri abſque ejus conſenſu eſſet intolerabile. Lamb. *loc. cit. n 3.* Lott. *n. 40.* Unde conſenſu hoc non præſtito, cogitur Eccleſia hujuſmodi vendere alicui privato, locóque fundi recipere pretium. Jaſon. *in l. fin. de jure Emphyt. n. 91.* Gratian. *forenſ. diſcept. c. 481. n. 67.* Rota *q. 1. deciſ. 368. n. 1. deciſ. 603. n. 1. Recent.* & alii apud Lott. *n. 41.*

3. Ubi tamen ſubjectio, pro qua aliquid penditur, procedit purè à jure juriſdictionis, vi cujus principes ſæculares imponunt tributa vectigalia, ſimiliaque onera, tunc ſi fundus aſſignetur in dotem, ſeu ſimpliciter donetur Eccleſiæ, prorſus talis ſubjectio diſſolvitur, manétque fundus liber penitus & exemptus juxta *c. ſecundum Canonicam.* Lott. *n. 42.* Suar. *loc. cit. n. 13.* Jo. Guttier. *in tr. de gabell. q. 92. a. 62.* idque tam jure humano, quàm divino, ut ait Boniſ. 8. *c. quanquam. de cenſib.* & hoc præſcindendo à conſtitutione contrariâ ipſius fundatoris, ſeu dotantis. Lott. *n. 44.* poſſe enim hunc

alias in limine fundationis adjicere, ut etiam onera ista perferantur ab Ecclesia, & ad eam transeant (cùm cuique donanti rem, etiam Ecclesiæ liberum sit adjicere, quas vult conditiones & onera, *c. verum &c. de appositi. condit.*) dicendum est. Anchar. *cons.* 217. *n.* 3. Loffred. *cons.* 3. *n.* 23 apud Lott. *nu.* 43. Qualiter verò hæc immunitas suffragetur Colonis Ecclesiæ, quò minùs teneantur solvere gabellas de parte fructuum illos contingente, & alia onera à dominis temporalibus imposita subire, vide apud eundem Lott. *n.* 45. *& seq.* fusè.

Quæres 28. Quid veniat hic nomine legum beneficii, à quo ea concipienda, constituenda & approbanda?

1. REspondeo ad primum, intelligi constitutiones & ordinationes, juxta quas deinceps administrandum est beneficium?

2. Respondeo ad secundum, eas prout voluerit, constituendi & concipiendi facultatem esse, & relinqui penes fundatorem beneficii. Abb. *in 6. significatum, de præb. in 5.* plurimùm liquidem voluntati fundatorum quoad has leges *in* limine fundationis constituendas deferunt jura Butr. *in c. cum dilectus. de consuetud. n.* 44. Lott. *l.* 1. *q.* 32. *n.* 2. voluerunt-que eas quasi vim legis obtinere. Auth. *de nuptiis. §. disponat.* idque in favorem Ecclesiarum, ut alliciantur alii, & non retrahantur à fundationibus. *l. in re mandata. c. mandâsti.* Anch. *cons.* 29. *n.* 1.

3. Respondeo ad tertium: eas examinandi admittendique auctoritatem esse penes Episcopum, seu habentem potestatem erigendi beneficium; hujus enim uti est examinare locum erectionis & dotis congruentiam, ita etiam futurum beneficii regimen. Calder. *de jurepat. cons. ult. in* 1. *colum.* Unde etiam quatenus hæ leges deflectunt ab orbita juris, id totum pendet ab auctoritate Episcopi. Butr. *loc. cit. n.* 10. Imol. *in idem c. cum dilectus. n.* 22. eáque propterea dicatur causa efficiens harum legum à Lamb. *l.* 1. *p.* 1. *q.* 9. *a.* 2. *n.* 69. Ita tamen, ut si Episcopus sine legitima causâ deneget his legibus consentire, possit fundator recurrere ad superiorem qui eum cogat ad consentiendum; vel si contumax maneat, ipse superior consentiat. Felin. *in c. cum venerabilis. de except.* Lamb. *n.* 112. Lott. *n.* 17.

Quæres 29. Quandonam constitutiones fundatoris sint tales, ut eas rejicere possit Episcopus; vel etiam, si ea consentiat, ea tamen non obligent?

REspondeo primò: dum sunt impossibiles; impossibilium enim nulla est obligatio; impossibilibus autem æquiparantur primò, quæ nimiam difficultatem habent *l. cum hæres.* ff. *de stat. liber.* secundò: quæ turpes sunt, seu contra bonos mores, Papinian. *in l. filius. de condition. instit.* Lott. *cit. q.* 32. *n.* 27. tertiò: quæ sunt contra substantiam beneficii; qui enim contra substantiam beneficii leges meditatur, utique destruit, quod agit; cùm iis positis subjectum corrumpatur, *l. cum precario.* ff. *de precario* quartò: quæ sunt contra perpetuam legum eas improbantium prohibitionem. Denique hæ leges, uti & quæ sunt contra substantiam beneficii, à juris consulto dicuntur derisioriæ *in l. si stipul.* 2. *de verb. oblig.* ratio horum omnium est, quia hæ leges, seu potius harum conditionum impletio non est in cujusvis potestate J. C. *in cit. l. filius.* Cujac. *ad quæst. l.* 16. Lott. *n.* 31.

Quæres 30. Quæ leges seu conditiones censendæ sint contra perpetuam legum eas improbantium prohibitionem?

1. REspondeo: non censeri eoipso à jure improbatas conditiones, quòd aliquid à jure prohibitum contineant, etsi enim simpliciter tantùm à jure exorbitent, adhuc tamen ab Episcopo admittendæ sunt; neque ille tales admittendo quidquam contra jus moliri censetur; cùm id faciat ipsius juris permissu. Butr. *in c. dilectus. n.* 42. etiam res ipsas Ecclesiasticas servituti subjiciendo. *in c. hoc consultissimo. de rebus Ecclesiæ non alien. in* 6. quin & in qualibet dispositione juris novi inductiva semper præserventur contrariæ fundatorum ordinationes, ut in *Clem. quia contingit. de relig. domib.* C. *Eleutherius.* 18. *q.* 2.

2. Respondeo secundò ex mente Rotæ apud Lott. *cit. q.* 32. *n.* 32. videri eas intelligi conditiones, quæ reflexè, & in individuo prohibentur apponi; ex mente verò Lott. *loc. cit. n.* 3. eas, quæ per prohibitionem perpetuam, quæ habet causam à jure perpetuo & immutabili (subintellige nimirùm superiore v.g. naturali aut divino, quod à jure humano, immutabile est) reprobantur, ita ut hæc perpetuitas opponatur possibilitati ipsius juris, uti sumitur in materia prohibitionis nuptiarum apud Sanch. *de matr. l.* 4. *d.* 4. *n.* 8. Hinc tametsi pueris beneficia Ecclesiastica conferri jus prohibeat, tamen quia hæc prohitio est variabilis, utpote à mero jure positivo humano dependens, & toleranda adhuc est lex fundatoris mandans puerum, imò infantem institui in beneficio; uti pro hoc binas Rotæ decis. citat Lott. *n.* 34. sic, licet neque Episcopus, neque ullus alius beneficiatus eligere sibi possit successorem, juxta *c. Episcopo* 8. *q.* 1. quia tamen hæc absoluta prohibitio non habet causam perpetuam à jure naturæ, nihil est, quin si in fundatione dispositum fuerit, ut Rector beneficii designet sibi successorem in eodem beneficio, hæc dispositio servanda erit, uti concludit Lamb. *cit. q.* 9. *a.* 3. *nu.* 18. Lott. *nu.* 38.

Quæres 31. Num leges à fundatore in limine fundationis appositæ possint dein ex consensu Episcopi alterari, aut aliæ insuper apponi, etiam ab ipso fundatore?

REspondeo negativè: Gl. *in c. cum dilectus. de consuetud. verbo. constitutum.* Abb. *n.* 5. Imol. *n.* 22. Rota *decis.* 561. *n.* 2. *p.* 2. *in Recent.* Lott. *cit. q.* 32. *n.* 8. contra plures alios, quos citat Garc. *p.* 7. *c.* 1. *n.* 105. quorum plures volunt id posse Episcopum cum consensu patroni successoris fundatoris pro una alterâve vice dispensando cõtra ordinationem fundatoris; saltem ubi id non fieret in præjudicium certæ personæ, quæ deberet præsentari. Hinc beneficium semel constitutum in libertate non potest redigi in servitutem. Bald. *in c. significavit. de testib. p.* 1. nec magis gravari, quàm fuerit gravatum in fundatione. Lott. *n.* 11. *& seq.* Contrarium tamen quoad hoc postremum tenet Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 3. *in fine*, ubi ait; beneficio vacanti potest Episcopus aliquod onus imponere, ita ut ad quemcunque beneficium transeat, cum eo onere transeat; ait tamen

tamen Lott. *l.3.q.27.n.19.* liberam esse hac in re facultatem Episcopi in superinducenda beneficio residentia, urgente necessitate vel utilitate Ecclesiæ ex defectu ministrorum; sic quoque tradit Laym. *ad c. significatum. de præb.n.40.* citans pro hoc Glossam *in idem c.* Imolam *ibid. n.9.* Abb. *n.7.* & Glossam *in c. penul. de magistris. V. unius.* In specie posse Episcopum cum Capituli sui consensu ex rationabili causa dum vacat beneficium, ei adjicere onus, v.g. ut deinceps illud obtinens doceat scripturam, vel habeat Catechesin. Item licet Capellania ex prima fundatione, unius tantùm in hebdomade aut duarum missarum onus habeat, ex justa causa aut necessitate posse ab Episcopo augeri hunc numerum missarum; si nimirum reditus sufficiant, & Ecclesia frequentiore sacrificio egeat. Quòd si tamen beneficium sit juris patronatûs, adhibendum consensum Patroni, qui illum rationabiliter negare non potest, ubi adest talis causa vel necessitas. Vide dicenda inferiùs, ubi quid possit patronus. Item ubi, qualiter collatio fieri debeat sinè diminutione. Probabile quoque videtur, quod ait Garc. *p.7.c.1. n.103.* clarum videtur posse patronum fundatorem (etsi secus sit de patrono successore fundatoris) etiam ex post facto tollere seu alterare conditiones seu qualitates tempore fundationis appositas cum consensu Episcopi, saltem ex justa causa, dum nempe hæc mutatio foret utilis Ecclesiæ; citatque pro hac sententia Lamb. Felin. Guttierez, & plures alios. Multóque igitur minùs prælatus inferior Episcopo, v.g. Capitulum Cathedrale, aut Ecclesia aliqua Cathedralis, etsi jus habeat conferendi beneficia, eorum naturam, & institutionem per nova statuta mutare potest absque Episcopi auctoritate. Laym. *loc. cit.* ex Abb. *ibidem. n.2.*

CAPUT SECUNDUM.

De divisione beneficii in suas species subalternantes, & harum singularum specialibus conditionibus & qualitatibus.

PARAGRAPHVS I.

Dividitur beneficium in suas primarias species &c.

Quares 32. Qualiter dividatur beneficium?

1. REspondeo primò in genere, cùm beneficiorum Ecclesiasticorum una sit substantia & forma, sed diversæ penitus qualitates, ex quibus veluti unum ab altero diversum judicatur; unumquodque imaginem seu speciem ex dictis qualitatibus ei impressis contrahit; ea dicitur seu vocatur status beneficii seu conditio. Lott. *l.1.q.34. n.1.* quamvis autem impressio ista certarum qualitatum, quæ facit beneficium à beneficio specie differre, sit diversissima, ut propterea à statu beneficiorum quasi innumeræ eorum species consurgant; ad tres tamen ferè species hæ qualitates reduci possunt: Prima eorum, quæ differunt inter se ratione collatariorum, & hæc effornant duplicem statum beneficiorum, regularem & sæcularem, prout nimirum debita sunt conferri Clericis vel regularibus vel sæcularibus, non attento an collator sit regularis an sæcularis. Altera eorum, quæ differunt ratione annexi, puta certi servitii, ordinis, dignitatis, officii, vel etiam debiti conferri personæ certæ qualitatis, puta filio familias, magistro, vel Doctori; unde beneficia dicuntur patrimonialia, doctoralia, sacerdotalia, parochialia, curata &c. Lott. *n.6.12. & seq.* Tertia eorum, quæ differunt ratione actûs provisionis beneficii; dum nimirum ea vel est libera, vel fit ad electionem, nominationem, vel præsentationem alterius; unde diversus insurgit status beneficiis impressus, ut inde judicetur vel liberum vel servum. Lott. *num.11.* unde jam magis enucleatè

2. Respondeo secundò: dividitur primò in sæculare & regulare. *ex c. cum de beneficiis. c. cum singula. de præb. in 6.* Sæculare est, quod per Clericos sæculares, hoc est, omni religiosorum voto & regulâ solutos regitur, & administratur, Castrop. *de benef. d.1.p.2.n.2.* Azor. *p.2.l.3.c.1.q.4.* Cui sæcularitati non obest, quòd ad regulares ejus collatio aut præsentatio pertineat, aut quòd ipsi religioni unitum sit; Gonz. *ad reg. 8. gl.8.n.38.* Sanch. *in sum. l.7.c.29. n.1.* apud Castrop. *loc. cit.* Regulare, quod solis religiosis confertur; utpote iis solis ex fundatione seu institutione, seu consuetudine, vel præscriptione addictum, ut Abbatia, Prioratus, Canonicatus, regularis, & aliquæ parochiæ. Castrop. & Azor. *loc. cit.* Garc. *p.7.c.20.* dum autem non constat esse regulare, præsumitur semper sæculare; quia hoc Ecclesiæ est favorabilius, utpote quæ in regimine & administratione beneficiorum sæcularium procedit liberiùs; Sanch. *loc. cit. c.12.* Garc. *p.6.c.1. num.12.* Barb. *de potest. Episcopi. parte 3. alleg.56. num.167.* Tusch. & alii apud Castrop. possessio autem adjudicanda est secundum ultimum statum, in quo beneficium vacavit; ut si vacavit per obitum possessoris regularis, regulare censeatur, Barb. *ibid. n.168.* Garc. *p.7.c.10. n.34.* & alii apud Castrop. per statum enim præcedentem beneficium est constitutum in possessione, à qua sine manifesta ratione removeri non potest. Castrop. *ibid.*

3. Secundò: dividitur beneficium tam regulare quàm sæculare in duplex & simplex; duplex est, quod aliquâ qualitate juris affectum est. Azor. Castrop. *loc. cit.* qualitatum verò nomine hîc veniunt jurisdictio aliqua in Clerum, alióve v.g. parochianos, administratio & dispensatio rerum Ecclesiasticarum, præeminentia aliqua localis, seu gradus honorificus in choro seu Collegio Clericorum; Azor & Castrop. *loc. cit.* unde beneficium duplex quadrifariam dividitur: beneficium enim conjunctum cum eminentia & jurisdictione fori externi in clericos, etiam dum caret jurisdictione pro foro interno & pœnitentiali, dicitur dignitas. Castrop. *loc. cit.* Laym. *Theol. Mor. l.4. tr.2.c.4.n.4.* dum verò absque ulla jurisdictione fori externi & judicialis conjunctam habet jurisdictionem fori interni pœnitentialis, potestatémque & jus administrandi populo

pulo sacramenta alia, dicitur simpliciter & propriè beneficium curatum. Azor. *loc. cit.* Dico propriè; magis enim largè seu impropriè beneficium habens jurisdictionem solam spiritualem fori contentiosi seu judicialis, dicitur adhuc curatum C. *dudum. de electione.* ibi AA. Decius *in c. ad aures. de rescript. n.* 16. Bursat. *cons.* 352. *n.* 2. *l.* 4. Nav. Mand. &c. quos citat & sequitur Garc. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 6. De cetero in ordine ad effectum incompatibilitatis ea solùm parochialia habitu dicenda erunt curata, quando est spes probabilis recuperandi actus, nec sint lapsi anni 40. absque parochianis, idque ex sententia Greg. 13. & S. Congreg. Concil. *super c.* 17. *sess.* 24. *Trid.* Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 120. & 121. Item ea, quæ parochialem non nisi secundariò & accessoriè annexam habent; censeri debere simplicia & non curata, ait Garc. *ibid. n.* 122. citans Menoch. *de arb. l.* 2. *casu* 201. *n.* 67. Felin. *in c. nostra. de rescript.* Decium *in c. ad aures. tit. eod.* & se ipsum *p.* 2. *c.* 4. *n.* 192. & *p. ult. c.* 2. *n.* 12. item quæ ex constitutione vel consuetudine Ecclesiæ habent onus gerendi vices curati in sede illius vacante, non sunt curata; cùm propter solum exercitium curæ accedentale ille vices gerens non dicatur habere beneficium curatum. Garc. *loc. cit. n.* 125. citans Old. *cons.* 102. Decium & Felin. *ubi antè* Menoch. *n.* 68. item ait Garc. *n.* 126. ea quæ habent onus perpetuum administrandi sacramenta & adjuvandi Rectorem, esse adhuc simplicia, eò quòd ex isto exercitio curæ jure penes alium remanente non debet beneficium censeri curatum. Verum subdit Garc. *n.* 127. videri quòad hoc obstare sacram Congreg. cujus declarationem refert *p.* 3. *c.* 2. *n.* 167. uti etiam in ordine ad effectum residendi, illa dicit Garc. *n.* 128. videri curata, quæ curam animarum habent annexam, etsi ea per plures administretur. Denique qualiter in ordine ad personaliter residendum beneficia aliàs simplicia dicenda sint curata, vide Garc. *p.* 3. *c.* 2. *a.* 163. si solùm conjunctam habent præeminentiam in Ecclesia, choro, processionibus etiam supra seniores absque omni jurisdictione & administratione dicitur personatus. Castrop. *loc. cit.* qualis est præpositura in Cathedralibus & Collegiatis insignibus in Germania, Pirh. *ad l.* 3. *tit.* 5. *n.* 10. quamvis autem personatus & dignitates sumantur quandoque pro eodem, argumento *c. cum accessissent. de constitut.* propriè tamen non est dignitas. Hinc si quis impetret literas, ut ei provideatur de personatu; non potest ei provideri de dignitate habente jurisdictionem. Pirh. *loc. cit.* citans Chok. *in precibus primariis sect.* 2. *V. personatus.* Si denique conjunctam habet aliquam administrationem rerum Ecclesiæ sine tali præeminentia & absque omni jurisdictione, dicitur officium. Castrop. & Laym. *loc. cit.* quale est thesaurarii seu custodis, primicerii; &c. qui jure communi & ratione sui officii alios Canonicos non præcedunt: verùm notandum cum Abb. *in c. de multa. de præb. num.* 21. & Tholosano *in instit. novis. c.* 10. *n.* 18. in his omnibus debere attendi consuetudinem locorum; dum quod in una Ecclesia est dignitas, vel personatus, in alia Ecclesia est simplex beneficium; & vice versâ; & quòd in multis locis quodlibet beneficium curatum vocetur personatus. Vide Pirh. *loc. cit.* De cetero beneficiorum horum duplicium alia dicuntur majora, ut Papatus; nam & huic competit nomen beneficii juxta *c.* 1. *de maledicis.* Cardinalatus; dicuntur enim Cardinales adjutores, fratres & consiliarii Papæ, *c. fundamenta. de elect. in* 6. Item Episcopatus, qui & ipse beneficium dicitur *c. felicis. de pœnit. in* 6. tametsi sublimes hæ dignitates communi beneficiorum nomine non veniant in canonibus strictæ interpretationis. Alia dicuntur media. Abb. *in c. majoribus. de præbend. n.* 1. ut sunt ceteræ dignitates. item personatus & officia. Pirh. *loc. cit. n.* 10. quamvis Lott. *l.* 1. *q.* 26. *n.* 20. & *seq.* fusè probet monasteria & Abbatias esse adnumeranda majoribus beneficiis. Beneficium verò simplex dicitur, quod præter ministerium divinas in choro laudes canendi, vel officium divinum legendi, aut certas missas legendi, neque jurisdictionem ullam, neque specialem præeminentiam, neque administrationem habet; tale est omnis Canonicatus etiam Cathedralis tam sæcularis, quàm regularis Capellania. Castrop. Laym. *loc. cit.* citans Pirh *n.* 13. Porrò in dubio non præsumitur duplex, sed simplex, cùm qualitas non præsumatur nisi probetur Tusc. *l.* 6. *concl.* 63. *n.* 4 Garc. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 8. apud Castrop. *loc. cit.* adeoque non neganti sed asserenti beneficio incumbere curam, incumbit probatio Bursat. Menoch. *de arbit. l.* 2. *casu.* 201. *n.* 62. Staph. *de lit. gratia. tit. de stat. benef. num.* 1. & alii apud Garc. *loc. cit. n.* 8.

4. Tertio: dividitur beneficium in manuale & non manuale; manuale est, quod confertur revocabiliter, utpote à conferente ad nutum ex causis aliis, quàm à jure permissis auferibile. gl. *in clem. etsi principalis. de rescrip. V. Electione.* Azor *loc. cit.* talia ferè sunt omnia beneficia regularia, nec curata, nec electiva, ut officium Custodis, Thesaurarii Prioris, intellige Claustralis, qui sub Abbatis obedientiâ constitutus ab eo pro libitu amoveri potest. Rodriq. *regular. qq.* 10. 1. *q.* 34. *a.* 2. Laym. *loc. cit. n.* 5. Non manuale, quòd confertur irrevocabiliter; nimirum in titulum perpetuum non auferibile sinè gravi causa in jure expressâ. AA. iidem juxta *c.* 1. *de constitut.* Pirh. *n.* 16. citans, Laym. qualia spectato jure communi sunt omnia beneficia sæcularia, ideóque in eorum impetratione id exprimendum non est; quia præsumitur id cognitum Papæ.

5. Quartò dividitur in Electivum & Collativum: Electivum est, quod providetur per Electionem à superiore confirmandam, maximè (non tamen unicè, ut vult Corras. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 12. Staph. & alii apud Garc. *l. c. n.* 16. si in Electione servetur forma *capitis quia propter.* Mascard. *de præb. concl.* 172. Navar. *de præb. consi.* 3. Zerol. & alii plures apud Garc.) dum autem quis ita eligeretur ab aliquibus, ut illorum electio non egeret confirmatione, beneficium non tam Electivum, quàm Collativum dicendum est, & ipsa talis electio diceretur provisio. Garc. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 23. & 26. citans pro hoc Rotam contra Oldr. sentientem tale beneficium adhuc Electivum, si aliàs in electione servata fuit forma capitis *quia propter.* Collativum, quod nec electione, nec præsentatione, aut nominatione eget, sed pro libitu habentis ad hoc potestatem confertur. Azor & Garc. *loc. cit.* His additur mixtum, quod nominante seu designante patrono superior confert. AA. iidem. Porrò in dubio nunquam præsumendum est electivum aut mixtum; quia præterquam quod esse electivum & mixtum sint qualitates beneficio extrinsecæ & accidentales, præjudicant provisioni liberæ Ordinariorum. Castrop. *cit. n.* 5. Plures beneficiorum divisiones videri possunt apud Selvam. 1. *p. q.* 2. *n.* 26. Rebuff. Corras. & alios.

Quæres

Quæres 33. *Vndenam deprehendatur, & immutetur status cujusque beneficii?*

1. REspondeo primò: modus ille deprehendendi statum cujusque beneficii est duplex: primus per veram ejus probationem, quæ nimirum elicitur aut ex fundationis tenore. *c. cum monasterium. cum seq. 16. q. 7.* aut ex legitima præscriptione. *c. cum de beneficio. de præbend. in 6.* quæ tamen præscriptio, ubi repugnat statui ultimo beneficii, eget plenâ & concludente probatione. ut Seraph. *decis. 1120. nu. 1.* Lott. *l. 1. q. 34. nu. 18. & 19.* Secundus per probationem præsumptam; quæ nimirum oritur ex simplici ultimo statu, v. g. si beneficium aliquando fuit curatum, postea verò rectum tanquam sine cura, haberi debet pro non curato. Lott. *n.* 20. citans *cit. c. cum de benef.* Bald. *in l. si mater tua. n. 1. Cod. ne de statu defunct.* Felin. *in c. nostra. de præb. n. 44.* Decium *cons. 126. num. 1.* & Rotam: ita ut jam nihil magis protritum, quàm illud; cùm agitur de judicandâ naturâ beneficii, attendendus est ultimus status beneficii. Lott. *nu.* 21. citans Marschot. *var. resol. l. 1. c. 55. per totum.* Genuens. *in praxi Neapolit. c. 101. per tot.* Cujus ratio est, quòd status ille præsens consideretur tanquam subjectum possessionis existentis apud Ecclesiam sivè beneficium: unde consequuntur duo: primum & principale, ne Ecclesia vel beneficium privetur commodo possessionis: alterum ut talis status ab initio censeatur impressus: ut Franc. *in c. postulasti. de jurepat. nu. 1.* & Abb. *in c. 1 bis. tit. eod. nu. 8.* Lott. *num. 22. & seq.* Porrò quia talis status, ut dictum, innititur nudæ & simplici præsumptioni, quemadmodum præsumptio cedit veritati juxta *l. continuus. de verb. oblig.* & *l. ult. quod metûs causâ.* ità & hic status præsumptus cedit proditioni, sivè manifestationi statûs contrarii legitimè impressi, argumento. *cit. c. cum de beneficio* & ibi Gemin. *n. 8.* Franc. *n. 5.* Lott. *à n. 37.* citans insuper Felin. *in c. in nostra. de rescript. num. 44.* & Rotam; cujus ratio est evidens; quia dato statu anteriore legitimè impresso jam non agitur simpliciter de inducendo novo statu, sed simul de immutando præcedente, quæ mutatio contingere non potest, nisi detur status fortior & prævalens; qualis est legitimè præscriptus. Lott. *n.* 39. Ac propterea sicut, cùm agitur ad effectum simplicis justificationis gratiæ, potest constitui perpetua regula, ut sufficiat ultimus status hîc præsumptus, nisi deducatur ex titulo aliquo erroneo, & infecto, vel qui non probatur effectuatus ex subsequente possessione; ita ubi agitur cum tertio, qui probavit anteriorem statum legitimè impressum, nullo modo attenditur status ultimus præsumptus. Lott. *à nu. 40.* citatis pluribus AA. & Rotæ decis. manutentio in quasi possessione non dabitur in præjudicium ullius tertii. Tondut. *p. 3. c. 166. n. 312.*

2. Respondeo ad alterum: ut status præcedens legitimè impressus contrario statu mutetur, debent concurrere plura: Primò tempus 40. annorum completum & continuum. *c. cum de benef.* ubi gl. *V. legitima.* Lott. *l. 1. q. 34. num. 45.* citans Gonz. *gl. 7. n. 24.* Seraph. *decis. 950. num. 2.*

3. Secundò quòd tam provisi quàm providentes intra dictos 40. annos sint in bona fide Lott. *n. 46.* citans Gemin. *in c. cum de benef.* & ibi AA. passim; ita ut bona fides hæc sit continua per totum illud tempus, & non sufficiat (quod voluit Abb. *in c. cum de benef. n. 1.* & eum sequens Gemin. *ibid. n. 9.*) non datâ bonâ fide in primo continuari possessionem cum bona fide per alios; cùm conjungi nequeant tempora ad firmandum statum, sed deducendum veniat totum tempus illud, quo possessor malæ fidei beneficium obtinuit. Lott. *n. 47.* citans Covar. *super reg. possessor. §. 9. num. 6.* & Rotam; subdit etiam Lott. *n. 48.* ex Abb. *in c. consultationibus. de jurep. nu. 5.* induci bonam fidem, & malam excludi; ubi ignoratur status beneficii, secundùm quem provisus illud non potest obtinere.

4. Tertiò potestas mutandi beneficium in ipso collatore, sicut etiam in ipsa institutione seu productione substantiæ & qualitatis beneficii, requiritur factum vel Papæ vel Episcopi; ita in collatione ipsa requiritur alterutrius factum, ita ut inferiores Prælati, etsi ad eos spectet collatio, non possint conferendo mutare statum beneficii. Lott. *n. 49.* citans Lap. Gemin. Archid. *in c. cum de beneficio.* Poterit autem Episcopus, vel alius habens jurisdictionem quasi Episcopalem statum hujusmodi mutare, si duo concurrant: primùm, si ad ipsos pertineat collatio; si enim ad alios spectet collatio, collatio Episcopi utpote nulla nihil operabitur; deficitque in illo bona fides. Alterum ut status præcedens non fuerit inductus per ipsum Papam; sicut enim, ubi Papa prohibet v. g. beneficium conferri aliis, quàm regularibus, si Episcopus conferat sæculari, nihil agit propter expressam prohibitionem superioris, maximè si adjunctum sit decretum irritans; ita ubi Papa statum induxit, non potest inferior illum mutare propter prohibitionem illius tacitam, juxta decis. Rotæ. Lott. *n. 50. & 51.*

5. Quartò: voluntas mutandi debet concurrere ab initio. Lott. *n. 52.* citans Selv. *p. 3. q. 11. nu. 40.* Rebuff. *super concord. tit. de collat. gl. 2. V. regularia.* Rotam. *decis. 368. num. 4. p. 2. in Recent.* Ut autem de voluntate ejusmodi doceatur, necesse est, doceri antiqui statûs scientiam in eo, de cujus voluntate agitur; cùm nemo velle possit, quod ignorat. Lott. *n. 53. & 54.* ubi: quòd ignorantia hæc in dubio præsumatur juxta *c. ignorantiam. de reg. juris in 6.* & quòd, qui scientiam supponit, eam debeat probare juxta *l. omnes. de agricul.* Item necesse est, docere de voluntatis illius manifestatione; cùm voluntate in mente retentâ nihil quæratur *l. si repetendi. c. de condict. ob caus.* Lott. *num. 57.* & quòd illa sit clara & perspicua; unde si detur aliqua compatibilitas cum statu antiquo, non est censendus superior animum habuisse mutandi. Lott. *n. 58.* citans Calder. Sic v. g. si religiosus præponatur Ecclesiæ sæculari, licet eam rexerit per 40. annos, non censebitur Ecclesiæ illius status immutatus de sæculari in regularem; quia nisi superior hoc declaraverit, non censebitur unquam voluisse, ut regularis ibi deserviat regulariter, sed sæculariter; ac ita nequidem simplicem usum circa regimen mutare. Lott. *n. 59.* citans Lap. & Gemin. *in c. cum de benef.* Sic si Episcopus contulit beneficium non factâ mentione jurispatronatûs; non censetur mutatus status, nec interturbata possessio patroni; præsumitur enim, quòd contulerit, si patrono placuerit. Lott. *n. 62.* Sic si Papa in perpetuum provideat beneficium aliàs manuale, sumitur interpretatio pro exclusione voluntatis mutandi statum; quia potest fieri interpretatio pro dispensatione in persona, absque eo, quòd Papa habuerit voluntatem mutandi statum. Lott. *n. 63.* Atque ita licet provisiones Apostolicæ, si de contrario non appa-

appareat, optimè declarent statum; dum tamen agitur de mutatione, vix erit, ut immutent statum beneficii. Lott. *n.* 64. ex Ægid. *decis.* 107. Achill. *de jurep. decis.* 13. *&c.* adeoque etiam non attendunt ad istum effectum tales provisiones, uti nec ipsorum Ordinariorum, ubi constat de statu antecedente contrario. Lott. *n.* 67. Adde quòd in Papa potissimùm concurrat duplex præsumptio non habitæ istiusmodi voluntatis mutandi, nimirum, quia factum circa statum præcedentem ignorat; & quia est difficilis circa usum potestatis in mutando, idque etiam locum habeat, etiamsi Papa provideat motu proprio; quia inde non removetur defectus intentionis ipsius, ut Paris. *cons.* 1. *nu.* 7. *l.* 1. Gab. *de claus. concluf.* 2. *n.* 18. Lott. *nu.* 68. *&* 69. Eadem quòd nimirum ad mutandum statum beneficii præter 40. annos requiratur potestas & intentio mutandi, & ut mutatio facta sit bona fide &c. habet Tond. *in qq. benef. p.* 3. *c.* 166. *n.* 8. Ubi ex Rota dicit hoc intelligendum, quando de legitimo statu anteriore evidenter constat.

Quæres 34. *An beneficium in propriâ suâ significatione comprehendat omnes jam nominatas species: item an sub nomine beneficii absolutè sumpti veniant ea omnes in privilegiis, facultatibus, dispensationibus &c.*

1. REspondeo quoad primum affirmativè (juxta tamen dicta superiùs de perpetuitate *ad q.* 4.) gl. *in c. si gratiosè. de rescript. V. beneficia.* Abb. *in c. postulasti. de rescript. n.* 2. Selv. *de benef. p.* 1. *q.* 3. Garc. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 37. Tusc. *lit.* B. *concl.* 59. Castrop. *loc. cit. n.* 7. Unde etiam, dum à jure in materia, etiam strictâ profertur, nomen *beneficii*, venire omnia curata, & dignitates, nisi exceptio vel ratio singularis beneficia distinguat, docet Felin. *in c. postulasti. n.* 11. Rebuff. Gregor. & alii; quos citat & sequitur Garc. *cit. c.* 6. *n.* 74.

2. Respondeo quoad secundum; in facultate & privilegio alicui concesso conferendi beneficia, comprehendi beneficia omnia tam duplicia, etiam dignitates, quàm simplicia; cùm hæc facultas sit favor, & gratia principis communi juri non derogans, adeoque latæ interpretationis, in quo cessat ambitio; cùm ejus effectus derivetur in alium. Tusch. *loc. cit.* Azor. *loc. cit. c.* 44. *q.* 7. *&* 8. Gonz. *loc. cit. gl.* 6. *n.* 25. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *num.* 8. contra Rebuff. & alios quosdam apud Garc. Neque etiam magnopere præjudicans Ordinario (ut vult Rebuff.) ex eo, quòd is necessario debeat conferre, ut Franc. apud Garc. *n.* 46. quia potestas conferendi datur tali non privativè, sed cumulativè cum Ordinario; vel etiam quia sic jus conferendi Ordinario non minuitur, sed juvatur; quemadmodum fieri non dicitur præjudicium parochis ex eo, quòd religiosis concedatur potestas absolvendi. Castrop. *loc. cit.* Excipiuntur nihilominùs beneficia electiva, eò quòd præsumi nequeat Pontificem velle per talem concessionem mutare naturam beneficiorum, qualiter ea mutaretur in electivis, si independenter ab electione eorum provisionem alicui concederet. Corras. *cit. c.* 5. *n.* 8. Decius *de elect. in c.* 1. *n.* 4. Gambar. *de off. Legati. l.* 3. *n.* 114. Castrop. *nu.* 9. citans Paris. *p.* 4. *cons.* 31. *n.* 21. Gonz. Gomez. & alios contra Selv. *p.* 3. *q.* 11. *n.* 29. Abb. Imol. Staph. Rebuff. Felin. &c. quos citat & sequitur Garc. *loc. cit. n.* 28. *& seq.* fusè probans contrarium, nempe dum simpliciter mandatur provideri de dignitate, vel etiam beneficio primo, quod vacaverit, non expresso aliquo provisionis modo, excludi quoque dignitatem & beneficium electivum.

3. Respondeo tertiò: in facultate alicui concessa, ut provideatur de primo beneficio vacaturo, non comprehendi neque dignitatem, neque etiam Canonicatum Ecclesiæ cathedralis, propter beneficiorum istorum præeminentiam & majoritatem: ut Garc. *num.* 56. sed solùm beneficium simplex, competens tamen; juxta stylum namque & consuetudinem restringitur ex mente concedentis quantùm fieri potest, talis concessio, ne ambitionem foveat. Castrop. *n.* 10. Garc. *loc. cit. n.* 49. *& seq.* citans alios. Tenent hæc, dum talis concessio ad concessionem supplicantis obvenit; secùs, si literæ concedantur motu proprio. Franc. *in c. cum illis. de præb. in* 6. Staph. & alii apud Garc. *n.* 57. etsi ipse censeat tunc adhuc excipi curata, citans pro hoc Abb. *in c. ad aures. de rescript. n.* 5. Gonz. *gl.* 6. *n.* 10. Rotam *decis.* 6. *de præb. in novis.*

4. Respondeo quartò: similiter, vel potiùs à potiori in dispensatione; utpote quæ semper est strictæ interpretationis, non veniunt dignitates, nec præbendæ cathedralis, nec curata; Rota *decis.* 2. *de sitiis presb. in novis.* Menoch. *casu* 201. *num.* 62. Franc. Corras. Rebuff. quos citat & sequitur Garc. *n.* 60. contra Majol. *de irregul. l.* 6. *c.* 9. *n.* 2. Gambar. *de off. Leg. n.* 157 tenentes, quòd dispensatus ad beneficium, sit etiam dispensatus ad beneficium curatum. Addit etiam Garc. *n.* 62. citans pro hoc Rotam, Felin. Selv. Rebuff. simplicem dispensationem ad beneficia non tantùm non comprehendere præbendas, sed nec alia beneficia Ecclesiæ Cathedralis. Nihilominùs dum dispensatio fieret motu proprio, comprehendi adhuc beneficia quæcunque, docent Abb. *in c. in cunctis. de elect. num.* 8. Felin. *in c. postulasti. de rescript. n* 13. Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 1. quos citat & sequitur Garc. *num.* 64. Item comprehendentur omnia (excepto Episcopatu, propter præeminentiam dignitatis speciali notâ dignam; quia est culmen dignitatum. Abb. *in c. cum dilectus. de conceff. præb. n.* 1. & *in c. cum Vintonienfis. de elect. n.* 8. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 11. *num.* 27. Garc. *n.* 66. *& seq.* contra Henriq. *in sum. l.* 13. *c.* 57. §. 5. & alios, censentes dispensatum ad curatum, eo ipso dispensatum ad Episcopatum, & dispensatum ad omnes ordines sacros, esse eo ipso dispensatum ad beneficium curatum etiam Pontificale) si dispensatio est ad quæcunque beneficia; cùm talis dispensatio sit exuberans. Felin. *loc. cit. nu.* 4. Garc. *loc. cit.* citans pro hoc Mandos. Jason. & alios contra Rebuff. & Gonz.

PARAGRAPHVS II.

De conditionibus & qualitatibus Beneficii regularis & sæcularis.

Quæres 35. *Vnde constare possit aut argui, quod beneficium sit regulare?*

REspondeo: de hoc constare potest ex Bullis variis Pontificum: harum enim assertioni, præsertim in materia beneficiali, standum est; præsertim si dictæ assertiones summorum Pontificum essent

essent antiquæ, & sæpius repetitæ per longam annorum seriem, Tondut. *in qq. benef. p. 3. c. 166. n.* 1. citans Mascard. *de prob. concl. 622. n. 6. & 15.* & Mar. Antonin. *Var. resol. c. 20. n. 2. & 3.* quæ Pontificiæ assertiones per multas & repetitas enunciativas, quibus enunciatur beneficium collatum tanquam regulare, cùm dictæ enunciativæ antiquissimæ per longam annorum seriem continuatæ probant verum, & antiquum statum regularem beneficii; quia tales enunciativæ habent vim famæ & privilegii ad effectum regularitatis probandæ. Tondut. *ibid.* citans *n.* 2. Buratt. *decis. 636. num. 4.* & *Rotam decis. 163. p. 1. Recent.* Idem quoque constat ex fundatione, dotatione vel institutione beneficii Azor *p. 2. l. 3. c. 26. q. 3.* Verùm hæc generalia sunt ad probandum quemcunque statum beneficii: specialia verò ad arguendum, beneficium esse regulare, serviunt, quòd sæpius datum fuerit in Commendam; ex quo illius qualitas regularis comprobatur. Tondut. *loc. cit.* juxta Rotæ *decis. 202. n. 4. p. 1. Recent.* Item quia collatum fuit tanquam dependens ab alio beneficio regulari seu domûs cujusdam regularis. Tondut. *n.* 4. ex Ludovis. *decis. 370. n. 3.* Vel etiam, ut Azor *loc. cit.* dum de hac qualitate regularitatis non constat ex fundatione, ea arguatur ex eo, quòd non nisi clericis regulæ certæ religionis astrictis conferatur à collatoribus.

Quæres 36. *Num conditio illa beneficii regularis, quòd nimirum non nisi regulari sit conferibile, juxta* c. cùm de beneficio. de præb: in 6to. *ita eidem inhæreat essentialiter, ut non quandoque à sæculari obtineri & administrari queat?*

REspondeo negativè.

Quæres 37. *Quandonam igitur id fieri possit?*

1. REspondeo primò: ex plenitudine potestatis Pontificiæ; dum nimirum Papa sciens beneficium esse regulare, conferret Clerico, quem scit esse sæcularem. *cit. c. cum de beneficio. in fine*; Dico sciens; si enim aliàs non expressâ qualitate beneficii & personæ impetrantis sæcularis etiam à Papa impetraret quis beneficium regulare, impetratio foret nulla; Gonz. *ad reg. 8. gl. 7. n. 4.* Sanch. *in decal.* apud Castrop. *de benef. D. 1. p. 3. ad initium*; etiam si ea procederet ex motu proprio; cùm hæc clausula: *ex motu proprio*: suppleat solùm subreptionem ex causis extrinsecis, non autem eam, quæ provenit ex personæ inhabilitate, & intrinseca beneficii qualitate. Sanch. *loc. cit.* Idem est dum Papa simpliciter mandâsset Titio (qui est Clericus sæcularis) conferri beneficium: conferri enim nequiret, nisi sæculare; restringi enim deberet talis concessio secundùm qualitatem personæ impetrantis, & materiam subjectam, ut constat ex *c. cùm de beneficio.*

Secundò: urgente necessitate; dum nimirum non adessent idonei regulares, beneficio regulari præfici potest sæcularis, & contra. *c. inter quatuor. de religios. domib. ibid.* Abb. Rebuff. *tit. de dispens. cum regular. n.* 40. Garc. *p. 7. c. 10 n. 16.* citans Corras. Azor *l. 3. c. 26. q. 5.* convenientiùs enim est, beneficium gubernari per Clericos diversæ professionis, quàm omni gubernatione destitui. Pirh. *ad tit. 5. l. 3. n. 116.* Possèque id fieri auctoritate Episcopi, adjicit Azor.

3. Tertiò: ex jure novo (spectato enim jure antiquo, nempe *cit. c. cum de beneficio.* id fieri non poterat; sed nec in hac parte dispensare Episcopus. Castrop. *loc. cit. §. 1. n. 1.*) nimirum Trid. *sess. 14. c.* 10. possunt beneficia regularia (intellige simplicia. v. g. portiones Monachales & Canonicales, & his similia; quæ enim administrationem habent, ut Abbatia, Prioratus, non nisi Professis conferri possunt, ut declaravit S. Congregatio 12. Decemb. Anno 1585.) conferri, etiam ab ordinariis Collatoribus (ut habet eadem declaratio) sæcularibus, qui tamen habitum istius ordinis susciperè statim ac beneficium acceperint, ut censet Castrop. *loc. cit. n.* 2. & professionem emittere (post expletum nimirum annum probationis & non antè; ne professio sit invalida. Garc. *loc. cit. n.* 15. Castrop. *loc. cit.* citans Sanch. *in Decalog.*) teneantur. De ceterò præscindendo ab hoc Trid. concesso nequidem Novitiis conferri posse regularia, etiam simplicia, tenet Garc. *n.* 4. citans pro hoc *c. nullus. de elect. in 6to. Clem.* 1. *de statu Monachorum.* Franc. *in c. Beneficium. de regul. in 6to.*

4. Quartò: minùs propriè ob mutatam qualitatem, dum nimirum beneficium regulare non manens tale transivit jam in sæculare per præscriptionem.

Quæres 28. *Quanam igitur requirantur, ut hâc ratione beneficium regulare per præscriptionem transeat in sæculare, & contra?*

1. REspondeo: requiri, ut in eo ritè & scienter instituti sæculares Clerici, unus (unus enim etiam actus, dum habet tractum successivum, ita ut relinquat effectum continuatum per tempus à jure requisitum ad præscriptionem, eandem perficit) vel plures illud possederint in titulum, & administrârint pacificè, absque contradictione per annos 40. continuos, non obstante, quòd dein iterum institutus regularis illud administrârit, nisi fortè id factum per annos 40. novam inducendo præscriptionem, iterum ex sæculari fecerit regulare, *cit. c. cum de benef.* Garc. *p. 7. c. 10. num. 35.* citans plures Rotæ decis. Gonz. *cit. gl. 7. n. 36.* Sanch. *in decalog. c. 29. n. 17.* Castrop. *d. 1 p. 3. § 4. n. 3. & 2.*

2. Non sufficit itaque primò indulgentiâ & auctoritate Papæ illud possessum jure solùm administrationis aut commendationis, uti videmus hoc modo plures Abbatias, Prioratus, similiáve à Cardinalibus, aliisque Prælatis regularibus possideri, absque eo quòd desinant esse beneficia regularia; cùm non conferantur iis in titulum, sed jure administrationis, & vel hinc non tam conferantur, quàm commendentur. Azor *p. 2. l. 3. c. 26. q. 3.* Castrop. *loc. cit.* Neque rectum fuisse à sæcularibus tanquam Vicariis vel conductitiis Clericis; cùm Vicarius non tanquam Rector in eo constitutus suo, ac velut proprium, sed alieno nomine beneficium possideat. Gl. *in cit. c.* Franc. *ibid. n. 3.* Sanch. *loc. cit. n. 22.* Pirh. *loc. cit. n.* 122.

3. Neque sufficit secundò, sæcularem simpliciter institutum in beneficio ut Rectorem, sed requiritur institutum, ut & instar sæcularis Rectoris. Franc. *loc. cit. n. 9.* Sanch. *n.* 23. Castrop. *n.* 5. Pirh. *loc. cit.* Conrad. *l. 1. c. 6. n.* 328. ubi etiam ostendit unde cognoscendum, an sæculare rectum fuerit per regu-

lares ut regulare: sufficit tamen in prima institutione hanc qualitatem expressam, quia præsumitur successoribus eodem modo conferri, ipsósque possessionem habitam continuare, Felin. *in c. in nostra & c. de rescript. n.* 4. Pirh. & Castrop. *loc. cit.*

4. Non tertiò hoc ipsum adhuc sufficit, nisi insuper hoc fiat, seu hæc qualitas in collatione beneficii exprimatur animo & intentione imprimendi beneficio regulari statum beneficii sæcularis. AA. iidem.

5. Non sufficit quartò decennium, ut volunt quidam putantes, ad hoc ut sæculare beneficium transeat in regulare, requiri annos 40. ut verò regulare transeat in sæculare, sufficere decem; ideo quòd in posteriori statu beneficium quasi reducatur ad primævum statum suum juri conformem; & vel sic præscriptio hæc non tam adversetur, quàm conformetur juri, secùs ac contingit in priore; nam ut legenti textum *cit. c. cum de beneficio.* patet, idem est modus præscriptionis in regulari, qui est in sæculari beneficio; insuper beneficium esse regulare, non est contrarium dispositioni juris, sed potius hæc ejus qualitas habetur ex jure; ut patet ex *cit. C.* Ac denique malè sic dicitur beneficium reduci ad primævum statum suum; quia primævus ejus status non fuit alius, quàm regularis; vel si is fuerit sæcularis, dum beneficium per præscriptionem, vel privilegium mutatum est in regulare, is ita extinctus est, ac si nunquam fuisset. Vide de hoc pluribus Castrop. *loc. cit.*

6. Denique neque hæc omnia sufficiunt ad hoc, nisi in possessore fuerit bona fides; possessor enim malæ fidei nunquam præscribit, Gonz. *gl.* 8. *n.* 35. Sanch. *loc. cit. n.* 26. Pirh. Castrop. *loc. cit.* ultra hæc non requiri titulum, nisi forte, ubi præscriberetur contra jura Episcopalia; de quo vide Pirh. *loc. cit. n.* 121. Porrò quæ hic dicta sunt & requisita ad mutationem beneficii regularis in sæculare per præscriptionem, eâdem ratione applicanda sunt mutationi sæcularis in regulare. Vide dicta §. *præced. ad. q.* 33.

Quares 39. *An & qualiter beneficium regulare sæculari conferri possit?*

REspondeo: posse beneficia regularia sæcularibus conferri, modò habitum suscipere, & lapso probationis anno professionem emittere teneantur. Tondut. *qq. benef. p.* 3. *c.* 196. *n.* 2. juxta expressa verba Trid. *sess.* 14. *c.* 10. ubi: *regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta, si per obitum vel resignationem, vel aliàs in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantùm istius Ordinis, vel his, qui habitum omnino suscipere & professionem emittere teneantur.* Ampliatur hoc ipsum, ut talibus dicta beneficia in eo casu conferri possint etiam ab ipsis ordinariis Collatoribus. Tondut. *loc. cit. n.* 3. citans Barb. *in decis. Apostolicis. c.* 65. *nu.* 1. Hanc tamen esse differentiam inter provisiones tales factas ab ordinariis Collatoribus, & illas, quæ fiunt auctoritate Sedis Apostolicæ, ait Tondut. *loc. cit. n.* 4. ut provisio facta ab ordinario Collatore non sufficiat, nisi provisus per annum integrum permanserit in Novitiatu (pro quo citat seipsum Tondut. *qq. benef. p.* 1. *c.* 87. & 88.) in provisi verò Apostolici literis soleat apponi clausula illa: *ut is coram certis Commissariis à Papa ad id deputatis intra tempus assignatum, vel statim professionem emittere possit & debeat:* quod enim dicitur professionem emissam ante expletum annum Novitiatûs esse nullam, procedit solùm in professione emissâ in Claustro, & coram Superiore regulari; de qua loquitur Trid. *sess.* 25. *c.* 15. & *c. officii. de Elect. in fine.* Dum autem ad effectum collationis beneficiorum deputantur Executores, qui ex *reg.* 59. *Cancell.* possunt recipere ad professionem provisum etiam nondum elapso anno Novitiatûs, non est expectandum aliquod tempus, sed est arbitrarium Executori, ad quem spectat præficere monasterio, ut hoc faciat secundum rei & personæ qualitatem. Tondut. *n.* 5. *in fine* citans Abb. *in cit. c. officii. num.* 5. Quòd si tamen in rescripto ad possessionem certum tempus constitutum est, illud observandum est. Tondut. *loc. cit. n.* 6. Non poterit tamen Ordinarius illa beneficia conferre sub conditione futuræ professionis, si ea administrationem habent; quia in illis requiritur professio expressa tempore collationis factæ per Ordinarium. Tondut. *loc. cit. n.* 7. citans Gonz. *gl.* 8. *n.* 75. qui dicat, sic declaratum à S. Congregatione Concil. Trid. item Barb. *ad Trid. sess.* 13. *c.* 10. *n.* 10. De cetero etsi communis regula sit: regularia beneficia regularibus, & sæcularia sæcularibus conferenda sunt. *c. cum singula. de præb. in* 6. *Clem.* 1. *de elect.* poterunt tamen regularia sæcularibus manentibus talibus, & contrà sæcularia regularibus conferri in subsidium; nimirum deficientibus personis capacibus. Tondut. *loc. cit. num.* 23. citans Gonz. *gl.* 8. *n.* 43. Garc. *p.* 7. *c.* 10. *n.* 16.

Quares 40. *An beneficium regulare unius ordinis haberi possit à religioso alterius ordinis?*

REspondeo negativè: Trid. *sess.* 14. *c.* 10. Nav. *cons.* 4. *de regular. n.* 23. Rodriq. *qq. reg. to.* 1. *q.* 34. *a.* 8. Sanch. *l.* 7. *in Decal. c.* 29. & alii apud Castrop. *loc. cit.* §. 1. *n.* 3. qui etiam addit citans pro hoc *c. cum singula. de præb. in* 6*to. Clem.* 1. *de suppl. negl. præl.* beneficium regulare solitum administrari per religiosos alicujus Conventûs non posse aliis religiosis, etsi ejusdem Ordinis conferri; cùm religiosi istius Conventûs privari nequeant jure habito ad tale beneficium.

Quares 41. *An monachus eoipso, quo monachus est, regulare beneficium habeat; hoc est, an monachatus sit beneficium regulare?*

REspondet affirmativè Gl. *in clem. Dispendiosam* &c. *de judiciis V. beneficiis.* sentítque monachatum esse beneficium non secùs ac Sacristæ, conferrique hoc ipso, quòd à Superiore in monachum quis recipitur; ac ideo habet jus petendi alimenta ex ipso Cœnobio. è contra negat Abb. *in cit. Clem.* monachum habere simpliciter ac propriè officium vel beneficium, sed solum votum in Capitulo, & ratione hujus jus quoddam spirituale & simile in multis juri, quod habet verus beneficiatus; secùs tamen sentit de Canonico regulari. Abbati adhæret Azor. *loc. cit. q.* 7. idem docet Lott. *l.* 1. *q.* 33. *n.* 24. *& seq.* dum ait, portionem illam, quam quilibet monachus vel regularis sumit de mensa monasterii, minùs propriè dici beneficium regulare; nisi fortè agatur de Canonicis regularibus, & quidem Cathedralis Ecclesiæ alicujus, existentis nimirum in manibus regularium ex institutione, privilegio, vel consuetudine.

Quares

Quæres 42. *Num monasteria censeantur beneficia majora?*

REspondeo: juxta Abb. *in c. per tuas. de Simon.* nu. 7. Jo. Andr. *in c. majoribus. de præb. n.* 1. censeri inter beneficia medium locum tenentia, juxta Lott. verò, qui pro hoc quoque citat Tholos. *de benef. c.* 10. *num.* 9. & alios. *l.* 1. *q.* 26. *n.* 6. *& n.* 17. *& seq.* ubi id fusè probat, spectare ad beneficia majora ex prærogativa dignitatis, ordinationis, & symbolizationis, quam habent tum cum Episcopatibus, in quantum nimirum Abbas est pastor monachorum, non secus ac Episcopus aliorum. *c. officii. de Elect.* nec secus ac Episcopus per Electionem Conventûs, & confirmationem Papæ constituitur, ac inde recipit ordinariam jurisdictionem cum mero imperio in monachos sibi subjectos, & quidem immediatè à Pontifice stante etiam monasterio Abbati pro territorio. *c. illorum. de sent. Excom.* Tum cum Ecclesiis Cathedralibus in multis, maximè in puncto provisionis. *c. siquis deinceps.* 16. *q.* 7. quatenus nimirum servatur in providendis Abbatiis per ipsum Pontificem eadem forma, quæ servatur in providendis Cathedralibus seu Episcopatibus. Vide de his Lott. Loquitur autem is de monasteriis seu Ecclesiis monasteriorum, quæ Abbatiæ regulares dicuntur.

Quæres 43. *Cujus auctoritatem necesse sit intervenire in erectione Ecclesiarum conventualium & regularium ac monasteriorum?*

1. REspondeo primò: necesse est, ut interveniat licentia Episcopi diœcesani. *c. quidam.* 18. *q.* 2. Trid. *sess.* 25. *de regular. c.* 3. Tamb. *de jure Abb. to.* 3. *D.* 5. *q.* 1. Miran. *to.* 1. *q.* 33. *a.* 1. Ita ut nec religiosi exempti possint ædificare in loco non exempto absque consensu Episcopi; Ricci. *p.* 4. *decis.* 168. Barb. *de jure Eccl. l.* 2. *c.* 12. *n.* 6. Nec sufficit ad hoc consensus Vicarii Episcopi, Calder. *de off. Vicarii. cons.* 3. Necessarius tamen non est consensus Episcopi ad mutationem Monasterii de loco in locum. Barb. *loc. cit.* uti nec ad ampliationem monasterii. Barb. *n.* 10. citans Rodriq. *to.* 1. *q.* 49. *a.* 9. sufficitque post Ecclesiam constructam. Ricc. Barb. *ll. cit.* Porrò declaravit Clem. 8. in constitut. suâ, quæ incipit: *quoniam &c.* non posse Ordinarios dare hanc licentiam ad ædificandos novos Conventus cujuscunque mendicantium ordinis (censuit S. Congregatio 19. Decemb. Anno 1620. comprehendi etiam monasteria monialium. Barb. *loc. cit. n.* 7.) *nisi vocatis prius & auditis aliorum in iisdem civitatibus, & locis, ubi ædificandum est, Conventuum Prioribus & Superioribus, & aliis interesse habentibus, & causa, servatis servandis, cognita constiterit &c.* quam constitutionem innovavit & ampliavit Greg. 15. in constitutione, quæ incipit: *Cum aliàs* &c. *die* 17. *Aug. Anno* 1622. prohibendo, ne erigantur hujusmodi monasteria, nisi in iis saltem 12. monachi seu religiosi habitare, ac ex reditibus & consuetis eleemosynis sustentari valeant (comprehendi etiam monasteria non mendicantium, indicat Barb. *n.* 18.) & nisi Priores seu Procuratores aliorum monasteriorum non solùm in prædictis, sed etiam in aliis per 4000. passuum circùm vicinis locis ad id vocati & auditi fuerint, & erectioni tali consenserint. apud Barb. *loc. cit.* Unde ab his Pontificiis dispositionibus induci formam hujusmodi concessioni Episcopali, ita ut ejus omissio non solùm illicitam, sed & invalidam reddat concessionem, tenent Tamb. *loc. cit. n.* 11. Ricc. *p.* 2. *decis.* 75. Gratian. *discep. forens. to.* 3. *c.* 527. & alii, quos citat sequiturque Barb. qui & addit ex decis. Rotæ 30. *p.* 3. *divers.* dispositiones illas non habere locum, ubi non adessent alii mendicantes, ut ex Ricc. *p.* 4. *decis.* 168. in mutatione unius monasterii in alium locum.

2. Respondeo secundò: præter præfatum Episcopi consensum requiri adhuc summi Pontificis auctoritatem; nam *c.* 1. *de excess. præl. in* 6. & *c. unic. de relig. domib. in* 6. statuitur, ne Prælati religionum recipere valeant Conventum, seu locum sinè speciali Sedis Apostolicæ indulgentiâ, non obstantibus quibuscunque privilegiis, nisi de hac prohibitione specialem mentionem faciant. Tamb. *loc. cit. n.* 3. Barb. *loc. cit. n.* 11. Neque hanc juris communis dispositionem abrogavit Trid. *loc. cit.* Sed solùm statuit, ut alia insuper adhiberetur licentia, nempe Episcopi, ut declaravit S. Congregatio teste Campanil. apud Barb. uti & factas à Pontificibus concessiones variis religiosis ædificandi ubique de sola licentia Ordinarii, revocavit Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum & regularium præpositorum, approbante Greg. 15. 17. Aug. Anno 1621. & latissimè motu proprio Urban. 8. *in constit. Romanus Pontifex.* 24. *Aug. Anno* 1624. de qua vide Barb. *n.* 15. uti & 17. *& seq.* multa de monasteriorum subjectione, & exemptione à jurisdictione Ordinarii, & in qua distantia ab aliorum ordinum monasteriis ædificandum.

Quæres 44. *Num regularia beneficia esse possint in Ecclesia sæculari & contra?*

REspondeo: posse esse in Ecclesia regulari Capellanias sæculares manuales nullum titulum præbentes, ac proinde æquipollentes illi missarum celebrationi, quæ ex devotione à divina eleemosyna fit; ita tamen ut si exigatur, contribuere teneantur in impensas desuper necessarias candelarum, vini, hostiarum, paramentorum; secùs tamen est de Capellaniis vel beneficiis perpetuis in titulum. sic decisum, ait C. de Luca. *de regular. D.* 1. *n.* 65. Vide eundem *de regul. d.* 64. *n.* 4. *& seq.* ubi ait: posse in Ecclesia regulari inservire Clericos sæculares, ibique capellas seu beneficia habere, modò non sint in altari majore, adeò, ut redoleant ipsius Ecclesiæ principalem Rectoriam seu Prælaturam: uti & è contra Regulares in Ecclesiis sæcularibus; utpote quæ habent usum precarium Ecclesiarum sæcularium, earum naturam non immutant. Posse etiam in Ecclesiis regularium esse vera beneficia sæcularia ex fundatione manentia talia, ostendit Corrad. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 329. *& seq.* Hinc

Quæres 45. *Num Capellaniæ fundatæ in monasteriis regularium, & in Ecclesiis Ordinum militariū, sint sæculares, an regulares?*

1. REspondeo primò: hoc ipso non esse regulares: dubium enim non est posse in iis fundari Capellanias non nisi per sæculares Clericos administrandas, accedente consensu Ordinarii & Conventûs. Lamb. *p.* 1. *l.* 1. *q.* 3. *a.* 16. & alibi Garc. *p.* 7. *c.* 10. *n.* 37. quos citat & sequitur Castrop. *loc. cit.* §. 4. *n.* 6. unde

2. Respondeo secundò: si ex fundatione constet eas fundatas esse, ut per sæculares administrentur, erunt sæcularia beneficia; idem est, dum de facto per sæculares administrantur; non autem constat ex fundā-

fundatione aut per præscriptionem à regularibus institutos. Castrop. *loc. cit. n. 5.* Qui tamen paulò post addit sequentia: Quòd si tamen ex fundatione non constet pro sæcularibus tales Capellanias esse institutas; neque etiam constet per sæculares 40. annis gubernatas esse, præsumendæ sunt regularia beneficia; eò quòd fundatæ sunt in monasteriis ac conventibus; quia non est facilè præsumendum, conventum consensisse, ut tales Capellaniæ sibi unitæ à sæcularibus gubernarentur. Mascard. *de prob. concl.* 172. *n.* 17. Rodriq. *loc. cit. n.* 3. Sanch. *loc. cit. n.* 27. quos citat Castrop.

Quæres 46. *An à regularibus in titulum haberi possint beneficia sæcularia simplicia, non facta regularia per præscriptionem v. g. Canonicatus, Vicariæ, non curatæ &c.*

1. REspondeo negativè: *c. cum de beneficio. c. super eo. de regular.* Tamb. *de jure Abb. to.* 3. *d.* 9. *n.* 4. expresè loquens de monachis. Less. *de just. l.* 2. *c.* 41. *nu.* 99. (addens quoque hanc rationem, quòd in beneficiis simplicibus cesset ratio curæ & doctrinæ, ob quam promotio regularis ad Ecclesiam sæcularem est concessa) Covar. *de testam. l.* 3. *c.* 2. *num.* 3. Sanch. *l.* 7. *in Decal. c.* 29. *n.* 75. Garc. *p.* 7. *c.* 10. *nu.* 28. Suar. *de relig. to.* 4. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 26. & alii cum communi, quos citat Castrop. *loc. cit. p.* 3. §. 1. *nu.* 5. Extenditque se responsio etiam ad Canonicos regulares: sic enim expresè decisum à Rota, & S. Congregatione super c. 10. sess. 14. Trid. apud Garc. *n.* 29. & 31. sic sentire omnes, ait Tondut. *qq. benef. p.* 1. *c.* 180. *n.* 10. excepto Viviano solo, quem meritò reprobat Corrad. *in pr. dispens. l.* 6 *c.* 1. *n.* 26.

2. Neque in hoc dispensare potest Episcopus, cùm nullibi hæc potestas ei collata reperiatur. Abb. *in c. quod Dei. de statu monach. n.* 5. Less. *l.* 2. *c.* 41. *nu.* 99 apud Pirh. *ad tit. de præb. n.* 117. Sanch. *loc. cit. n.* 76. Castrop. *loc. cit.* Tondut. *loc. cit.* citans Corrad. *ubi antè.* Potest verò dispensare Pontifex, ut non secùs habeant ea in titulum, quàm Abbatias suas, utpote quod non nisi jure Ecclesiastico statutum. Pirh. *loc. cit.* Navar. *comment.* 4. *de regul. n.* 69. Garc. *loc. cit. à n* 38. Nec obstat, quòd *c. cum ad monasterium. de statu monach.* dicatur abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò annexa est regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiâ dare &c. Nam præterquâ quòd Papa in voto solenni religionis dispensare possit, eò quòd solennitas voti sit de jure positivo Canonico, ut habet communissima Theologorum, & Canonistarum; de quo vide Abb. *ad cit. c. cum ad monast.* Felin. *in c. si quando. de rescript.* Menoch. *de præsump. l.* 2. *præsump.* 10. *n.* 33. Less. *l.* 2. *c.* 4. *dub.* 11. Valent. *to.* 3. *d.* 6 *q.* 6. *p.* 7. Sanch *de matrim. l.* 8. *d.* 8. & alios quàmplurimos congestos apud Garc. *loc. cit. num.* 43. qui & ipse *numeris seq.* id fusè probat: præterquam etiam, quòd voto solenni paupertatis non nisi ex constitutione Ecclesiæ repugnet dominium retinendum vel acquirendum, sed magis usus. Garc. *n.* 64. & 87. Azor. *l.* 12. *c.* 6. *q.* 4. cum communiore; adeóque Papa dispensare possit, ut etiam manens monachus professus obstrictus voto solenni haberet dominium fructuum beneficii: præterquam denique, quòd verè religiosus esse possit absque voto solenni, ut constat ex constit. Gregor. 15. contingere in Societ. Jesu: Præter hæc omnia, inquam, opus non est indulgere ex hoc capite religioso proprietatem, neque propter hoc eum eximere aut extrahere à religione, sed sufficit talem regularem manentem regularem habere dispensationem & administrationem rerum, qualem aliàs habent beneficiati regulares fructuum suorum beneficiorum regularium. Garc. *n.* 88. Nav. *de redit. Eccl. q.* 1. *monito* 8. & 10 quem vide, & apud Garc. *n.* 89. alias interpretationes cit. c. *cum ad monast.*

Quæstio 47. *An constituti in ordinibus militaribus habere possint beneficia sæcularia?*

REspondeo: si verè religiosi sunt, hoc est, tria vota substantialia emiserunt, ut milites S. Joannis Hierosoly. & Teutonici; beneficia sæcularia habere non possunt Garc. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 21. Navar. *l.* 3. *de regular. cons.* 10. *n.* 9. Rodriq. *qq. regul. to.* 1. *q.* 34. *a.* 5. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 8. *n.* 42. Lamb. & alii apud Castrop. *loc. cit. p.* 3. §. 3. *n.* 1. quibus licet ipse consentiat, *num.* tamen *seq.* contrarium censet probabile, citátque pro hoc Sanch. *in Decal. l.* 6. *c.* 29 *n.* 103. citatúsque ab eo Gamb. *de off. legati. n.* 269. sic idem probabile esse docet Pelizar. *in man. regular. to.* 2. *tr.* 8. *c.* 6. *sect.* 4. *n.* 234. loquens expresè de militibus S. Joannis, dátque Castrop. hanc rationem, quòd hujusmodi milites in communi modo vivendi statum sæcularem habeant, & sæculares reputentur; quòd autem capaces sint beneficiorum regularium, intellige proprii ordinis, id esse favorem religionis, adeóque inde non inferendum, non esse capaces sæcularium. nam facilùs id concedendum puto istiusmodi militibus, cùm propriè religiosi non sint, eò quòd castitatem non nisi conjugalem voveant. Vide plura de his militibus apud Azor. *tom.* 1. *l.* 13. *c.* 3. Garc. *p.* 1. *c.* 4.

Quæres 48. *Vtrum Novitio conferri possit beneficium sæculare?*

REspondeo: conferri posse validè. Sanch. *in Decal. c.* 4. *num.* 22. Castrop *de benef. d.* 1. *p.* 2. § 5. Garc. *p.* 7. *c.* 10. *n.* 5. manet enim sui juris; nec minùs capax est recipiendi tempore Novitiatûs novi beneficii sæcularis, quàm ante Novitiatum habiti retinendi; Neque etiam per acceptationem illius renunciare censetur religioni; cùm possit eo animo acceptare, ut si religio non placeat, illud possit retinere; sin minùs professione factâ vacet: unde jam sequitur primò: quòd novitius cum alio beneficium suum commutare possit non secùs ac alius Clericus sæcularis. Sanch. *loc. cit. n.* 22. Pirh. *loc. cit. n.* 123. Secundò: si beneficium vacet, quòd ex fundatione sua v. g. debetur primogenito familiæ, & is sit Novitius, nequaquam possit conferri alteri; sed conferendum illi, vel differendam illius collationem, si potest, quousque ille professionem emittat. Sanch. *n.* 23. Castrop. *n.* 6. His tamen non obstantibus minùs decens est dare Novitio beneficium sæculare (intellige quod ei aliàs debitum non est) ne ei ansa detur redeundi ad sæculum. Castrop. *loc. cit. n.* 5. Pirh. *loc. cit.*

Quæres 49. *Num regularis etiam monachus citra dispensationem obtinere possit Episcopatum etiam in sæculari Ecclesia?*

REspondeo affirmativè: *Clem.* 1. *de elect.* c. *si religiosus.* c. *nullus religiosus.* c. *quærendum. de elect. in* 6. Garc. *loc. cit. n.* 30. cum communi.

Quæres 50. *An nomine dignitatis Episcopalis, ad quam evehi potest religiosus, comprehendantur etiam quælibet aliæ Prælaturæ habentes propriè curam animarum?*

REspondeo utrumque videri probabile. affirmativam tenet Less. *l.* 2. *de just. c.* 41. *n.* 99. inquiens: regu-

regularis capax est dignitatis in Ecclesia sæculari, v. g. Præposituræ, Decanatûs; si propriè habent curam animarum sæcularium &c. item Gl. *in cit. clem.* & Imol. *n.* 4. Franc. & Jo. And. *in c. si religiosus.* Abb. *in c. Dei timorem. de statu regul. n.* 5. & alii apud Castrop. *loc. cit. n.* 6. in idem inclinare videtur Engels *ad tit. de Capell. monachorum. n.* 6. etiam absque eo, quòd limitationem istam addat: modò sint propriè curata; quin & Less. *loc. cit.* subjungit: si verò istæ dignitates non habent curam animarum, nisi respectu Capituli, dubium est; tamen probabile est, esse & tum religiosum earum capacem; quia nusquam prohibetur, ita Sylv. *V. religio.* 7. *q.* 4. & 6. ex Abb. ad hoc tamen, ut addit Less. & alia beneficia sæcularia non est regularis promovendus, nisi necessitas, vel magna Ecclesiæ utilitas postulet, ne & monasteria præcipuis viris spolientur, & ambitioni porta aperiatur. De cetero contrarium sentientibus Castrop. *n.* 7. Suar. *de relig. to.* 4. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 27. & aliis pluribus, quos refert Mandos. *de signat. gratiæ. tit. Dispensatio pro obtin. benef.*

Quæres 51. *An beneficia parochialia seu curata sæcularia, carentia jurisdictione fori externi, citra ullam dispensationem religiosi professi etiam monachi, quin & mendicantes obtinere possint?*

1. REspondeo affirmativè: scilicet monachos (etiam mendicantes; nullus enim in jure textus est, qui hos excipiat. Sanch. *cit. l.* 7. *c.* 29. *n.* 37. Less. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 12. *num.* 98. Castrop. *loc. cit. n.* 12. contra Duennam. Rodriq. Imol. Rebuff. relatos à Sanch.) non solùm ad tempus & in Commendam sed & in titulum istiusmodi beneficia obtinere posse, quantum est de jure antiquo. *c. quod Dei timorem. de statu monachorum.* Castrop. *loc. cit.* Pirh. *loc. cit. n.* 118. etiamsi officio concionandi inepti sint, modò aliàs apti sint ad docendum parochianos; quod munus docendi videtur in cit. textu venire nomine officii prædicandi Sanch. *in Decal. loc. cit. num.* 4. Lamb. *l.* 2. *p.* 1. *q.* 7. *a.* 19. *n.* 22. Garc. *p.* 7. *c.* 10. *num.* 18. Castrop. *loc. cit.* contra Rosel. Sylv. &c. apud Garc. nullâ iis ad hoc opus dispensatione Episcopi. Tamb. *de jure Abb. to.* 3. D. 9. *n.* 5. Covar. *c.* 2. *de testam. num.* 3. Lamb. *num.* 13. Sanch. *loc. cit. n.* 35. citans quàmplurimos contra Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 7. *num.* 52. Bellamer. apud Castrop. Si enim hâc egerent, nequaquam diceretur *cit. c.* eos ad regimen parochialium ordinari posse: non enim dicitur, posse fieri, quod extraordinario remedio, quale est dispensatio, eget, ut Castrop. *loc. cit.* ex Innoc. Sed neque egentibus eâ indirectè, quatenus assumpti ad talia beneficia vivere debent extra claustra, administrare fructus beneficii, déque iis disponere: ad hoc enim iis potestatem facere potest religiosus eorum Prælatus, & non Episcopus. Quinimo dum tale beneficium pleno jure subest Conventui vel Prælato regulari, potest is independenter ab Episcopo illud suo religioso conferre (etsi & tunc Episcopi sit, illum examinare & visitare, ut constat ex Trid. *sess.* 7. *c.* 7. *sess.* 24. *c.* 3. & 18. *de reform.* nisi fortè Prælatus ibi haberet jurisdictionem quasi Episcopalem; tunc enim ad eum quoque spectat examinare ad beneficia parochialia & approbare Confessarios, ut probat Less. *l.* 2. *loc. cit. num.* 98.) secùs ubi beneficium non ita subest Conventui. Opus enim tunc est præter consensum Prælati auctoritate Episcopi, non secùs ac dum sæcularis Clericus assumitur. Castrop. & Less. *loc. cit.* ita etiam, ut tunc à Prælato suo nequeat deponi; quia quoad hoc exemptus est ab illius jurisdictione, & subjectus Episcopo. Less. *n.* 16. remittens ad C. *in Parochia. 16. q.* 1. & Sylvestrum.

2. Limitat tamen hanc ipsam doctrinam quòd regulares attento jure communi absque ulla dispensatione habere possint sæcularia curata primò, nisi speciale religionis alicujus statutum obstat, vi cujus ad nullum beneficium sæculare promoveri possint, ut contingit in Societate Jesu. Secundò: modò concurrat utilitas aut necessitas Ecclesiæ sæcularis curatæ, eòquòd talis concessio juris dimanârit ad favorem boni animarum, adeóque dicta necessitas aut utilitas exigat, ut monachus tali Ecclesiæ præficiatur. Tamb. *loc. cit. n.* 6. & 7. citans Sanch. *in Decal. loc. cit. c.* 41. *num.* 99. Rodriq. *qq. regular. to.* 1. *q.* 34. *num.* 5. *&c.* Tertiò: modò Ecclesia illa, cui regularis præficitur, sit actu curata, non autem solùm habitu, eòquòd, ut dictum, privilegium illud à jure concessum regularibus in favorem animarum, quod tunc cessaret, quando Ecclesia non esset actu curata. Tamb. *num.* 8. citans Sanch. *ubi antè n.* 41. Quartò: modò non sit præscriptio quadragenaria, ut Ecclesia illa regatur per sæculares cum exclusione regularium. Tamb. *n.* 9. citans Sanch. *ubi antè num.* 42. Selv. *de benef. p.* 3. *q.* 11. *num.* 133. *&c.* Quintò: modò regularis sui superioris licentiam obtinuerit. Tamb. *nu.* 10. juxta *c. religiosus. de elect. in* 6. Ac denique limitatur à Tondut. *qq. regular. benef. p.* 1. *c.* 180. *num.* 12. & aliis, modò habeat sic provisus socium ejusdem ordinis juxta. *c. Monachi. de statu Monach.*

Quæres 52. *Quid ergo de jure novo?*

REspondeo: jure novo citra privilegium beneficia sæcularia curata habere non possunt monachi; Conrad. *p.* 2. *dispens. l.* 6. *c.* 1. *n.* 18. citans binas S. Congregationis declarationes. Castrop. *loc. cit. n.* 10. Garc. *n.* 20. 21. & 31. citans Felin. Rebuff. Covar. Bellam. Navar. item Suar. *de relig. to.* 4. *tr.* 8. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 27. Rebuff. *in pr. de dispens. cum regular. num.* 5. & omnes pro responsione nostra ad seq. quæstionem citandi contra Engels *ad tit. de Capell. Monach. à n.* 8. citantem Less. Azor. Tamb. &c. (qui tamen plerique loqui videntur de jure communi; cùm se fundant in *c. quod Dei timorem. de statu Monach.*) & fusè probantem contrarium; siquidem ex Concil. Lateran. sub Alex. 3. in *c. Monachi &c. de statu Monachi.* id quod jam aliàs permissum revocari videtur, & prohiberi. Garc. *n.* 21. ad quod se revocans S. Congregatio *ad c.* 10. *sess.* 14. Trid. ait: *Regulares sunt incapaces beneficii simplicis, non autem curati juxta dispositionem c. quod ad Dei timorem; licet non hodie, cum obstet Concilium Lateran.* in declatione verò ad c. 18. sess. 24. ait: *quæritur an Ecclesia parochiali ex necessitate, nempe ob penuriam sacerdotum regularis perpetuò præfici possit; respondit S. Congregatio, permitti posse, ob id autem hodie necessariam esse dispensationem contra opinionem communem antiquorum* DD. quod ita de stylo observari consuevit, &c. insuper de regulari translato ab uno ad alium ordinem expressè ait ipsum Trid. *sess.* 14. *c.* 11. quod etiamsi Canonicorum regularium fuerit,

ad beneficia sæcularia etiam curata omnino incapax existat. Neque in hoc etiam, cum non translatis dispensare posse videtur Episcopus; cùm non possit contra Canones & Concilia dispensare. Garc. *n.* 21. Affirmátque apud Eundem & apud Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 7. *n.* 54. Mandos. *in praxi sign. gratiæ. tit. de dispens. Monach. pro benef.* hodie non dispensari cum Monacho ad beneficium curatum obtinendum, prout in Bulla Pauli IV. continetur, quæ est constitutio illius 28. & incipit: *Postquam divina bonitas. de dato* 13. *Cal. Aug.* 1558. ubi etiam dispónitur privari quibuscunque beneficiis, etiam curatis, regularem, qui absque Apostolica dispensatione illa obtinuit. Gonz. *loc. cit.* In necessitate autem, dum nimirum non inveniuntur Clerici sæculares idonei, censet Castrop. *n.* 11. beneficia talia non esse adhuc conferenda regulari in titulum, sed in Commendam ex eo, quòd alius provisionis modus non sit necessarius, & hic sit aptior: poterit siquidem, quandocunque reperietur minister sæcularis idoneus, removeri, & sic decisum videatur à S. Congregatione in declaratione *ad c.* 18 *sess.* 24. Trid. poterítque hoc ipsum facere Episcopus, prout habetur in eadem declaratione. Vide Garc. *n.* 31. Observandum etiam quod ait Lott. *l.* 1. *q.* 34. *n.* 60. *&* 61. nihil prohibet, quò minùs regulares promoveantur ad Parochialem, non tanquam claustralis, sed tanquam rector & Clericus sæcularis, ita ut tanquam alienatus à monasterio, cum eo nullam retineat communicationem, nec (tantùm si aliàs non deberet stare solus. Gl. *in c. unicum. de supplend. neglig. prælat. V. revocari.*) tenetur ibi habere socium, ut voluit Abb. *in c. constitutis. de elect. n.* 2. & hinc est, quòd licet regularis non possit præsentari ad beneficium consuetum regi per sæculares; id tamen intelligendum sit, si præsentetur tanquam claustralis, non verò si præsentetur ut sæcularis Clericus Gl. *in Clem. unicam. V. sæcularibus. de supplend. neglig. prælat.* ita Lott. circa quod tamen adverte, quod ait Card. de Luca, *de regular. D. 36. n.* 11. certum est, quòd admissâ illâ facultate (nimirum habendi Parochialem sæcularem) illa non solvit à vinculo religionis, neque religiosum professum efficit Clericum sæcularem, sed solùm eum habilitat, ut vivere possit extra claustrum in habitu Clerici sæcularis sub jurisdictione Ordinarii; ut quandoque per gratiam specialem concedi solet aliquibus religiosis ex pio motivo.

Quæres 53. *An etiam jure novo ab habendis beneficiis istiusmodi curatis excludantur Canonici & Clerici regulares?*

1. REspondeo affirmativè: Pirh. *loc. cit. num.* 118. Garc. *n.* 33. citans pro hoc Gonz. *gl.* 7. *n.* 53. (ubi is expresè: hodie nulli regulares, etiamsi sint Canonici, habere possunt sine dispensatione Apostolica beneficia curata, neque in perpetuum neque ad tempus, & quidem in editione noviffima de Anno 1676. etsi Tamb. *loc. cit. n.* 12. dicat, quòd Gonz. in posteriori editione sui operis de veritate melius edoctus sententiam oppositam tenuerit, idémque de eo testetur Corrad. *in p.* 2. *disp. l.* 6. *c.* 1. *n.* 10. quod *loc. cit.* nempe *n.* 53. in addit. in secunda impressione dicat, quòd re maturiùs consideratâ contrarium est tenendum; tum quia de jure communi Canonicus regularis potest obtinere Parochialem, *c. quod Dei timorem*; tum etiam quia per Concil. Trid. non modò est aliquid abrogatum, imò potius approbatum *sess.* 14. *c.* 11. dum statuit, quòd hujusmodi Canonici translati de uno ad alium Ordinem non possint obtinere beneficia curata: unde quoad non translatos videtur Concilium approbare dispositionem juris communis) & Prosperum de Augustino *in appendice bullarii V. regular. Canon. pag.* 577. sic expresè tenet Corrad. *loc. cit. n.* 13. ubi, postquam oppositæ sententiæ fundamenta omnia retulisset, concludit his verbis: *absolutè dicendum, Canonicis regularibus non posse citra Sedis Apostolicæ dispensationem concedi Parochialem Ecclesiam, prout non modò testantur omnes peritissimi, & antiquissimi Curiales, sed & multi Pontifices significarunt teste Sanch. in Decal. to.* 2. *l.* 7. *c.* 26. *num.* 71. testatúrque idem Corrad. sic resolutum per S. Congregationem præpositam negotiis Episc. & regular. *in una Cremon. de Anno* 1630. (vel ut habet Barb. *Anno* 1603.) his verbis: *Canonici regulares non obstante c. quod Dei timorem. non admittantur ad curam Parochialium Ecclesiarum absque Sedis Apostolicæ dispensatione &c.* item Barb. *juris Ecclesiast. l.* 3. *c.* 4. *num.* 80. citans pro hoc Navar. *in summa Bullar. tit. de Canon. regular. n.* 2. Mirand. *in man. Prælat. to.* 1. *q.* 32. *a.* 5. Laurent. de Franchis *de controv. inter Episc. & regular. in quæst. var. q.* 86. Sanch. *ubi ante &c.* ac dicens, quamvis contrarium viderit in Curia ad instantiam Canonicorum regularium Lateranensium per aliquos advocatos approbatum; sibi tamen non minimum injectum scrupulum per aliam DD. resolutionem asserentium dispositioni istius *cap. quod Dei timorem.* fuisse derogatum per concordata Concilii Lateran. sub Leone X. & sic jam non licere Canonicis regularibus sæcularia beneficia curata obtinere. Item Tondut. *qq. benef. p.* 1. *c.* 18. *n.* 15. ubi ait; cum hac sententiâ concludendum, & non esse recedendum à dictæ Congregationis declaratione; etsi fateatur se aliàs, priùs quàm citatos AA. legisset, consuluisse pro sententiâ oppositâ ad instantiam & requisitionem D. Gigard. Canonici regularis S. Antonii Viennensis. item C. Luc. *de regul. d.* 36. *num.* 11. loquens de Canonico regul. ad Parochiam sæcularem promoto ait: ideóque manet regularis incapax beneficiorum sæcularium, iis exceptis, quæ per Papam scienter cum dispensatione hujus obstaculi sibi collata fuerint; Quamvis idem Card. *in annot. ad Trid. d.* 13. postquam *ibid. n.* 1. dixisset, disponi in decretis Trid. ut regulares beneficiorum sæcularium sint incapaces, asserat *n.* 5 in Canonicis autem regularibus adesse videtur quædam specialitas, ut servitio Ecclesiarum sæcularium curam animarum habentium addici valeant, citátque pro hoc postremo Pignatell. *consult. Can.* 44. Item tenet nostram responsionem Pelizarius *in man. reg. to.* 2. *tr.* 8. *c.* 6. *sect.* 4. *n.* 236. omnium verò fusissimè nostram hanc responsionem tenet, & acriter tuetur, & specialiter quidem de incapacitate Canonicorum regularium Ordinis Præmonstratensis Jacob. Pignatelli. *to.* 1. *consultat.* 44. ubi postquam præmiserat fusè fundamenta sententiæ oppositæ, *num.* 13. inquit: statuendum tamen omnino est, Canonicos regulares Ordinis Præmonstratensis ceteróque alios Regulares esse incapaces Ecclesiis Parochialibus sæcularibus, tam quoad eas, quæ sunt jurispat. quàm quoad alias generaliter; cùm non possit assignari respectu capacitatis major ratio in unâ, quàm in aliâ; nec à sacris canonibus super hoc ulla reperiatur constituta diversitas. item *n.* 20. dicit: *hanc sententiam esse certissimam judico; præsertim post Trid. & num.* 24. *ubi, quod hodie requiratur dispensatio Pontificis, ut Canonicus regularis ad sæcularem promoveri possit, quòdque hoc sit indu-*

indubitatum, etiam inspectâ mente S. Concilii per Eminentissimos Patres & interpretes declaratâ, probatur ex sensu S. Congregat. Concilii, cui solenne est decernere, quòd nullus hodie regularis absque dispensatione Papæ obtinere possit sæculare beneficium, licet curatum, ut in una Cremonens. 1. Septemb. 1630. in una Tarrinens. 27. Octobr. ità, ut neque Canonicus regularis, non translatus degere possit extra claustra in habitu presbyteri sæcularis sub prætextu, quòd obtineat beneficium sæculare &c. & tenere videntur omnes ii, qui expressè de regularibus loquuntur, ut Castrop. *loc. cit.* citans Piacef. Sanch. &c. Contrarium sentientibus Engels *loco supra cit.* Vivian. *in pr. jurispat. in appendice ad c. 2. l. 6.* ubi etiam testatur S. Carolum Boromæum, prævio concursu Anno 1584. contulisse Parochialem quandam Ecclesiam Canonico regular. Lateran. Paris. *de resign. l. 2. q. 1. n. 111.* ubi ait: *Canonicus regularis potest ex dispensatione Episcopi obtinere curatum;* sic resolutum dicens à Rota *in Metensi. paroch. 16. Novemb. 1552.* teste Caputaq. *decis. 85. p. 1.* ubi testatur esse communiorem. Eadem habet Paris. *l. 4. q. 5. n. 5.* & fusè Tamb. *de jure Abb. to. 3. d. 9. quæsito. 8. n. 11. juncto n. 13.* ubi absolutè ait: *Canonicos regulares tam de jure communi, quàm novo absolutè sinè speciali Sedis Apostolicæ dispensatione cum solâ suorum superiorum licentiâ posse beneficia sæcularia* (etiam absque eo, quòd *n. 13.* addat *curata*) *in titulum obtinere*: citat pro hoc Pennotum *l. 2. histor. tripart. canonic. regular. c. 72.* item fusissimum Consilium Domini Vincentii Parentis contra quosdam apud Garc. *n. 24.*

2. Pro nostræ sententiæ fundamento afferuntur plura responsa Pontificum teste Sanch. *loc. cit.* & declarationes S. Congregationis. Prima harum *ad c. 10. sess. 14.* Trid. sic habet: *regulares sunt incapaces beneficii simplicis, etiamsi essent Canonici regulares; non autem beneficii curati juxta dispositionem c. quod Dei timorem &c. licet non hodie, cùm obstet Conc. Lateran.* Altera *ad c. 18. sess. 24. S. D. N. Gregor. XIII. noluit licere Canonicis regular. Congregationis Lateranensis, etiam de licentiâ sui Generalis, absque permissu summi Pontificis, assumere curam animarum ad tempus &c. multóque minùs beneficium curatum.* Tertia, quam refert Garc. *n. 32.* est de Clerico quodam regulari, vetito à Papa admitti ad concursum, eò quòd Concil. Lateranen. prohibuerit regulares habere sæculares parochiales. & maximè declaratio illa allata à Barbosa, & istæ allatæ à Pignatelli. qui etiam *loc. cit. n. 20. & 22.* ex ipsis Trid. verbis *sess. 14. c. 11. ubi taliter translatus, etiamsi Canonicorum regularium fuerit ad beneficia, etiam curata omnino incapax existat,* hoc format argumentum, quòd Concilium dicto loco non loquatur; ut volunt Adversarii, de Canonico ad strictiorem regulam translato; sed alio simplici regulari ad ipsos Canonicatus regulares translato, eò quòd si secùs intellexisset Concilium, vana fuisset hæc resolutio, seu hoc decretum; cùm jam certum esset, per Concilium Lateran. relatum in *c. monachi. de statu monach.* quòd taliter translatus tanquam effectus filius alterius religionis strictioris omnino erat incapax hujusmodi beneficiorum; sed quia in translato ad Canonicos non modò erat dubium; sed contrarium expressè dispositum per *c. quod Dei timorem. eodem tit.* ideo Concil. Trid. ad corrigendam hujusmodi dispositionem statuit, quòd etiamsi sit de iis, hoc est, etiamsi ad Canonicos ipsos regulares, qui aliàs admittebantur, fuerit translatus ad beneficia præfata omnino sicut alii (intellige Canonici illi regulares, ad quos translati) incapax existat; subjungítque Pignatelli *n. 22.* neque ex eo, quòd de translatis solummodo mentio fiat, ad istos restringenda dispositio ea Trid. quasi, ut arguunt Adversarii, in non translatis dispositio *cit. c. quod ad Dei timorem.* incorrecta remaneat. Advertendum siquidem est, quòd Concilium de translatis locutum fuit ratione facilioris & frequentioris contingentiæ, ut bene colligitur ex lecturâ totius textûs, & præsertim sub initium; ubi: *quia verò regulares de uno ad alium Ordinem translati facilè à superiore suo licentiam standi extra monasterium obtinere solent*; non autem, ut excluderet, quin de aliis omnibus etiam non translatis esset intelligenda; in quibus eadem & major ratio prohibendi militabat. Format & aliud argumentum ex supradictis idem Pignatelli *à n. 26.* hoc modo; quod Sedes Apostolica judicare consuevit, idem semper & ubique judicandum est juxta *c. in causis. de re judic.* Sed ità de incapacitate Canonicorum regularium ad dicta beneficia statuere & judicare consuevit hæc Sedes; nempe Pius V. in constitutione suâ: *lubricum vitæ genus.* ubi dictum Canonicum S. Georgii esse capacem pro obtinendâ Ecclesiâ Parochiali sæculari, concurrente tamen expresso Sedis Apostolicæ permissu. Et Gregor. XIII. prout refertur à S. Congreg. *supra cit.* item responsa sacræ Congregationis habent vim interpretationis authenticæ, atque adeò vim legis juxta Suar. *de ll. l. 6. c. 1. n. 2.* & S. Congregatio semper solita est respondere contra capacitatem Canonicorum regularium. Ac denique *c. illud. quod Dei timorem.* ideo permittit canonicis curam animarum, quam negat monachis; quia dicti Canonici, ut *ibidem* dicitur, regulæ inserviunt laxiori, sive non ita strictam vitam vivunt ac monachi; sed Canonici regulares successu temporis vitam cœperunt ducere strictiorem vi constitutionum suarum; adeóque nunc militat eadem ratio in his Canonicis, quæ in monachis militabat; & sic eadem juris censura eos afficiat necesse est; dum enim lex fundatur in religione, ita accipit Canonicos regulares, sicut & monachos; cùm Canonicus regularis æquè ac monachus, esse non potest Patrinus elevando Baptizatum de fonte, quia textus id prohibens monachis, fundatur in religione. Et quod specialiter concernit Præmonstratenses, contra illos sic arguit Pignatelli. *l. c. n. 19.* quòd ipsa, quæ hac in parte prætendunt, privilegia satis arguant, ipsos de jure communi capaces non esse; cùm jus singulare sive privilegium ostendat, jus commune esse in contrarium, dictáque privilegia, siquæ sint, recipere interpretationem passivam à jure communi, adeóque intelligenda solùm in casu, quo non reperiantur sacerdotes sæculares idonei ad curam. Et in specie de Canonico regulari ait: docere Host. Innoc. *in c. quod Dei timorem.* Garc. *p. 7. c. 10. n. 19. in fine.* Lamb. *de jurepat. l. 2. p. 1. q. 7. a. 19. nu. 22. & a. 22. n. 1.* Rebuff. *in p. 2. de dispens. cum regular. n. 40.* Attenditur enim semper necessitas & utilitas Ecclesiarum in præficiendis regularibus ad curam animarum. Gloss. *in c. quod Dei timorem. V. regimen.* Corrad. *pr. benef. p. 1. c. 5. n. 7. juncto c. Priscis. c. monachi. c. cum; pro utilitate. 16. q. 1.* & hinc, ut ait Pignat. *n. 19.* in casu permisso requiritur dispensatio Episcopi; quam non nisi ex justâ causâ & necessitate concedere possit; pro quo citat Bellam. *decis. 718.* Paris. *l. 4. q. 5. n. 5.* Barb. *ad c. quod Dei timorem. n. 2.* additque *in fine cit. n. 19.* Pignat. ex Germon. valde laudari Episcopos, qui tales dispensationes negant. Ac denique sic concludit contra eosdem Præmonstratenses Pignatelli *n. 30.* unde

nullum profectò fundamentum Præmonstratenses constituere possunt super assertis privilegiis, contentis in diplomate Clem. VII. quia, ut perspicuè videre est, loquitur tantùm de parochialibus ad collationem ipsorum Abbatum pertinentibus, & eorum Ordini unitis; quatenus autem de aliis loqueretur, esset per Concil. Trid. & decretum Gregor. XIII. abrogatum; ac præcipuè per Constitutionem Pii IV. quæ incipit: *in Principis Apostolorum sede*, in fine Concilii appositam: quia Pontifex revocat expressè omnia privilegia, indulta, exemptiones, dispensationes, immunitates, aliáque jura quomodolibet concessa monasteriis, Abbatibus, Conventibus, Regularibus, omnibúsque cujusvis gradûs, & qualitatis personis ad terminos Concilii cum clausulâ sublatâ & decreto irritante; sed neque illis suffragari posse ait *n.* 31. aliud diploma Greg. XIII. confirmatorium constitutionum, & privilegiorum Ordinis Præmonstratensis; cùm & illud loquatur tantùm de parochialibus unitis, ac sub conditionibus, quatenus non sunt decretis S. Concilii repugnantia, nec reservationes & affectiones Apostolicas impediant.

3. Oppositæ sententiæ fundamenta sunt, primum, idque potissimum apud Engels. Gonz. in editione 2. *loc. cit. n.* 11. quòd Trid. *sess.* 14. *c.* 11. prohibendo Canonicum regularem ad alium Ordinem translatum ad sæculare beneficium, etiam curatum, assumi, etiam tacitè innuat, non translatum assumi posse; cùm exceptio firmet regulam, etiam in casibus non exceptis, adeóque inde rectè inferatur, alios religiosos non translatos beneficiorum sæcularium curatorum capaces esse: verùm ad hoc satis responsum est à Pignatelli. Secundum quòd Rota *in una Papiensi jurispat. 6. Martii, Anno* 1598. coram Seraph. sic resolverit, quòd licèt sæcularia beneficia non sint conferenda regularibus, possint nihilominus curata conferri Canonicis regularibus. Tamb. *cit. n.* 11. Pennot. *loc. cit. n.* 5. item quòd S. Congregatio Anno 1602. (quam declarationem refert Gabr. Pennot. apud Tamb. *loc. cit.*) id declarârit his verbis: *Congregatio Concilii censuit decretis ejusdem Concilii Canonicum regularem non prohiberi obtinere beneficia curata, nisi fuerint ex iis translatis, de quibus habetur in decreto c.* 11. *sess.* 14. Atque ità tam Rota, quàm S. Congregatio longè post illud decretum aliud, quod emanâsse dicitur Anno 1581. senserit, adeóque dicendum sit, illud non fuisse praxi demandatum, vel promulgatum (utì id expressè dicit Pennot. de decreto illo facto auctoritate Gregor. XIII.) ne aliàs cogamur dicere Rotam illud contempsisse, aut ignorâsse. Tamb. *loc. cit.* de qua etiam declaratione ait Corrad. *loc. cit.* quamdiu non constat de intentione Papæ, declarationem nihil facere, quin nec sufficere, Papam sic aliquando voluisse, cùm postea potuerit voluisse contrarium; quia voluntas non reducta ad actum legis vel dispositionis nihil operatur. Tertium fundamentum sumitur ex facto illo S. Caroli Borom. quo contulit sæcularem parochiam Canonico regulari Anno 1584. quam provisionem verbatim refert Pennot. Adeoque triennio post illud decretum.

Quæres 54. *An religiosi obtinere possint citra dispensationem beneficia duplicia sæcularia, quæ sunt absque curâ animarum propriè tali, puta præfecturas Ecclesiæ Collegiatæ sæcularis, v. g. Præposituram, Decanatum &c. dum hæ sunt cum solâ jurisdictione aliquâ fori externi in eos, qui sunt de collegio, vel etiam absque jurisdictione omni, habentes solùm œconomicam veluti gubernationem in convocando collegio, deliberandóque & disponendo cum illo de rebus ad collegium spectantibus?*

REspondeo affirmativam contradictionis partem censeri probabilem à Pelizar. *in man. regular. To.* 2. *tr.* 8. *c.* 6. *sect.* 4. *n.* 235. item à Less. *loc. cit.* ubi tamen addit, ad similia regularem non esse promovendum, nisi necessitas vel magna Ecclesiæ utilitas id postularet: utramque partem probabilem censet Sanch. *in decal. loc. cit. n.* 72. pro utrâque citans plures AA. etsi affirmativam censeat probabiliorem contrà Castrop. *loc. cit. n.* 8. negativam putat probabiliorem.

Quæres 55. *An ad hoc, ut religiosus sive dispensativè, sive citra dispensationem obtineat beneficium sæculare, egeat licentiâ Prælati sui proprii, & insuper Conventûs?*

REspondeo ad primum affirmativè: ad secundum negativè. *C. si religiosus. de elect. in* 6. quamvis autem ibi solùm mentio fiat de electione ad Prælaturam, requiritur tamen ea ad quodlibet aliud beneficium; cùm ratio talis textûs etiam in aliis locum habeat; quia nimirum religiosus liberam voluntatem non habet; sed subjectam suo superiori. Sanch. *loc. cit. n.* 57. Rodriq. *to.* 1. *qq regular. q.* 34. *a.* 5. Castrop. *loc. cit. n.* 16. Pirh. *loc. cit.* Vide de his & seq. Pelizar. *loc. cit.* Hac tamen licentiâ non eget, ut obtineat à Papa beneficium, cùm religiosi omnes sint Pontifici immediatè subjecti. Sanch. & Castrop. *loc. cit.* neque eâ eget ad acceptationem summi Pontificatûs. AA. iidem contra Rodriq. & alios apud Sanch. cùm hæc jam ab ipso jure concessa sit. *C. licet. de elect.* ubi habetur, nullum impedimentum apponi posse à duabus partibus Cardinalium præter hæresin, adeoque nec impedimentum non habitæ licentiæ. Neque obtento beneficio parochiali in titulum eget Prælati licentiâ, ut relicto illo beneficio, alterum accepret, cùm acceptatione prioris beneficii manserit sui juris, & exemptus à Prælati regularis obedientiâ, quæ est ratio, ob quam Prælati licentia expostulabatur, Castrop. *loc. cit.* citans Sanch. Imol. Anchar.

Quæres 56. *Num sufficiat licentia data antecedenter ad electionem, collationem, vel præsentationem sub conditione, si eligaris?*

REspondeo negativè: cum *Clem. fin. de elect.* expressè dicatur: *cùm concessa religioso à superiore suo licentia, ut electioni vel provisioni, si quam de ipso fieri contigerit, suum dare posit assensum, ambitionis vitio viam paret, nullius eam existere volumus firmitatis*: hinc licentia hæc semper subsequi debet provisionem. Sanch. *loc. cit. n.* 60. & antecedere acceptationem: aliàs hanc non reddit firmam; quod enim à principio nullum est, tractu temporis convalescere nequit. Sanch. *c.* 16. *num.* 63. Castrop. *loc. cit.*

Quæres

Quæres 57. A quo Prælato hæc licentia concedenda?

REspondeo: probabiliùs sufficere licentiam Prælati, cujus tunc est ille religiosus, nisi obstet speciale statutum vel privilegium (sicut in Societate Jesu licentiam ad Prælaturas nullus concedere potest præter Generalem illius) Sanch. *n.* 65. citans plures alios. Castrop. *n.* 19. contra Franc. Calder. &c. dicentes, necessarium licentiam illam concedi à Prælato, in cujus manibus religiosus ille emisit professionem.

Quæres 58. Quid si Prælatus neget licentiam?

REspondeo: si injustè id faciat, compellendum à suo Superiore; tunc autem injustè eam censetur negare, ubi non solùm utilitas, sed & necessitas Ecclesiæ urgeret. Gl. *in c. quàm sit. 18. q. 2. V. ad ordinandum.* Anchar. *ad c. si religiosus. de elect. in 6. nu.* 4. Gamb. *de auctor. Legati à latere l. 8. c. ultimo. nu.* 23. quos citat & sequitur Castrop. *loc. cit. n.* 20. quamvis enim utilitas Ecclesiæ, ad quam promovendus, sit causa sufficiens, ut hanc licentiam concedere possit juxta *tex. c. pro utilitate.* 16. *q.* 1. non tamen tenetur Prælatus ex obligatione utilitati isti Ecclesiæ sæcularis providere, præsertim ubi talis religiosus etiam suo Conventui foret utilis. Castrop. *loc. cit.*

Quæres 59. Quot vota habere debeat Regularis, ut obtineat beneficium sæculare, cujus provisio pendet à pluribus suffragatoribus, sive fiat per electionem, sive per postulationem, sive per præsentationem, vel nominationem, aliámque vocationem seu provisionem &c?

REspondeo: si est regularis, cujuscumque demum ordinis mendicantium, & beneficium Prælatura; secùs est, si beneficium est simplex v.g. Canonicatus. Lamb. *de jurep. l. 2. p. 1. q. 7. a.* 20. Sanch. *loc. cit. n.* 50. quos citat & sequitur Castrop. *loc. cit. §. 2. n.* 2. uti &, si est curatum absque jurisdictione; nimirum parochiale, quia hoc propriè non est Prælatura, & constitutio, de qua paulò pòst, pœnalis & exorbitans à jure antiquo. Castrop. *n.* 9. citans Sanch. *loc. cit. n.* 56. contra Lamb. *loc. cit.* Franc. & Anchar. *in c. quorundam. de elect. in 6.* Et extra administrationem proprii ordinis (probabiliùs enim, quoad non mendicantes excipiuntur Prælaturæ proprii Ordinis juxta Castrop. *n.* 6. contra Sanch. *n.* 49. & alios ab eo citatos) eget omnium eligentium votis; ita ut vel uno deficiente vel contradicente jus nullum illi acquiratur ad dictam Prælaturam, neque atque ullatenus consentire etiam accedente licentiâ proprii superioris regularis, etiam Generalis, sitque talis ejus vocatio omnino irrita. Si verò est religiosus non mendicans, cujuscunque demum Ordinis, requiritur & sufficit major pars eligentium: sic expressè statuit Bonifac. 8. & habet textus *cit. c. quorundam.* disparitatis hujus rationem hanc assignant Lamb. *loc. cit. n. penult.* Sanch. *n.* 44. apud Castrop. *loc. cit. n.* 1. quòd mendicantes ob professionem excellentioris paupertatis & vitæ magis fugere debeant lites, & discordias, ambitionisque vias. Porrò circa posterius observandum ex Castrop. *n.* 2. dum suffragatores jure Collegii, seu quatenus sunt pars Collegii, suffragantur, necessariò requiri majorem partem votorum, quæ talis est respectu totius numeri actu eligentium, adeóque requiri, ut v.g. ex 10. votis datis habeat pro se adminimum 6. (non obstante textu requirente solùm, ne à minore parte fiat electio, cùm hoc ipso tacitè insinuet faciendam à majore parte. Castrop. *ibid.*) si verò suffragantur jure solùm proprio, & singulari, sufficere habere absolutè majorem partem votorum; hoc est plura præ aliis nominatis v.g. ex 10. habere solùm 4. dum reliqua 6. divisa sunt; scilicet tria data Titio, & alia tria Cajo, juxta *c. quoniam. de jurepat.* quòd si tamen etiam in hoc casu, dum nimirum singuli suffragantur jure privato; à 4. v.g. tantùm data fuissent vota pro uno, reliquis non pronuntiantibus suum votum, non dicitur electus à majore numero, forétque electio talis adhuc nulla. Castrop. *ibid.* citans Sanch. & Lamb.

Quæres 60. An igitur regularis mendicans creatus Episcopus, si eidem conferatur alter Episcopatus, debeat iterum in hac secunda electione eligi in concordia, sufficiátque non mendicantem in hoc casu eligi à majori tantùm parte?

REspondeo: tametsi negativam probabilem reputet Castrop. *n.* 4. eò quòd talis jam exemptus ab obligationibus Religionis, induerit que statum superiorem; textúsque loqui videatur de solis religiosis indigentibus licentiâ religiosi Prælati, decretúmque hoc insuper sit odiosum & restrictivum electionis à jure communi statutæ. Affirmativam tamen putat probabiliorem, & in praxi tenendam ob communem DD. sensum; & quia, etsi ab oneribus Religionis talis sit exemptus, non tamen à substantialibus Religionis, quia verè religiosus est, citátque pro hac parte Gl. *in cit. c. quorundam. V. religiosus.* & Sanch. *loc. cit. n.* 28.

PARAGRAPHVS III.

De qualitatibus Beneficii manualis & perpetui &c.

Quæres 61. Quid in jure sit, & significet manualitas, & unde insit beneficiis?

1. REspondeo ad primum: manualitatem in jure nihil esse aliud, quàm rei tanquam juris nostri apprehendendæ, abducendæque facultatem: argumento *l. tertius. ff. de servis export. l. si hac lege. ff. de in jus vocand.* ut fusè Brisson. *de verb. juris signif.* apud Lott. *l.* 1. *q.* 33. *n.* 1.

2. Respondeo ad secundum: hanc qualitatem beneficiis aliquibus inesse non à jure communi, sed contingibiliter, & quasi extrinsecus advenientem. Lott. *ibid. n.* 3. siquidem perpetuitas est aliàs qualitas propria beneficii. Castrop. *de benef. d.* 1. *p. n.* 4. Unde & in dubio beneficium præsumitur non manuale. Castrop. *loc. cit. nu.* 16. exprimendáque est manualitas, & probanda ad evitandam subreptionem explicitè, si beneficium est sæculare; si verò est regulare, sufficiet id fieri implicitè, narrando nimirum

nimirum regularitatem. Lott. *n.* 4. Porrò in beneficiis sæcularibus constituitur hæc qualitas manualitatis in substantia beneficii vi dispositionis adjectæ in limine fundationis per fundatorem tam Clericum, quàm laicum: in regularibus verò non tam afficit naturam beneficii, quàm sita est in obedientia; & procedit ex virtute professionis religiosi; hic enim, cùm sit sub obedientia sui superioris, nec habeat velle aut nolle, statim ac revocatur, cogitur beneficium dimittere. Lott. *n.* 5. *& seq.*

Quæres 62. *Num beneficium manuale per præscriptionem quadragenariam possit amittere manualitatem, & fieri perpetuum; & contrà perpetuum fieri manuale?*

REspondeo affirmativè: dum nimirum inducitur consuetudo manualitati contraria, qualis foret, dum tentans revocare beneficium impediretur (intellige ab alio, quàm beneficiato ipso; si enim is solus per potentiam resisteret remotioni, & esset refractarius, inducere consuetudinem rationabilem, & præscribere nequiret, quia careret bonâ fide, argumento *c. cum inter vos. de consuetud.* & *c. cum non liceat. de præscrip.*) quia hæc esset contraria potestati revocandi, secùs verò est, dum consuetudo non contrariaretur manualitati, qualiter ei non contrariatur omissio revocationis, modò ea sit libera: beneficium enim manuale non dicit revocationem, sed potestatem expeditam revocandi; adeóque dum conferens beneficium habet hanc potestatem, etsi per mille annos nunquam faceret revocationem, non inducitur consuetudo contraria manualitati; ita ferè Castrop. *d.* 1. *p.* 5. *num.* 21. concilians sententiam hoc in puncto negativam (quam aliàs absolutè tenent Rebuff. *de pacif. poss. num.* 277. Abb. *in c. ad nostram. nu.* 11. Sanch. *in decal. c.* 29. *n.* 117. contra Gamb. *de off. Leg. l.* 4. *c.* 1. *nu.* 19. hoc nixi fundamento vero, quòd ex actibus meræ facultatis induci nequeat consuetudo juxta *c. Joannes. de Clericis conjug.* & *l. qui jure familiaritatis*, ff. *de acquir. poss.*) cum affirmativâ.

Quæres 63. *Num beneficium perpetuum jurispatronatûs per patronum, accedente consensu Ordinarii, possit fieri manuale, & ad nutum amovibile?*

REspondeo: Navar. *l.* 1. *cons.* 9. vel juxta impressionem Venetam *cons.* 11. *de off. ordinar.* multùm inclinare in partem affirmativam (in quo casu desineret esse beneficium ab Episcopo conferendum, perditque patronus jus præsentandi ad illud, & acquirit libertatem ponendi & tollendi, quando & quoties voluerit. Corrad. *in pr. benef. l.* 1. *c.* 6. *n.* 287.) eò quòd expediat Capellanias jurispatronatûs esse potiùs manuales, quàm perpetuas; cùm sic Capellanus magis incumbat servitio Capellæ, & impletioni onerum, meliúsque vivat ob timorem amotionis. C. de Luca. *de jurep. d.* 15. *n.* 11. ait: multùm sibi placuisse hanc Navar. rationem, satísque visam probabilem, unde plus quàm centies consuluerit volentibus piè disponere, ut ab erectione beneficiorum juris patronatûs abstinerent, & erigerent, seu fundarent hujusmodi Capellas manuales tanquam species pii legati, absque Ordinarii auctoritate; tum etiam ad evitandum devolutiones seu derogationes, aliásque beneficialium subtilitates, ob quas jus patronatûs amitti vel inutile reddi solet: verùm tamen de stricto jure videri sibi id non sufficere; quia cùm beneficium jam constitutum sit in statu suo perpetuitatis, beneficiis sæcularibus connaturalis, ista immutatio sapere videatur speciem aliquam alienationis vel dismembrationis, quæ etiam in spiritualibus sinè causâ & solennitate prohibita sit.

Quæres 64. *Num hæc qualitas manualitatis insit beneficiis regularibus omnibus, & è contrà absit à sæcularibus?*

REspondeo negativè: etsi enim beneficia sæcularia præsumantur perpetua, quia ferè omnia sæcularia sunt perpetua. *c.* 1. *de Capell. Monach.* & Gl. *ibi. c. veniens. de filiis presbyt.* apud Castrop. *loc. cit. n.* 16. regularia econtrà præsumantur manualia, quia ferè omnia sunt talia. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. apud Castrop. interdum tamen regularia sunt perpetua, & sæcularia sunt manualia; quia sic constitutum ex fundatione, vel privilegio Apostolico, vel præscriptione. C. de Luca. *de benef. d.* 97. *num.* 5. Castrop. *loc. cit.* Gonz. *n.* 8. Garc. *p.* 1. *c.* 2. *num.* 72.

Quæres 65. *Num ex eo, quòd quis ordinetur sacris ordinibus ad titulum beneficii, v. g. Capellaniæ ad nutum amovibilis, illud amittat hanc qualitatem manualitatis seu amovibilitatis?*

REspondeo negativè: maximè si fiat absque consensu patroni: non enim potest Ordinarius, etiam cum consensu patroni tollere vel mutare qualitatem fundationis. Garc. *loc. cit. n.* 91.

Quæres 66. *Num manualitas cadat in beneficia parochialia sæcularia?*

REspondeo probabiliùs, quòd non: etsi enim Castrop. *cit. num.* 16. dicat istiusmodi beneficia rarò vel nunquam esse manualia, & Corrad. *in pr. benef. l.* 3. *c.* 9. *n.* 36. *& seq.* in Ecclesiis parochialibus difficulter admitti manualitatem, quia parochorum remotio & variatio non leviter præjudicat Ecclesiæ; Rota tamen, ut testatur Gonz. *cit. num.* 6. postquam eâdem ex causâ dubitâsset, an laicus fundans Ecclesiam parochialem possit parochum constituere ad nutum amovibilem, in partem negativam inclinavit. Corrad. *l.* 3. *c. n.* 2. & habetur decretum S. Congreg. *ad c.* 18. *sess.* 24. quo dicitur: *Rector semel deputatus non poterit ad nutum amoveri à patronis, etiam quòd allegarent esse in possessione sic faciendi; etiamsi juspatronatûs esset alicujus communitatis, sed perpetuò illius Ecclesiæ permanebit*: Unde etiam, si Ecclesia parochialis unitur monasterio, ita tamen ut per sæcularem regatur, etiamsi is à monasterio præsentetur, non poterit ullatenus ab ista Ecclesia, nisi per Episcopum ex rationabili causâ removeri, consuetudine etiam vel statuto quovis contrario non obstante; sic enim definivit expressè Bonif. 8. *in c. unic. de Capell. Monach. in* 6. adeoque non erit beneficium manuale, sed erit Vicaria perpetua. Gonz. *gl.* 5. *cit. n.* 52. quia ista Vicaria non est regulare beneficium, sed sæculare: proinde sæcularis beneficii naturam tenere debet. Castrop. *loc. cit. n.* 18.

Quæres

Quæres 67. Num beneficia regularia electiva manualitatem admittant, sumendo beneficium regulare pro quacunque præfectura regulari, quocunque nomine nuncupetur ?

REspondeo negativè: Azor. *loc. cit. q.* 5. Lott. *n.* 73. cum communi: hæc enim eo ipso, quòd per electionem conferuntur, non habentur à superiore simpliciter, sed à majore quadã vi & potestate: nempe ab ipso Collegio, in quo radicatur, & à quo fluit & refluit omnis jurisdictio. Argumento *c.* 3. 4. *& 5. causa* 18. *q.* 2. Lott. *loc. cit. n.* 74. talia sunt Abbatia, Prioratus, conventuales, (secùs est de claustrali Prioratu; qui præterquam quòd non per electionem constituatur, sed v. g. per Abbatem, non est administratio aliqua aut officium cum jurisdictione; sed simplex quædam procuratio & agentia, indéque revocabilis ad nutum. argumento *c. cum ad monasterium. de statu monachorum.* Lott. *n.* 70.) & similia, quæ etiamsi à cõventu vi & electionis; à conventu tamen removeri non possunt, nisi in causis in jure expressis: nam ubi tales electi sunt, ulteriùs non subjacent potestati Conventûs, Lott. *n.* 75.

Quæres 68. Num manualitas cadat in beneficia regularia curata, hoc est, parochialia; supponitur enim de jure neque esse prohibitum monasterio, habere curam animarum; sive quia habet populum, sive quia Ecclesia aliqua parochialis illi est unita, vel de mensa ipsius monasterii, juxta Clem. unic. de excess. Prælat. *Lott.* n. 84. *neque etiam jus simpliciter improbare consuetudinem regendi vel exercendi curam per ipsos regulares, adeóque id consuetudine, vel etiam ex fundatione induci posse. Rota* Decis. 204. p. 2. Recent. *Abb.* in c. de capell. monach. *n.* 6. *Lott.* cit. l. 1. q. 33. n. 87. *Neque his obstare* c. placuit secundum 16. q. 1. *ubi vetuit Eugenius per monachos exerceri curam animarum; eos enim solos tangit, qui temerario ausu exeuntes de claustris motu proprio se ingerunt curæ animarum in Ecclesiis. ibid. Rot. loc. cit. Turrecrem. &c. quos citat & sequitur Lott.* n. 82. *Neque* cit. c. 1. de capell. monach. *ubi Vrbanus 3. vetuit in Ecclesiis, in quibus monachi habitant, regi populum per monachos: intelligitur namque solùm de Rectore amovibili. Lott.* n. 86. *de cetero quoad alios religiosos non monachos nullatenus egit. his suppositis quæstio, ad quam nunc*

1. REspondeo: beneficium regulare curatũ posse esse ad nutum amovibile ex lege fundationis constituente, quòd cura debeat esse penes monasterium, aut ejus prælatum, & tamen ea actualiter immediatè exerceri ab aliquo illius monasterii religioso amovibiliter ad nutum. Rebuf. *cons.* 113. *n.* 1. citansque illum Lott. *cit. q.* 33. *n.* 94. *& seq.* Suppono siquidem hæc duo, curam animarum, & hujus curæ exercitium distincta esse, & ab invicem separabilia; ità ut apud unum sit cura saltem habitualis, apud alterum nudum exercitium. Abb. *in c. exstirpanda. de præb. in* 6. Mandos. quos sequitur Lott. *n.* 89. & *l.* 1. *q.* 20. Suppono secundò: hanc fundatoris legem etsi videatur esse contra jus commune, servandam esse juxta dicta suprà. Unde poterit jam in hoc casu religiosus, seu obedientiarius ad libitum Prælati amoveri, absque eo etiam, quòd contradicatur illi, quod responsum fuit ad *q.* 29. Quódque sequatur absurdum illud, de quo Gl. *in c. unicum. de capell. monach. in* 6. fore nimirum ratione illius amovibilitatis matrimonium temporale inter Ecclesiam talem & præfectum curæ animarum; in ea siquidem Abbas seu Prælatus in dicto casu est sponsus seu rector Ecclesiæ, & non obedientiarius ille; quia absque omni titulo nudum exercitium alieno nomine promovet; quemadmodum, dum in quibusdam Collegiatis sæcularibus cura est penes capitulum, is, cui ea à collegio committitur, præsertim non in perpetuum, (neque enim teneri Ecclesiam Collegiatam præcipuè regularem, quæ pleno jure sibi subjectam habet parochialem, præscindendo etiam à lege fundationis sic jubente, curam exercere per Vicarium perpetuum. Gloss. *in Clem. unic. de excess. Prælat.* Bellam. &c. quos citat & sequitur Lott. *n.* 93. etsi ad id teneatur vi *cap. extirpanda. de præb. in* 6. ubi non pleno jure, sed titulo tantùm simplicis unionis subjectam habet Ecclesiam, uti *cit. c. extirpanda* explicat; & cum præcit. gl. conciliat. Prob. apud Lott. *loc. cit.*) non dicitur illam administrare suo, sed alieno nomine, & jure.

2. Respondeo secundò: idem fieri posse per præscriptionem 40. annorum. Lott. *n.* 97.

3. Respondeo tertiò: ècontra beneficium regulare curatum non erit removibile, dum præsentatus à monasterio regularis ab Episcopo confirmatur, seu instituitur jure aliquo singulari, seu privilegio, aut lege fundatoris contra dispositionem juris communis (quod aliàs ut ex *c.* 1. *de Capell. monach.* & *c. unico eodem tit. in* 6. vult in iis instituì presbyterum sæcularem in Vicarium perpetuum) sic statuente Lott. *n.* 98. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 14. citans Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 26. *q.* 5. Vide etiam Suar. *tom.* 4. *de relig. l.* 3. *c. ultim. n.* 23. & Sanch. *in Decal. l.* 7. *c.* 29. *n.* 118. Tunc enim inamovibilitatem illius obedientiarii operabitur auctoritas Episcopi, & prærogativa curæ populi. Felin. *in c. per tuas. de major. & obed. n.* 4. Franc. *in c. unic. de capell. monach. in* 6. *n.* 5. *apud* Lott. *loc. cit.* Duæ siquidem hîc concurrunt institutiones: prima collatoria tituli, quæ est à Prælato regulari talis monasterii: secunda est institutio, quæ dicitur auctorizabilis; & est ab Episcopo tantùm cadens in ipsam curam; & licèt dum Ecclesia parochialis pleno jure pertinet ad monasterium, non videatur Episcopo permissa ista institutio auctorizabilis) quæ nec in exemptis locum habet, ut Seraph. *decis.* 1304. *n.* 3. in effectu tamen implicita est provisioni factæ ab Abbate monasterii, qui censetur jure proprio instituere Vicarium institutione collativâ, & eundem instituere vice Episcopi institutione auctorizabili. Anchor. & Jo. Andr. *in c. de monachis. de præb.* apud Lott. *n.* 100. *&* 101.

Quæres 69. Num ergo etiam detur beneficium regulare curatum independenter à tali tam implicita, quàm explicita institutione Episcopi inamovibile?

REspondet affirmativè Lott. *n.* 102. *& seq.* dando hunc casum, dum nimirum monasterium

rium haberet Prioratum; qui licèt non sit Conventualis, est tamen curatus, & cura non exercetur per illum ipsum Priorem; sed per presbyterum sæcularem; in hoc namq; casu presbyterum quidē illum amoveri non posse propter implicitam saltē institutionem auctorizabilem Episcopi; Priorem verò ex eo, quòd Prioratus ille jam non sit simplex administratio, debeántque tales Priores promoveri ad sacerdotium, & residere in Prioratibus, vel administrationibus; non autem in monasteriis, ut docet Jo. Andr. *in c. 2. de statu monach. n.* 10. adeoque si promotus ad sacerdotium intuitu, & ad titulum talis Prioratûs inde mox moveatur ex voluntate Abbatis, reperiat se ordinatum, & non habere titulum. Quinimo ex eo solùm, quòd jurisdictionem habeat, actu super illum ipsum Vicarium suum. Verùm an hæ rationes sufficiant, dubito.

Quæres 70. *Num detur beneficium etiam regulare neque electivum, neque curatum, saltem propriè inamovibile?*

REspondeo affirmativè: Lott. *n.* 113. *& seq.* & hunc dando casum, dum regularis ex collatione Prælati sæcularis fungentis vice Prælati regularis (ubi nimirum Ecclesia regularis esset Cathedralis, vel Cathedrali unita; tunc enim Episcopus est etiam loco Abbatis, juxta *c. causam. q.* 9. *de judiciis.* & Abb. *ibi n.* 2. Anch. *n.* 4. Host. & alii apud Lott. *n.* 114.) in dicta Ecclesia obtinet Canonicatum vel dignitatem regularem, ab ea moveri non poterit; non à Prælatis suis regularibus, quibus aliàs subjectus esset, ob solam promotionem de ipso factam ab Episcopo. *c. ne pro cujuslibet.* 16. *q.* 1. Felin. *in cit. c. causam. n.* 5. Neque ab Episcopo, ut Abbate: non enim accepit illud ab eo, quà tali; cùm Episcopus sæcularis, cujus est Ecclesia aliqua Cathedralis regularis, dum confert in ea regulari alicui beneficium, censeatur illud conferre ut Episcopus, non tanquam Abbas; adeoque sicut actum collationis non exercet, sicut Abbas; ita etiam eundem non exerceat in dictum regularem, ut obedientiarium suum, seu subjectum sibi quoad concernentia instituta regularia, quæ Episcopus talis peragit mediante personâ alicujus regularis; & hinc jam ab eo non sicut aliàs regularis à suo Prælato regulari pro libitu amoveri potest; sed solùm sicut Clericus alius sæcularis à suo Episcopo, non nisi ex causis urgentibus à jure expressis. Lott. *n.* 117. *&* 118. Secùs tamen esset, ubi Episcopus quis conferret beneficium, ut Abbas obedientiario suo; non enim tunc respectu talis beneficii solveretur jus obedientiæ quò minùs amoveri posset. Lott. *n.* 119.

Quæres 71. *Num patronus vel collator laicus (dum fortè talis est ex privilegio) beneficiatum, cui amovibiliter contulit tale beneficium sæculare, amovere possit auctoritate propriâ.*

REspondeo negativè: Lamb. *de jurep. l.* 2. *p.* 3. *q.* 1. *a.* 10. *&* 14. Vivian. *tr. eod. p.* 2. *l.* 12. *c.* 3. *n.* 13. quos citat, & sequitur Card. de Luca *de benef. d.* 80. *n.* 22. *& seq.* ubi ait improbabile, ac à jure prorsus contradictorium esse, quòd laicis competere debeat jus propriâ authoritate destituendi Capellanum, quem auctoritate suâ præcisè instituere, & deputare non poterant, non solùm ex regula generali, quòd unumquodque solvendum est cum eo vinculo, quo ligatum est; sed à fortiori, quia difficiliùs conceditur facultas destituendi, quàm instituendi: neque ab una ad alteram inferre liceat, ut etiam patet ex eo, quòd collator inferior possit conferre beneficium, vel in eo ad aliorum præsentationem instituere, & tamen non possit institutum seu provisum admittere ad ejusdem beneficii resignationem, quæ admittenda est per ordinarium vel alterum, penes quem est jurisdictio Ordinaria, vel quasi, ob quam nomine Ecclesiæ distractum facere possit. Proinde competit quidem tali collatori facultas amovendi hujusmodi Capellanum, utpote qui titulum prætendere non potest, nec continuationem invito tali collatore; sed non nisi per viam, quâ deputatio seu institutio facta fuit, instando nimirum apud Ordinarium, aut alium legitimum superiorem, ut illum amoveat, ac ita illo amoto patronus iterum præsentare possit alium, vel collator rursus conferre alteri. Et tenent hæc à fortiori, ubi talis Capellanus esset curatus (fortè ex speciali aliqua conniventiâ, vel privilegio, cùm aliàs tales Capellani curati debeant esse perpetui) de quali loquitur de Luca, quem nimirum Societas aliqua laicalis (adeoque jam incapax tituli ac rectoriæ Ecclesiæ, ita ut penes eam residere non possit cura habitualis, seu Rectoria, uti aliàs contingit in Capitulis, monasteriis, aliisque corporibus, seu universitatibus Ecclesiasticis) cui gratuitò concessa Ecclesia parochialis, aliàs conferri solita in titulum, & habente rectorē proprium, sibi delegerat amovibiliter, instituendū tamen ab Ordinario. Nec obstant decisiones plures circumferri solitæ in *una Hispalensi juris amovendi Curatum*; siquidem agitur ibi de curato, quem sibi Episcopus tanquam Vicarium ad exercitium curæ constituerat in parochiali Ecclesia, annexâ Episcopatui, non solitâ conferri in titulum (uti sæpius in Hispania contingere, ait Card. de Luca. *n.* 16. ut Ecclesiæ parochiales distinctæ non sint; sed universa cura est penes Episcopum, omnésque parochiales annexæ sunt Episcopatui) hunc enim, cùm ipse Episcopus sit, & maneat Rector talis Ecclesiæ, cui commissæ oves pascendæ mediante ministro, pro libitu suo, & auctoritate propriâ amovere poterat, absque eo, quòd cura illa pateretur quid damni, aut eæ oves ad momentum manerent sine pastore.

Quæstio 72. *An igitur beneficia manualia, potissimùm regularia, sint pro libitu, absque causa removibilia?*

REspondeo primò: vel potiùs suppono, priusquam respondeam, non esse hîc quæstionem de Capellaniis, similibúsve officiis, quæ quidem manualitati seu liberæ amotioni obnoxia sunt; rationem tamen beneficii non habent; quales sunt primò Clerici vel presbyteri, qui per administratores Ecclesiæ, vel etiam alias pias societates, & congregationes laicales sub annua vel menstrua mercede conducuntur, absque ulla Episcopi institutione pro missis celebrandis, aliisque peragendis concernentibus Ecclesiæ, vel oratorii dictarum congregationum cultum vel servitium: hos enim constat esse merè conductitios, adeoque ad nutum more famulorum amovibiles sine causâ, vel auctoritate superioris; quoties ipsius Ecclesiæ leges particulares aliter non disponunt. Card. de Luca. *de benef. D.* 80. *n.* 12. *&* 17. Secundò:

qui

qui ab Episcopo, Capitulo, vel monasterio deputantur tanquam Vicarii ad exercitium curæ, vel servitium Ecclesiæ unitæ Capitulo, dignitati, vel etiam Episcopatui; nam & hi ut famuli conductitii sunt ad nutum absque causâ amovibiles. de Luca. *n.* 16. Tertiò: qui sinè titulo aliquo collatitio ad servitium Ecclesiæ per illius Rectorem, vel per Capitulum Cathedralis seu Collegiatæ, aut per Congregationem Capellanorum quandam Capituli speciem constituentium assumuntur ex prærogativâ, & per quandam speciem necessitatis (ideò quòd naturales seu indigenæ admitti debeant ad Ecclesiæ talis servitium) ut supportatis aliquibus oneribus juxta statuta talis Ecclesiæ admittantur etiam ad participationem massæ communis; quamvis hi ob quæsitum illud jus, & hunc quasi titulum resultantem à statuto, vel consuetudine talis Ecclesiæ ob nationalitatem removeri ità pro libitu nequeant. de Luca. *n.* 14. his suppositis

2. Respondeo secundò: posse talem beneficiatum sinè causâ removeri validè, nec posse remotum contra removentem conqueri, de Luca *de benef. d.* 97. *num.* 6. & 7. absolutè dicens, posse ea possessoribus auferri per superiorem ad ejus arbitrium sinè causâ, ideóque amotis negari remedia possessoria redintegrandæ, vel retinendæ contra amoventem. Idem absolutè ait Conrad. *pr. benefic. l.* 1. *c.* 6. *n.* 270. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. *num.* 4. Sanch. *l.* 7. *in Decal. c.* 29. *num.* 111. Less. *l.* 2. *c.* 41. Garc. *p.* 1. *c.* 2. *num.* 87. Azor. *to.* 2. *l.* 3. *c.* 26. *q.* 2. *n.* 13. Suar. *to.* 4. *de relig. l.* 3. *c. ultimo. n.* 21. quos citat & sequitur Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 5. *n.* 3. beneficiatus enim non potest possidere tale beneficium, nisi pro tempore, quo non fuerit ab eo revocatum, quia solùm pro eo tempore fuit concessum; ergo revocatione factâ non habet jus diutius illud possidendi, & hinc spoliatus sinè causâ beneficio, nullo modo potest contradicere Prælato spoliantiq; quia nullam in tali spoliatione patitur injuriam. Neque recurrere ad Superiorem, ut injustitiam reparet; sed ad summum, ut impediat malitiosam revocationem. Innoc. *in c. insinuante, &c. qui Clerici vel voventes.* apud Castrop. *n.* 4. Porrò intelligenda hæc, dum beneficium pleno jure subditur Prælato revocanti. Sanch. *n.* 118. Suar. *n.* 23.

3. Respondeo tertiò: non posse talem sinè causâ rationabili revocari licitè; tum quia generale est, quemlibet obligatum esse in suis actionibus habere finem honestum; tum quia variatio Rectorum solet esse Ecclesiæ damnosa, adeóque ut hujusmodi periculum honestetur, gravi causâ moveri debet Prælatus ad amotionem. Castrop. *n.* 5. citans Rebuff. & Suar. *suprà.* Neque plus, quàm illicitum importare videntur textus illi *clem. unic. de supp. negl. præl.* & *c. cum ad monasterium. de statu monach.* ubi non permittitur simpliciter revocatio regularis à beneficio, sed modificatè, scilicet cùm oportuerit. Neque etiam verba illa Divi Gregor. relata in hac materia *c. illa præpositorum.* 67. *q.* 3. *restringenda sub ratione potestas est præpositorum*: non enim sonant, ut ex iis, uti & ex iis textibus arguere videtur Lott. *l.* 1. *q.* 33. *num.* 31. & *seq.* quod ubi caret ratione, potestas ista amovendi suspendatur, quominùs operetur validè; quin potiùs contrarium indicant, potestatem non restrictam manere potestatem. Porrò eoipso, quòd revocatio procedat sinè ratione, atque ità resolvitur in impetum censeri eam factam malitiosè, censet Lott. *n.* 32. citans Menoch. *consil.* 69. *n.* 34. & *seq.*

Quæstio 73. Quid si ergo Prælatus, cui pleno jure subest manuale beneficium, promiserit se non revocaturum?

Respondeo: adhuc revocare illum posse validè, cùm per hanc promissionem non mutetur natura beneficii, quæ est, ut pro voluntate conferentis removeri possit. Sanch. *loc. cit. num.* 125. pluribus id probans Gonz. *loc. cit.* §. 6. *n.* 4. apud Castrop. *n.* 9. neque etiam fieret in hoc casu revocatio illicitè, cùm hæc promissio, utpote contraria naturæ talis beneficii, vires nullas habeat, non secùs ac promissio non revocandi testamentum, vel precarium juxta. *l. cùm precario.* ff. *de precario.* Sanch. Gonz. *loc. cit.* contra Navar. *l.* 3. *consil.* 20. *de regular.* Rodriq. *to.* 3. *q.* 29. *a.* 9. apud Castrop. *n.* 10. qui & ipse *n.* 11. consentit cum Sanch. si promissio facta non revocandi absolutè; vel non revocandi, tametsi causa honesta intercedat, quæ aliàs revocationem honestare posset. Quod idem est, & valet adhuc revocatio, etsi juramento firmata promissio; quia neque juramentum mutat naturam beneficii. Sanch. *n.* 128. Gonz. *loc. cit.* perjurus tamen erit Prælatus in omnibus illis casibus, in quibus aliàs obligatus non esset revocationem facere, quia pro omnibus illis videtur jurâsse, & consequenter ex juramento obligari non revocare. Castrop. *num.* 12.

Quæstio 74. Quæ censeatur causa rationabilis removendi talem beneficiatum?

Respondeo: eam esse non tantùm culpam aliquam beneficiarii, sed quamcunque utilitatem vel commoditatem Ecclesiæ vel religionis, si beneficiatus est religiosus; cùm hæc remotio non sit pœna, neque actus justitiæ vindicativæ; sed prudentis regiminis beneficii. Suar. *loc. cit.* apud Castrop.

Quæstio 75. An, & quando recurrente amovendo vel amoto ad superiorem Prælati removentis pro impedienda amotione, vel impetranda cassatione factæ amotionis sui, & teneatur manifestare & probare causam amotionis?

Respondeo: non videri teneri illam manifestare, multóque minùs probare causam, cur eum amoveat vel amoverit; nequaquam autem debere cassari factam ab eo remotionem, quamdiu non constat, nec præsumitur, illum agere, vel egisse malitiosè (qualiter etiam in dubio non præsumitur odium vel calumnia, sed probari debet, C. de Luca *de benef. d.* 97. *n.* 11.) ità sentire videtur Suar. *cit. l.* 3. *c.* 19. *n.* 20. & citans illum Castrop. quidcunque in contrarium dicat Lott. *n.* 39. & *seq.* nimirum satis non esse, quòd Collator, dum tale beneficium contulit eâ lege, ut sinè causâ revocare non posset, affirmet in genere causam subesse (quod vult sufficere, si collatum beneficium sinè eâ lege) sed debere etiam eam specificare, ut possit discuti, an rationabilis sit; & quidem, dum adest præsumptio malæ voluntatis, non sufficere fieri indaginem causæ summariè & extra judicialiter: videtur namque id esse contra naturam talis beneficii nõ posse illud revocare (intellige validè) sinè causâ.

Quæstio 76. Quandonam rectè præsumatur, vel etiam constare censeatur de amoventis malitiâ (intellige positivâ, & non merè privativâ, consistens in purâ carentiâ causæ moventis) & vel hinc detur recursus ad Superiorem, & locus sit manutenentiæ amoti, maximè in regularibus?

1. Respondeo primò: si pendente accusatione, vel inquisitione adversus beneficiatum fieret remotio.

2. Secundò: si contra consuetudinem receptam, ne beneficiatus intra tantum tempus moveatur, absque aliquâ cu lpâ moveretur; quia vel sic de culpâ constaret, & sic remotio cederet in infamiam beneficiati. Navarr. *de regul. consil. 2. n. 66.* Suar. *num. 20.* Gonz. *loc. cit. n. 48.* C. de Luca. *l. ult. cit. num. 13.* ubi ait: licèt de stricto jure, non probato odio vel calumniâ, possit adhuc moveri talis beneficiatus, etiam non curando, quòd superior non sit solitus movere, tamen ex quâdam non scriptâ æquitate videri competere recursum, vel querelam ad Superiorem pro interpositione arbitrii super aliquâ saltem summariâ cognitione causæ, ob quam fiat amotio, cùm non soleat dari casus amotionis absque aliquo odio, vel præjudicio in fama: & hoc maximè locum habere, dum beneficia vel officia, quæ de jure sunt manualia, & obedientiaria: in religionibus enim mendicantibus, ex certis tamen statutis religionis, vel ex usu conferuntur ad certum determinatum tempus, vel etiam ad vitam, dum ab iis removentur ante hoc tempus nullâ causâ manifestatâ, unde justissimè relinquuntur illis recursus ad Superiores, maximè ad S. Congregationem Regularium, quæ cognoscit de causis, quibus non subsistentibus redintegrat ob præjudicium, quod in fama resultat amotis contra stylum, & infra tempus consuetum. Vide C. de Luca. *loc. cit. n. 16.* plúsque est hac in parte in Religionibus militaribus, puta Hierosolymitana & similibus, in quibus Commendæ, ac Prioratus, & dignitates non sunt ex mera gratia; sed potiùs ex aliquâ justitiâ ratione ancianitatis vel benemerentiæ conferuntur ad vitam; quæ etsi ratione obedientiæ dicantur manualia (quod tamen procedit largiùs) si moveantur sinè causâ, appellationi & recursui in promptu est locus, præsertim cùm de facto magis regulari videantur jure beneficiorum sæcularium; & hinc talis amotio sinè manifestâ causâ vix practicabilis est sinè aliquo dedecore, vel etiam injustitiâ. Vide de Luca. *n. 22.*

3. Tertiò: si ad instantiam beneficiati fieret inquisitio adversus Prælatum, quia tunc præsumi potest ex animo vindictæ facere remotionem, Nav. *loc. cit.* Sanch. *n. 115.* apud Castrop.

Quæstio 77. Si Superior removens in ipso articulo remotionis causam exprimat, & ea negetur à beneficiato, etiam religioso, an ea debeat justificari, & interim retardetur remotio?

Respondet ad primum affirmativè Lott. *n. 44.* ad secundum autem sub distinctione, nimirum si causa nullam infert infamiam moto, est tamen rationabilis v. g. fundata in majore bono religionis, neque differendam executionem, neque restituendum illico motum in pristinum locum; sed solam inquirendam veritatem, et si ea non subsistat, dein servato juris ordine motus restituatur, citátque pro hoc Innoc. *in c. olim. de accusat. num. 1.* Si verò causa infert infamiam; quia est causa famosa, retardandam executionem; & si ante ejus plenam excusionem removeatur, illico restituendum; citátque pro hoc Innoc. Vitalin. & Rotam; nisi tamen prætendatur crimen circa malam administrationem; servandam enim tunc regulam, ut propter solam suspicionem dilapidationis privetur possessor commodo possessionis, juxta *c. ultim. de accus.* Gl. *in c. 1. ut lite pendente.* Lancell. *de attent. lit. pend. declaratione. 4. nu. 20.*

Quæstio 78. Quid si à Papa confirmata esset beneficii talis aliàs manualis collatio, an adhuc Prælatus, cui aliàs illud pleno jure subest, beneficiatum movere posset?

Respondeo affirmativè: si simpliciter tantùm confirmavit: tunc enim confirmatio illa est tantùm quædam factæ collationis approbatio, non mutans naturam beneficii. Secùs si ex certâ scientiâ confirmat in titulum perpetuum; cùm Papa possit omnium beneficiorum naturam immutare. Rebuff. *de pacif. possess. n. 279.* Sanch. *n. 129.* Gamb. *de off. Leg. l. 4. c. 1. n. 18.* Gonz. &c. apud Castrop. *n. 13.* iis consentientem; in dubio autem nunquam censetur Papa sic beneficii manualis collationem confirmare, ut impediat in conferente potestatem removendi provisum. Gamb. *loc. cit.*

Quæstio 79. Quid si ergo Pontifex ipse contulerit tale beneficium, an adhuc Ordinarius collator poterit pro libitu provisum removere?

1. Respondeo primò affirmativè; si Papa id fecerit jure devoluto. Castrop. *loc. cit.* Lott. *cit. q. 33. n. 55.* citans Gemin. *in c. præsenti. de off. Ordinar. in 6. n. 9.* Felin. *in c. per tuas. de Maj. & obed. n. 3.* tunc enim Papa non aliter confert, quàm debeat conferre collator Ordinarius; quia supplet ejus negligentiam, & præstat, quod is præstare debebat; *clem. unic. de suppl. neglig. præl.* & *ibi* Gl. Castrop. *loc. cit.* nisi tamen in hoc casu exprimat, addátque clausulam: *quoad vixeris.* Lott. *n. 56.* citans Decium *ad c. ad nostram. de confirm. util. vel inutili* & Felin. vel nisi id conferat præcedente aliqua reservatione (quæ est beneficii alicujus vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio, ità ut reservata conferre ampliùs inferiores ordinarii nequeant. Azor. *p. 2. l. 6. c. 36. q. 1.*) tunc enim censetur velle, ut beneficium perpetuò sit penes provisum; cùm per reservationem videatur inducta perpetuitas, donec reservatio consumatur. Lott. *n. 57.* citans Lapum.

2. Respondeo secundò affirmativè: dum Papa simpliciter illud confert nomine proprio, & jure concursûs, ut distributor omnium beneficiorum. Lott. *n. 58.* Castrop. *n. 14.* citans Gonz. qui etiam addat ad hunc effectum emanâsse *regulam. 38. aliàs 37. Cancell.* Sanch. *num. 135.* contra plures apud eundem tenentes, non posse tunc removeri beneficiatum ad libitum, nisi per Papam, & per Ordinarium, non nisi ex causis, propter quas beneficium per se perpetuum auferri potest.

3. Re-

3. Respondeo tertiò: quòd si tamen Papa, ex hoc nimirum jure concursûs & proprio simpliciter conferens, sæculari conferret tale beneficium, sciens ejus naturam, censebitur ejus statum voluisse pro ea vice invertere, & in perpetuum, hoc est, pro toto ejus vitæ tempore ei conferre. Lott. *n.* 60. citans Rebuff. *loc. cit. n.* 335.

Quæstio 80. *Num igitur beneficium manuale ex certa scientiâ & declaratione collatum à Papa alicui in perpetuum, fiat dein, mutatâ naturâ, perpetuum?*

Respondeo negativè: sed cùm primùm vacaverit per mortem vel resignationem, reddi rursus amovibile, sicut erat priùs; cùm Papa sic illud conferens non mutet naturam beneficii absolutè, sed solùm suspendat pro vitâ beneficiarii revocationem. Rebuff. *loc. cit. n.* 279. Selv. *p.* 3. *q.* 11. *n.* 131. & alii, quos refert Sanch. *nu.* 141. apud Castrop. *n.* 15.

Quæstio 81. *Num ergo etiam, dum Papa sic in perpetuum, sive jure devoluto, sive proprio, sive vi reservationis confert tale beneficium aliàs manuale, regulari, possit adhuc Superior regularis propter crimen aliquod illud auferre proviso?*

Respondeo: id eum posse juridicè procedendo, citra tamen quæstionem aliquam cadentem super validitate aut injustitia gratiæ Apostolicæ. Felin. *in cit. c. cùm tuas. n.* 4. citans alios. Abb. *consil.* 25. *n.* 2. apud Lott. *n.* 62. iis consentientem, & *n.* 63. addentem; id etiam tenere in sæculari; nimirum posse etiam hunc provisum à Papa ob superveniens delictum per Episcopum deponi; cùm reatus tollat privilegium juxta Bald. *in præsente materia. ad c. illud. de major. & obed. n.* 2.

Quæstio 82. *An beneficium manuale revocetur per mortem concedentis?*

Respondeo negativè: quia mors non revocat voluntatem præexistentem juxta *c. si delegatus. de off. deleg. in* 6. Abb. *in c. fin. de precar. n.* 6. Rebuff. *loc. cit. n.* 276. Sanch. *n.* 118. & alii apud Castrop. *n.* 16. qui tamen ait, secùs esse, si beneficium concessum ad beneplacitum concedentis; eò quòd tum beneficium, concedente mortuo, non amoveatur per revocationem, sed per temporis impletionem, quo fuit concessum; fuisse enim concessum, dum conferens beneplacitum haberet, quòd beneplacitum morte illius finiatur, & cesset juxta *c. si gratiosè. de rescript. in* 6. citans pro hoc Sanch. & Gonz.

Quæstio 83. *An beneficia manualia dicantur verè vacare, possintque resignari?*

Respondet affirmativè Lott. *l.* 1. *q.* 7. *n.* 16. citans pro hoc præter Gl. & Rotam Gonz. *ad reg. de mensibus. gl.* 5. §. 6. *n.* 14. è contrà sentit Card. de Luca. *de benef. D.* 97. *n.* 18. cùm non dentur in titulum, seu titulum verum non habeant, (quamvis Corr. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 281. dicat, posse conferri in titulum, nempe amovibilem) non posse dici vacare & conferri, intelligendo hoc de vacatione vera & propria ad effectus juris, illum præsertim reservationis vel affectionis; posse nihilominus largo modo dici vacare per mortem naturalem vel civilem, vel per remotionem.

Quæstio 84. *Pro clausula hujus materiæ de manualitate beneficiorum, num beneficia verè manualia, seu ad nutum removibilia, sint verè beneficia?*

Respondeo: præter ea & juxta ea, quæ dicta sunt *c. præcedente ad quæstionem.* 4. de perpetuitate, dici posse & esse vere beneficia. Garc. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 77. citans Paris. &c. Lott. *loc. cit.* dum dicitur perpetuitatem illam beneficio essentialem non respicere connexionem stabilem inter beneficium & beneficiatum, ut docere visi Gamb. *de off. leg. l.* 4. *n.* 11. Gonz. & alii apud Lott. *loc. cit. n.* 14. sed connexionem oneris & illius, ut ita dicam, emolumenti recompensativi, quod onus correspondénsque ei jus omninò idem habent pro tempore obtinentes ea, ac obtinentes cetera beneficia in perpetuum. Lott. *ibidem. n.* 15. Sed neque simplex remotio & manualitas est contra naturam beneficii, sed remotio temeraria, & quæ procedit à laicis, eorúmque puro arbitrio. Lott. *n.* 17. *& seq.* unde & Capellaniam ex dispositione testatoris conferibilem & amovibilem ad nutum patroni laici sine ulla causæ legitima, dicit *n.* 21. non esse beneficium Ecclesiasticum, nisi æquivocè tantum; quin etiam revocabilitas illa ad nutum non impedit, quò minùs dicantur collata in perpetuum; cùm perpetuitas hæc spectetur in potentia tantùm, quatenus non providentur ad tempus certum & præfinitum, ut bene declarat Federicus de Senis. Vitalin. Selv. *p.* 3. *q.* 68. *n.* 3. & 4. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 16. *q.* 12. quos citat Lott. *n.* 20. Neque denique obstat, quòd in iis locum non habeant regulæ de annali & triennali possessione, sicut in ceteris beneficiis juxta Gõz. *loc. cit. n.* 9. aut etiam reservatio; Peculiaris enim hujus rei est ratio omnino non concernens substantiam beneficii Ecclesiastici. Lott. *n.* 22. & 23. prioris quidem, quòd Superiori, ad quem spectat revocatio, nullum currit tempus, ex quo illa in ejus arbitrio posita est. Mandos. *ad reg. de annali. q.* 3. 4. & 5. Lott. *n.* 25. Posterioris verò, quòd revocationes ideo fiant, ut Papa ipse provideat efficaciter, ita ut gratia ejus non frustretur, sed duret, adeóque præsumptâ hâc mente Pontificis, qua vult beneficium à se profectum manere juxta *c. decet. de reg. juris in* 6. tales reservationes generales se non extendunt ad manualia, ne is, ad quem spectat jus revocandi, revocando reddat inutilem provisionem Apostolicam: Papa enim, ut dictum, non intendit mutare naturam beneficii. Lott. *num.* 23. citans Calder. *consil.* 26. *de præbendis.*

* * * * * * *
* * * * *
* * *
*

CAPUT TERTIUM.

De Cappellaniis, Vicariis, Parochiis.

Cùm de qualitatibus beneficii simplicis & duplicis in genere speciale nihil occurrat, quod non commodiùs explicetur, agendo de eorum singulis in specie, immediatè adeorum species transimus.

PARAGRAPHVS I.

De Cappellaniis.

Quæstio 85. *Vnde nomen & origo Capellæ & Capellaniæ: qualiter inter se differant; quid Capellanus, & qui hoc nomine veniant?*

1. REspondeo ad primum: tentoriolum, quod in castris erigebant Francorum Reges, ut in eo res divina perageretur, reponerenturq; SS. Reliquiæ, quas secum ad prælia procedentes deferebant, appellabatur Cappella, à Cappa, tegumenti genere, quo contectum erat: hinc nomine Cappellæ ad jus Canonicum traducto modò significatur altare in æde sacra exstructum; modò Oratorium seu sacra ædicula à templo sejuncta, aliquando oratorium extra templum quidem positum, sed ipsi templo annexum seu adhærens; aliquando locus sacer in templo Cancellis clausus, & separatus unum aut plura altaria continens; unde & in jure Canonico extat titulus de Capellis monachorum. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 8. *q.* 2.

2. Respondeo ad secundum: Cappellam à Capellania sic distingui, ut Cappellæ nomine magis propriè veniat altare in aliqua æde sacra ab aliis altaribus sejunctum; vel etiam, ut Felin. *tr.* 4. *c.* 1. *n.* 15. ædicula Ecclesiæ adhærens: unde literæ Apostolicæ deservientem Cappellæ vocant rectorem Cappellæ, deservientem verò dicto tali altari Cappellanum in sacra æde. N. Barb. *l.* 3. *juris Ecclesiast. c.* 5. *n.* 5. Azor. *loc. cit. c.* 1. *q.* 5. *in fine.*

3. Respondeo tertiò: uti olim sacerdotes dicto tentoriolo castrensi præfecti dicebantur Capellani, ita & modò dicuntur Cappellani, qui oratoriis illis vel altaribus deserviunt statis diebus in illis Sacrafaciendo, prout Cappellæ institutio postulat. Azor. *cit. c.* 8. *q.* 2. Non tamen vox *Capellanus* semper sacerdotem significat. Lott. *l.* 2. *q.* 47. *n.* 60. de quo, ubi examinabitur, quæ Cappellaniæ sint sacerdotales; etsi aliàs veniant Cappellani Ecclesiæ alicujus, etiam in qua Canonici sunt, appellatione presbyterorum & beneficiatorum ejusdem. Lott. *l.* 1. *q.* 15. *n.* 26.

Quæstio 86. *Quæ Cappellaniæ sint, & quæ non sint verum beneficium Ecclesiasticum?*

1. REspondeo primò in genere: quotiescunque Cappellania erecta & dotata est auctoritate Episcopi, est verum beneficium. Gloss. communiter recepta *in Clement. 2. de decim. V. beneficiorum.* Selv. & alii passim apud Azor. *loc. cit. q.* 3. Hinc Capellaniæ, etiam ad nutum amovibiles accedente auctoritate Episcopi taliter institutæ sunt vera beneficia. Garc. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 82. Corrad. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 285. contra Barb. *de jure Ecclesiast. l.* 3. *c.* 5. *n.* 15. citantem pro se Navar. *consil.* 5. *de præb.* Sayr. Cavaler. &c. Addit tamen, si semel iterúmque talis Cappellania manualis collata fuerit per Ordinarium, id solum sufficere, ut reputari & judicari debeat beneficium Ecclesiasticum, citátque pro hoc Rebuf. *de pacif. possess. n.* 349. Guidonem Papam &c. gaudétq; Capellanus ratione talis Capellaniæ privilegio fori, etsi esset tantùm Clericus primæ tonsuræ, juxta decret. Trid. *sess.* 23. *c.* 6. apud Garc. *loc. cit.* Vide dicta *q. ultima. c. præced.*

2. Respondeo secundò: Econtra quotiescunque Capella erecta non fuit auctoritate Episcopi, non erit verum beneficium juxta sæpius dicta: hinc etiamsi Capellania ex ordinatione fundatoris esset perpetua & inamovibilis, haberet pro dote terras seu bona, maximè stabilia, non accedente ad ejus fundationem auctoritate Episcopi, non erit beneficium. Corrad. *loc. cit. n.* 28. Garc. *l. n.* 102. Verumque id est, etiamsi ad titulum illius sacris ordinibus initiarentur illius possessores. Corrad. *ibid. n.* 44. quin imò etiamsi constaret fundatorem intendisse verè creare beneficium. Corrad. *n.* 53. ac denique etiamsi ipse Episcopus esset earum fundator, si fundavit eas tanquam laicus ex bonis propriis, non verò Episcopali auctoritate. Barb. *loc. cit. n.* 3. citans plures alios.

Quæstio 87. *Quandonam præsumantur Capellaniæ esse beneficia?*

REspondeo: ex onere præcisè administrationis seu faciendi celebrari missas, vel ex denominatione Capellaniæ, non oriri præsumptionem beneficii. Corrad. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 22. De cætero in dubio Capellaniæ præsumuntur beneficia. Barbos. *loc. cit. n.* 1. citans Gonz. &c. Garc. *l. cit. n.* 113. Corrad. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 59. qui tamen addunt, id verum, si appareat de una collatione vel institutione Ordinarii; ac secus esse in claris; dum nimirum constat fundatorem noluisse eam collativam, contra Zevall. & alios tenentes, quòd licet constet, Capellaniam ex fundatione non esse collativam; si tamen ex consensu patronorum expresso vel tacito, vel ex negligentia efficiatur collativa, & postea iterum vacet; licet opponatur non esse collativam; ultimus tamen status sit attendendus in ejus provisione. Lott. etiam *l.* 1. *q.* 5. *n.* 62. ait nimis laxum pronuntiatum Rebuf. *in pr. tit. quid sit beneficium. n.* 8. In dubio Capella fundata ad serviendum in ea Deo, licet non appareat de approbatione Episcopi, præsumitur beneficium Ecclesiasticum; proinde regulandum secundùm illam doctrinam, quam tradit ex Ægidio *n.* 61. Porrò necesse est, ut impetrans Capellaniam probet illam esse beneficium, ait Corrad. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 36.

Quæstio

Quæstio 88. *Quænam Capellaniæ præbeant titulum Ordinationis?*

1. REspondeo primò: Capellania ad nutum amovibilis, etiamsi collativa sit & beneficium, nequit esse titulus ordinationis; quia deest stabilitas & perpetuitas, requisita ad titulum ordinationis. Corrad. *loc. cit. n.* 49. Barb. *loc. cit. n.* 19. ubi tamen hanc facit exceptionem, nisi talis Capellania amovibilis habeatur in Capella Papæ; tenet enim eas sufficere pro titulo ordinationis, & citat pro hoc Navar. *consil.* 20. *de temp. ordin.* Riccium *in praxi fori Ecclesiast. resol.* 334. *in fine.* Sayr. Molses &c. Aliam exceptionem addit de Luca *ad Trid. d.* 14. *n.* 33. nimirum nisi titulus beneficii ex natura sua manualis, per accidens hìc & nunc in hac persona ordinanda foret perpetuus, ex eo quòd ii, ad quos pertinet amovere, id agere (nempe ordinari) validè permittant; quin etiam *n.* 55. addit sufficere Capellaniam (aliudve servitium Ecclesiasticum, non tamen meram famulatûs speciem habens, ut est conductio v. g. ad pulsandum organum) quæ etsi specialem vel personalem titulum nullum tribuant, tribuit tamen, seu annexum habet tale jus, quod titulo æquipolleat, ita ut illud servitium, etiam ex parte recipientis sit necessarium, neq; competat admittentibus libera facultas talem dimittendi juxta praxin frequentem Ecclesiarum parochialium; quin & collegiatarum, etiam Cathedralium, ad quarum servitium ex consuetudine loci cives seu notionales, habentes certas qualitates cum numero præfinito vel sine eo recipiuntur ad participationem cujusdam massæ communis, & ad talis servitii titulum ordines conferri posse, receptum esse ait: cùm beneficio vel Capellæ perpetuæ titulatæ spectato effectu æquipolleat; idem habet & explicatiùs proponit *de benef. d.* 80. *n.* 14.

2. Respondeo secundò: Capellaniæ perpetuæ præbent titulum ordinationis, non tantùm eæ, quæ ab initio auctoritate Episcopi erectæ in beneficiũ; sed etiam eæ, in quarum primæva institutione, etsi non intervenerit auctoritas Ordinarii, postea tamẽ non reluctante fundatoris auctoritate erectæ sunt in beneficium per collationem & Canonicam institutionem. Barb. *loc. cit. n.* 23. quin & illæ, quæ nec collativæ nec beneficium sunt; licet enim ad eas non possit quis ordinari tanquam ad titulum beneficii, poterit tamen ad eas ordinari tanquam ad titulum patrimonii. Garc. *loc. cit. n.* 112. citans Trid. *sess.* 21. *c.* 2. Card. de Luca *ad Trid. d.* 14. *n.* 33.

Quæstio 89. *Num & qualiter Capellania ex non collativa fieri possit collativa auctoritate Ordinarii?*

1. REspondeo: hoc fieri posse, ut dum nimirum Capellania, quæ ob non intervenientem in primæva ejus fundatione auctoritatem Ordinarii non nisi ad statum Capellaniæ non collativæ, seu habentis solam rationem legati pii evaserat, & in eo etiam ad tempus aliquod permanserat, superveniente demum auctoritate Ordinarii erigeretur in beneficium per collationem & institutionem Canonicam, non reluctante fundatoris voluntate. Corrad. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 17. *& seq.* citans Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. *n.* 58. Salcedo, Zævall. quos citat & sequitur Garc. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 108. *& seq.* sub limitatione tamen paulò pòst subjungenda. Censetur autem hæc voluntas non reluctari, dum fundator in constitutione sua nihil addidit, per quod ratio collativæ seu beneficialis excluderetur; sed simpliciter solùm bona sua legavit Capellæ vel altari alicui, ut legantur in eo hebdomadatim certæ missæ, nominando insuper simpliciter patronos: tunc enim factâ per accedentem Ordinarii auctoritatem erectione simplicis talis Capellaniæ in beneficialem, dicta testatoris voluntas non mutatur; utpote quæ talem erectionem non prohibuit; quin potiùs interpretativè saltem illam voluit. Testator enim simpliciter instituendo Capellaniam, videtur velle instituere beneficium Ecclesiasticum. Garc. *loc. cit. n.* 109. Sed dicitur solùm per talem adjectionem non contrariam alterari. Corrad. & Gonz. *loc. cit.* quod ipsum licet Ordinario. Corrad. *ibidem.* citans Bald. *in l. si testamentum. c. de testam.* cùm id fiat, ut piæ testantium voluntates debitæ executioni mandentur, firmiùs conserventur, & Episcopus sit executor demandatus omnium piarum dispositionum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus juxta Trid. *sess.* 24. *c.* 8. Corrad. *loc. cit.* qui etiam sic frequenter practicari asserit allatis exemplis aliquot. Hanc doctrinam veram esse asserit Garc. in Capellaniis institutis in ultima voluntate, in quibus non solet intervenire auctoritas & erectio Ordinarii, nisi post mortem testatoris, quando effectum sunt habituræ. Item in Capellaniis institutis inter vivos, etiam irrevocabiliter, quarum effectus differtur ad mortem. Non tamen in Capellaniis institutis inter vivos, & statim effectuatis per positionem Capellani; quia ex quo fundator non requisivit auctoritatem Ordinarii, non videtur velle facere beneficium Ecclesiasticum, sed Capellaniam non collativam, adeoque eam erigere postea in beneficium; esset mutare voluntatem & dispositionem fundatoris. Idem censet in Capellaniis, in quibus dicitur, quòd Capellanus ponatur per patronos.

Quæres 90. *An dum fundator noluit Capellaniam esse collativam, Ordinarius, saltem accedente consensu patroni, possit de ea facere collationem & institutionem, & sic de non beneficiali eam erigere in beneficium?*

REspondeo negativè: Garc. *n.* 105. citans pro hoc AA. quàm plurimos, & aliquot Rotæ decisiones ad fusum.

Quæres 91. *An quando constat fundatorem noluisse facere Capellaniam collativam & beneficium, ad hoc, ut habeatur pro beneficio, sufficiat collatam fuisse per 40. annos ut beneficium?*

REspondeo affirmativè: Garc. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 115. ubi postquam inclinâsset in sententiam requirentem ad hoc tempus immemoriale, argumento *c.* 1. *de præscriptione in* 6. *juncta auth. de nuptiis.* §. *disponat.* oppositum, quod tenet Azor. verum censet juxta *c. cum de beneficio. de præb. in* 6. & ait *cit. c.* 11. requirens tempus immemoriale ad hujusmodi præscriptiones loqui de casu, in quo jus commune est contrarium, non autem sola lex privata fundatoris.

Quæstio 92. *An dum Capellania perpetua erecta est auctoritate Episcopi in beneficium Ecclesiasticum (quod postremum addo, quia*

nil vetat quò minùs etiam Capellania non collativa constituatur, sicut quodvis aliud pium legatum Episcopo approbante absque eo, quòd hæc approbatio ad hanc constitutionem sit necessaria, adeoque absque eo, quòd vi hujus approbationis ultro datæ, aut ex superabundante requisitæ erigatur in beneficium) teneat prohibitio illa testatoris, quòd Ordinarius non debeat se intromittere in illius provisionem; sed ea ad solos laicos spectet?

REspondeo negativè: Garc. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 97. citans Gonz. *loc. cit. n.* 42. Lamb. *de jurepatr. p.* 1. *l.* 1. *a.* 10. Mandos: Covar. &c. quin imò si auctoritas Episcopi interveniat ad erigendam Cappellaniam in titulum & creandum beneficium, dicta conditio adhuc erit nulla, tametsi Episcopus ipse in ejus fundatione consenserit in talem conditionem. Garc. *ibidem* contra Gonz. videtur enim talis conditio contrariari ipsi naturæ beneficii. Econtra verò dictâ auctoritate non interveniente non tantùm tenet, & observanda est dicta conditio per fundatorem ipsum adjecta. Garc. *ibid. n.* 98. verùm etiam, dum postquam testator ex assignatis bonis jussit annuatim, vel etiam (quod addo) hebdomatim dici tot missas per Clericum à certo patrono nominandum, patronus ipse primò adjecit dictam conditionem, quod facere poterit etiam declarando dictam Cappellaniam non esse servitium, sed potiùs memoriam seu anniversarium missarum; ita ut non solvatur subsidium, prout hoc solvi non debet ex talibus memoriis. Corrad. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 24.

Quæstio 93. *An Cappellaniæ, in quibus non intervenit auctoritas Ordinarii, impetrari possint in titulum beneficii, vel etiam permutari?*

REspondeo ad utrumque negativè: utrumque patet: cùm enim non sint beneficia, conferri in titulum beneficii nequeunt. Corrad. *n.* 26. Lott. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 64. sed & propterea talis Cappellaniæ permutatio facta in manibus Ordinarii tanquam de beneficio Ecclesiastico, & hinc secuta collatio non subsistit. Corrad. *ibid.* citans Burat.

Quæstio 94. *An in Capellaniis erectis auctoritate Episcopi in beneficium, teneat, quòd fundator ab earum administratione, curâ, & visitatione excludat Ordinarium?*

REspondeo affirmativè; excepto casu negligentiæ. Trid. *sess.* 22. *c.* 8. & 9. Garc. *cit. c.* 2. *n.* 98. citans declarationem super hoc Pauli V. emanatam Anno 1606. Porrò non censetur excluſus à visitatione Ordinarius per hoc, quòd in fundatione alicui alteri (intellige absque exclusione positiva Ordinarii) simpliciter committatur visitatio. Garc. *loc. cit. n.* 99. & *seq.*

Quæstio 95. *Num in Cappellaniis non collativis, dum aliter cautum non est à fundatore, Episcopus adhuc habeat jus visitandi?*

REspondeo affirmativè: etsi enim beneficia non sint; sunt tamen opus pium, & sic possunt ab Episcopo visitari. Barb. *de jure Eccl. l.* 3. *c.* 5. *n.* 11 citans pro hoc AA. plures. Garc. *n.* 104. citans *allegat. c.* 8. & 9. *sess.* 22. Trid. contra Paris. *l.* 4. *consil.* 34. Gonz. *loc. cit. n.* 35. quem tamen ait *n.* 45. videri sentire contrarium.

Quæstio 96. *Circa bona, super quibus fundatæ sunt hujusmodi Cappellaniæ non collativæ ex defectu auctoritatis Ordinarii, an sint spiritualizata per hoc, & non amplius laicalia; & num paciſci circa similes Cappellanias sit simonia?*

1. REspondeo ad primùm bona istiusmodi remanere & reputari bona laicalia, ac proinde subjecta potestati Principum, & Magistratuum sæcularium; tametsi eis opera pia & missarum onera annexa sint. Barb. *loc. cit. n.* 6. citans ordinationem Regiam Lusit. Perez de Lara & alios; unde etiam *n.* 7. & 8. testatur tales Cappellanias privatâ auctoritate institutas, tanquam profanas jure sanguinis aut hæreditario devolvi in Lusitania ad instar fidei commissorum seu majoratuum; successionemque harum Cappellaniarum in Hispania juxta regulas majoratuum regulari. Et hinc quoque est, quòd dictis Cappellaniis imponi non possit subsidium bonis & reditibus Ecclesiasticis impoſni solitũ, ut insinat Garc. *loc. cit. n.* 105.

2. Respondet ad secundum negativè. Barb. *loc. cit. num.* 3. ex Gonz. *loc. cit. num.* 25. nimirum pactum factum ratione talis Cappellaniæ absque auctoritate Papæ non esse simoniacum ex eo, quòd Cappellania talis non sit quid spirituale, sed laicale & temporale, ut docent Guido Papa *Decis.* 187. Navar. *cons.* 5. *de præb. n.* 1. & alii apud Barb. *loc. cit. n.* 5. De Capellis etiam existentibus in Ecclesia quoad cæmenta & ornamenta, ipsũmque situm materialem, ait de Luca *in Miscel. d.* 28. *n.* 12. quòd sint in hæreditate profana, & citra simoniam in commercio profano. Addit etiam *de jurep. d.* 53. *n.* 2. 3. & 5. non tantùm jus præsentandi ad dictas Capellanias donari, sed etiam concessionem ipsius Capellæ & juris illius honorifici, quod ex Cappellarum usuali dominio resultat, fieri posse absque omni consensu Ordinarii; cùm nihil detur spirituale, ut contingit, cùm datur jus patronatûs redolens formalem servitutem Ecclesiæ vel beneficii, sed solùm usuale quoddam dominium, competens ratione rerum materialium, pretio æstimabilium, adeò ut veniat in hæreditate, vendíque possit pro pretio ipsis materialibus proportionato absque aliqua spiritualitatis mixturâ, adeoque sine omni simonia; citatque pro hoc Rodriq. *in qq. reg. q.* 58. *a.* 2. Lott. *l.* 2. *q.* 4. *n.* 10. & *seq.* &c.

Quæstio 97. *An Capellaniæ in eo, cui obveniunt, requirant Clericatum aut certam ætatem?*

1. REspondeo primò: Capellanias illas etiam sub nomine beneficiorum fundatas & nuncupatas, quæ institutæ sunt absque auctoritate Ordinarii, obvenire posse (ubi aliter cautum non

est

est à fundatore;) laicis seu carentibus primâ tonsurâ, etiam infantibus, & fœminis; quia merè laicales sunt, & sub regulas beneficiorum non cadunt. Luca *de benef. d. 8. n. 18.* citans Bursat. *Decis. 1. n. 17. & d. 95. n. 1.* & *ad Trid. d. 24. n. 10.* Ac proinde nullam etiam requirunt ætatem. de Luca *ibid.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 5.* Ventrigl. *in annot. rerum Ecclesiast. annot. 6. de ætate benef. n. 9.* nihilominùs requiritur, & in iis quandoque indirectè certa ætas, quatenus nimirum fundator certam qualitatem requirit, quæ sine certa ætate haberi non potest; v. g. quia voluit, ut obtinens tale legatum seu Capellaniam, sit Clericus, seu habeat primâ tonsuram, quæ non datur nisi habentibus certam ætatem; in quo casu necessaria est ætas non tanquam principale requisitum ipsius Capellaniæ, vel improprii beneficii; sed tanquam antecedens ad illam qualitatem Clericatûs, sine qua neque ætas sufficeret. Luca *ibidem n. 2.* citans decis. Rotæ 270. coram Ottoboni.

2. Respondeo secundò: Capellania erecta in titulum beneficii auctoritate Episcopi, etiam citra dispositionem fundatoris, requirit clericatum; quia regulatur more aliorum beneficiorum: Nihilominùs ex ordinatione fundatoris dari poterit puero ante primam tonsuram titulo sæculari, donec fiat clericus, qui suo tempore tenebitur ordinari, & dum capax sit, recitare horas, eòquòd id non repugnet, si accedat Ordinarii auctoritas, non ut ante primam tonsuram teneat quis eam in titulum beneficii, quod fieri nequit; sed ut pro eo tempore non sit beneficium, donec fiat Clericus, & ex tunc eam teneat ut beneficium: accedente tamen collatione Ordinarii; nisi fortè in principio, quo eam obtinuit, intervenerit ejus auctoritas. Corrad. *l. 1. c. 5. n. 125.* ex Garc. *p. 1. c. 2. n. 30.* qui tamen *n. 31.* subdit, quòd videatur nihilominus requiri, ut fundator talis Capellaniæ collativæ expresè ita disponat, quòd ea dari possit puero ante primam tonsuram titulo sæculari; si enim simpliciter disponeretur, quod dari possit puero ante primam tonsuram, non valeret dispositio.

Quæstio 98. An Capellaniæ obligent ad horas?

1. Respondeo primò affirmativè de iis, quæ institutæ auctoritate Ordinarii. Barb. *loc. cit. nu. 21.* Azor. Sanch. &c. cum communi.

2. Respondeo secundò negativè de ceteris. Barbos. *ibid. num. 4.* Garc. *loc. cit. n. 104.* citans plures alios.

Quæstio 99. Quænam, & cum quibus beneficiis incompatibiles sint Capellaniæ?

1. Respondeo primò: uti in genere duo beneficia uniformia, quia nimirum ambo sunt ejusdem nominis & ministerii v. g. duæ dignitates, vel duo Canonicatus ejusdem Ecclesiæ sunt incompatibilia juxta c. *de multa. de præb.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 10. num. 35.* cum communi; ita in specie ab uno simul haberi non possunt, ut patet, duæ Capellaniæ fundatæ super eodem altari habentes eadem onera.

2. Respondeo secundò: duas Capellanias fundatas in ejusdem Ecclesiæ diversis Capellis, vel etiam in ejusdem Capellæ diversis altaribus (quin &, ut censeo, idem est, si fundatæ sint in eodem altari) ad diversos tamen fines, & cum diversis oneribus non sunt incompatibiles secundum Nav. *cons. 16. de præb.* qui testatur vidisse se, id pluries practicatum. & Gonz. apud Card. de Luca. *de benef. d. 57. n. 4.* qui etsi suum ibi judicium suspendat; ait tamen non videri urgere congruam in contrarium rationem, & expresè ipse de Luca *de jurep. D. 17. num. 4. & 5.*

3. Respondeo tertiò: sed neque incompatibilis est Capellania cum alio diversi nominis, & instituti beneficio in eadem Ecclesia; v. g. cum Canonicatu Cathedralis vel Collegiatæ. Card. de Luca, *loc. cit. n. 6.* citans Rotam *decis. 489. p. 2. Recent.* Gonz. *loc. cit. n. 43.* Paris. *de resign. l. 3. q. 1.* qui testatur, hanc esse communem ac veriorem contra Hojed. *de incompat. benef. p. 1. q. 20. n. 25.* & Azor, qui *p. 2. l. 3. c. 8. q. 6.* ait, ut Capellania & aliud beneficium simplex simile vel dissimile in Ecclesia eâdem habeatur, requiri specialem Papæ indulgentiam. Tametsi enim duo beneficia diformia in eadem Ecclesia, quorum utrumque est residentiale, ex natura sua seu præcisè (qualiter beneficia principaliter curata, nec non dignitates & Canonicatus Cathedralis, aliáve à Trid. specificata vi ejusdem veram ac præcisam residentiam exigunt, & annexam habent, de quo vide de Luca *loc. cit. n. 5.* & *d. 58. n. 3.*) sunt incompatibilia, ita ut ex inconcussa datariæ praxi, ut ait de Luca, & fatetur Gonz. *loc. cit. num. 42.* obtineri nequeant dignitates & Canonicatus in eadem Ecclesia; duo tamen beneficia diformia ejusdem Ecclesiæ, quorum unum est residentiale verè, ac præcisè, alterum non est residentiale, vel solùm residentiale causativè, hoc est, habens onus servitii alicujus, v. g. interveniendi horis vespertinis, vel Processionibus, inducentis residentiam, non sunt incompatibilia. de Luca *cit. num. 6.*

4. Respondeo quartò: Capellania requirens residentiam sive ex institutione sua, sive ex consuetudine loci, incompatibilis est cum alio quocunque beneficio requirente pariter residentiam in diverso loco, ut patet: vide Azor *loc. cit.* verùm de hac incompatibilitate ex professo *in 3. p. sect. 1. c. 1.*

Quæstio 100. An, & quæ Capellaniæ requirant residentiam?

1. Respondeo primò in genere: Capellaniæ etiam erectæ in beneficium, simplices tamen, seu non habentes annexam curam animarum, etsi annexum iis onus celebrationis missarum in certo altari, dum aliunde, puta, ex speciali fundatoris ordinatione vel statuto, aut consuetudine (ad quam probandam non sufficit prædecessores residisse, cùm sit in materia facultativa; sed quod id fecerint coactè, & non voluntariè; urgente nimirum præcepto. Lap. *ad Bald. cons. 170.* apud Garc. paulò pòst citandum. *n. 88.*) illis impositum non est præceptum residendi, residentiam non requirunt, ideóque ex generali consuetudine receptum (licet beneficia omnia simplicia, exceptis præstimoniis, de jure eam requirant; de quo vide Garc. *p. 3. Corr. n. 1.* citantem pro hoc quamplurimos) Azor. *p. 2. l. 3. c. 8. q. 5.* Zerol. *in pr. Epis. V. beneficium. §. 7.* de Luca. *de benef. d. 58. nu. 2.* Garc. *p. 7. c. 1. n. 86. & seq.* citans Mand. Felin. Zechum, Hojed. ac præcipuè Lap. *Alleg. 35.* communiter recepta, ut ait de Luca. *loc. cit. nu. 2.* item plures declarationes S. Congregationis, & Rotæ decis.

manifestè id continentes. Verúmque id est, etiamsi ultra onus celebrationis missarum servitium aliud impositum haberet v.g. cantandi in choro, quòd residentiam personalem præseferre videretur, positúmque expressè esset in fundatione: *Capellaniam hanc obtinens cantet, vel serviat*: Luca *loc. cit. n. 3.* Garc. *loc. cit. nu. 89.* contra Nav. *consil. 6. n. 3. de Clericis non resid.* docentem, verbum: *cantet vel serviat*: in fundatione Capellaniæ positum idem importare, quod resideat; quod intelligitur de personali residentia: poterit enim & tunc adhuc Rector Capellaniæ talis per substitutum satisfacere; uti manifestum videtur ex decis. Rotæ *in una Brixiensi Capellaniæ. 2. Martii Anno 1598.* apud Garc. *n. 88.* generaliter sic decidentis: *Capellania non requirit personalem residentiam, nisi fundator jusserit; quòd Capellanus per se ipsum inservire teneatur.* Secùs autem esse videtur, ubi fundator dixisset: *interfit vel assistat in choro*: hæc enim idem, quod *resideat*, importare videntur; adeóque imponendo hanc interessentiam, & assistentiam imposuisse videtur residentiam personalem. Garc. *loc. cit. n. 89.* quamvis & in eo adhuc casu non importari nisi residentiam causativam seu impropriam, inducentem amissionem fructuum seu emolumentorum, aut distributionum, non verò propriam ac veram inducentem incompatibilitatis effectum, docet de Luca *d. 57. cit. n. 6.* & *d. 58. n. 6.* & *d. 59. n. 4.* &c.

2. Respondeo secundò: in particulari Capellania interveniente auctoritate Ordinarii fundatâ cum obligatione residentiæ personalis, dum postmodum ejus fructus adeò diminuti sunt, ut non sint sufficientes & porportionati ampliùs tali oneri, non obligat ad residentiam, saltem Ordinario tollente hanc obligationem. Garc. *cit. p. 7. c. 1. nu. 126.* docet etiam in genere Lott. *l. 3. q. 27. nu. 19.* his verbis: libera est hac in re facultas Episcopi, non solùm in superadducenda residentia ex causa prædicta (nimirum urgente necessitate vel utilitate Ecclesiæ ex defectu ministrorum) sed etiam in tollenda, si ob tenuitatem fructuum non reperiatur, qui velit provideri; ut etiam latè probat Moneta *de commut. ult. volunt. c. 11. n. 15.* apud eundem, uti id eum posse in eo casu annuente patrono, aut etiam eo invito, si vocatus consentire noluerit; patet ex generali doctrinâ, quâ docent DD. *ad c. nos quidem. de testam.* posse Ordinarium in tali casu diminuere, seu reducere onera à fundatore imposita: cùm, ut ait Felin. *ad c. cum accessissent. de constit. n. 29.* cessantibus reditibus cessare debet ordinatio testatoris. vide de hoc Garc. qui pro hac materia citat Lamb. *l. 3. q. 6. n. 7.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 24. q. 6.* &c.

3. Respondeo tertiò: Capellaniæ, quæ nullos fructus habent in absentia, sed omnes inter Capellanos & beneficiatos præsentes distribuuntur, absentibus nihil percipientibus, requirere videntur personalem & præcisam residentiam; ita ut illas obtinentes ad eam teneantur, & cogi possint, nõ obstante consuetudine contrariâ. Garc. *p. 3. c. 2. n. 188.* idque ob decis. aliquam S. Congreg. quam adfusum *ibidem* recitat Garc. quamque se originaliter vidisse ait apud eundem Gonz. *gl. 5. n. 1.* plura tamen in contrarium adducente Nav. *consil. 4. de cler. non resid. n. 1.* & *seq.* Quin imò tenere responsionem etiam non obstante consuetudine immemoriali, ostendit Garc. *loc. cit. num. 197.* Verum & de hoc onere residendi accuratius infra *sect. 3. c. 1.*

Quæstio 101. *Quot modis Capellania (idem est de alio beneficio) dicatur sacerdotalis?*

Respondeo tribus: primò: dum requirit eo tempore sacerdotium, quo jus obtinetur in Capellania. Secundò: dum requirit illud eo tempore, quo à patrono nominatur seu eligitur. Tertiò: dum ita solùm illud requirit, ut qui eligitur, nominatur & offertur, fiat sacerdos intra annum ab eo tempore computandum, quo nactus est pacificam Capellaniæ possessionem; alioquin vel ipsâ, vel ejus fructibus sit privatus. Azor. *l. 6. c. 24. q. 4.*

Quæstio 102. *Vndenam, dum institutio fundatoris, vel statutum, aut consuetudo id clarè non exprimit, constet, vel conjectura sumatur, Capellaniam esse, vel non esse sacerdotalem; seu obtinentem illam debere esse aptitudine tantùm, vel actu sacerdotem, & legere missas per se ipsum?*

1. Respondeo primò: Capellania sacerdotalis est, & requirit in promovendo sacerdotium actu tempore præsentationis seu provisionis, dum dicitur in fundatione vel statuto: *præsentetur sacerdos*; vel *promoveatur Capellanus, qui missam celebret*: vel *assumatur persona idonea ad celebrandum*: vel etiam ut insinuat Garc. *n. 97. præsentetur presbyter vel rector causâ celebrandi missas &c.* qualitas enim adjuncta verbo juxta L. *in delictis. ff. de noxalibus*; intelligitur secundùm tempus illius Garc. *p. 7. c. 1. n. 58.* citans plures pro hoc decis. Rotæ; & dicens esse communiorem contra Azor. *l. 6. c. 24. n. 4.* in cujus sententiam inclinabo. *sect. seq.* ubi de SS. ordinibus requisitis in beneficiato. & Corrad. *l. 2. c. 10. n. 117.* in quantum ii volunt, id verum esse, dum fundator est laicus, non verò, dum est Ecclesiasticus, vel statutum Ecclesiæ sic loquitur; sufficere enim tunc posse intra annum fieri sacerdotem: pro hac doctrina citatur à Garc. *n. 63.* Lamb. *p. 1. l. 2. a. 27. q. 7.* & Anton. Genuens. Item contra Ferret. qui vult id solùm tenere, dum sacerdotium annexum est per verba negativa, dicēte v.g. fundatore: *Capellania conferatur non nisi sacerdoti.* Item contra Zerol. *p. 1. V. beneficium* §. 8 qui vult posse institui non sacerdotes, modò tamen infra annum fiant sacerdotes, dum Ecclesia fundata hâc conditione, ut ad illam instituantur tot presbyteri, qui quotidie celebrent; item contra Gonz. *gl. 5. n. 104.* & *seq.* qui idem cum Zerol. docet, & insuper addit, dum fundator diceret: *præsententur sacerdotes & non alii*; adhuc sufficere, esse in ea ætate, ut saltem intra annum fieri possit sacerdos. huic ferè inhæret Perez. de Lara *l. 2. c. 5. n. 16.* apud Garc. *n. 63.* nimirum dum fundator requirit ptesbyteratum per verba mixta affirmativa, sufficere præsentari idoneum ad presbyteratum. ac denique contra Paris. *de resign. l. 4. q. 9. n. 34.* qui vult in iis casibus, in quibus requiritur ætas 25. annorum & sacerdotium, posse resignari & provideri beneficium non sacerdoti, habenti tamen dictam ætatem. Ratio responsionis nostræ est, quòd qui non est sacerdos actu, sed solùm aptitudine, non dicatur verè, nec absolutè & simpliciter sacerdos; adeòq; in eo non verificentur verba requirentia sacerdotium. Garc. *n. 67.* Contra dictam Corradi & Azor. distinctionem est, quòd si in fundatione laici verba illa importent,

portent, quod Capellania sit sacerdotalis actu, idem etiam importare debeant in fundatione personæ Ecclesiasticæ Attendenda namque hic solùm sunt verba fundationis, & eorum vis. Garc. *loc. cit, n.* 83. Secundò: requiritur actu sacerdotium, dum fundator vel statutum dicit, aut consuetudo habet, ut provisus sit Capellanus vel sacerdos: particula enim illa *vel*, est solùm declarativa. Zech. *de rep. Eccl. c. de beneficiar. n.* 4. Tuschus *lit. E. concl.* 57. apud Garc. *loc. cit. n.* 60. & 72.

2. Respondeo secundò: Capellania ex eo, quòd fundator dixit, Capellanum debere celebrare missas seu divina officia, non est sacerdotalis, nec actu, nec aptitudine; sed conferri potest simplici Clerico, etiam tantùm primæ tonsuræ, qui eam per substitutum administret. Card. de Luca. *de benef. d.* 61. *n.* 3. & 7. Garc. *loc. cit, n.* 85. & *seq.* citans pro hac responsione AA. quàmplurimos, pluresque Rotæ & S. Congreg. decis. clarissimas ad longum. Vide etiam Gonz. *l. c. gl.* 5. *n.* 72. item Lott. *l.* 2. *q.* 47. *à n.* 34. ubi ait: annexio sacerdotii minimè argui potest ab annexione oneris celebrandi ob separabilitatem facti celebrationis ab ipso onere; quod ut per alium non possit absolvi, nullo jure cautum est; pro quo citat præter alios Felin. *in c. eum omnes. de constitut. n.* 3. dicentem ita de generali consuetudine servari; & ait hanc sententiam sæpissime probatam à Rota, cujus plures decis. adducit *n.* 35. Unde quamvis fundator vel statutum referat onus illud celebrandi ad personam beneficiarii; dum tamen expresè non removet hanc facultatem celebrandi per alium, quæ est à jure communi; potiùs censetur voluisse conformare se cum eo jure, quàm ab ejus orbita recedere: cùm omnis dispositio nudis verbis prolata vestiatur à jure communi. *l. quæro. ff. locati.* Lott. *n.* 36. atque ita tunc inflectitur ea relatio, ut stet demonstrativè ad qualitatem oneris; non autem dispositivè ad qualitatem personæ. ut Lott. *n.* 37. Rationem responsionis præter eam, quam afferam infra *loc. cit.* hanc quoque affert Garc. *n.* 92. ex eo tunc posse isti oneri satisfieri per substitutum, quod non sit in eo casu electa industria personæ, & hinc valeat, quod quis per alium facit, per se ipsum facere videtur.

3. Respondeo tertiò: Capellania erit quidem sacerdotalis, ut Lott. *n.* 38. citans Gonz. *gl.* 5. *n.* 100. & 107. non tamen adhuc erit sacerdotalis actu, sed solùm aptitudine, ubi fundator dixit, Capellanum debere celebrare per se ipsum, seu debere personaliter deservire, vel debere residere. Garc. *n.* 98. citans Gonz. *loc. cit. n.* 100. Nav. &c. Item declar. S. Congreg. de Anno 1604. quam se authenticè vidisse testatur, quæ inter cætera sic habet: *Si ex fundatione cautum, ut Capellanus per se ipsum celebret missas, simplici adhuc conferri potest clerico, in ea tamen ætate constituto, ut intra annum ad sacerdotium promoveri queat.*

4. Respondeo quartò: Capellania ex hoc erit adhuc sacerdotalis aptitudine, quòd præter onus legendi missas habet onus juvandi curatum in cantando, & aliis similibus assistendi in choro: tunc enim censetur injunctum servitium personale non tantùm chori, sed etiam missarum; adeoque eas non poterit curare legi per alium. Garc. *loc. cit. n.* 89. Filiuc. *tr.* 41. *c.* 1. *n.* 15. Porrò quis dispensare possit quoad dictam qualitatem requisitam à fundatore, & qualiter ei derogetur per provisionem Apostolicam, vide ex dicendis *sect. seq. loc. cit.* Vide quoque Garc. *loc. cit. n.* 102. & *seq.* fusè de hoc. Ac denique qualiter providendum in casu voluntatis fundatoris ambiguæ, deducendæ ex verbis vel conjecturis, vide apud Card. Luca *de benef. d.* 86. *ferè per tot.* ubi etiam, quæ distinctio inter vocabula *presbyter* & *sacerdos* in hoc vel illo idiomate, in quo conscripta est fundatio. Plura de hoc vide, ubi de ætate requisita ad singula beneficia. *sect. seq.*

Quæstio 103. *Quidsi ergo in fundatione Capellaniæ dicatur: præsentetur sacerdos proximior in sanguine, si invenitur aliàs Clericus, num si tempore præsentationis fuerit aliquis sacerdos, is præsentari debeat, etsi sit remotior, & alteri proximiori præferendus, etsi hic postea adhuc ante institutionem remotioris illius esset jam factus sacerdos.*

REspondeo affirmativè: attendi enim debet tempus præsentationis. Garc. *loc. cit. n.* 73. citans pro hoc Perez de Lara, & decis. Rotæ.

Quæstio 104. *An & quanta sit obligatio legendi missas impositas Capellaniæ in Ecclesia, sacello, vel altari à fundatore designato, & ad quid hoc negligens Capellanus teneatur; & quis in eo dispensare possit?*

1. REspondeo ad primum affirmative: non enim satisfieret aliàs voluntati fundatoris. Corr. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 20. & 27. cum communi. Respondet idem ad secundum. *n.* 22. Capellanum citra legitimam causam celebrando alibi peccare mortaliter. Respondet ad tertium: non tamen teneri illum missas lectas alibi legere denuo in loco designato: quia jam in substantia satisfactum oneri missarum injuncto à fundatore, neque ad ullam aliam restitutionem; quia non privavit fundatorem fructu beneficii. Corrad. *ibidem, n.* 23. & 24. citans Barb. *de potestate Episc. alleg.* 24. *n.* 36. & Fraxinell. *de oblig. sacerd. sect.* 4. *corol.* 5. §. 3.

2. Respondet ad quartum dispensare in hoc non posse Episcopũ (etiam consentientibus hæredibus; cùm non agatur in hoc puncto de voluntate hæredum, sed fundatoris. Navar. *de orat. c.* 5. *n.* 2. & 12.) cum verò sic derogaret menti fundatoris, quod non potest. Corrad. *n.* 25. & 26. Nequidem dum Capellanus ratione studiorum abest, & ut sentire videtur Barb. *loc. cit.* ex Henriq. Corr. *ibid.* ubi ait: & in hoc casu de necessitate petendum indultum Pontificium, censeri à peritissimis Curialibus, uti & *num.* 20. ait, praxin ipsam docere, non nisi de licentia Papæ licere dictas missas celebrare alibi.

Quæstio 105. *An, & quando numerus missarum ex fundatione impositus Capellaniæ (idem est de Vicariis, aliisque similibus beneficiis) reduci possit per Ordinarium, quando reditus diminuti sunt & insufficientes tali oneri?*

REspondeo: tametsi Episcopi in Synodo diœcesana, uti & Abbates, Generalisque ordinum in Capitulis Generalibus ex concessione Trid. *sess.* 25. *c.* 4. *de reform.* (cujus concessionis varias limitationes, explicationes, & variorum super ea sententias vide apud Garc. *loc. cit. n.* 127. & *seq.* Vide etiam Barb. *de potest. Episc. alleg.* 29.) possint, re diligenter perspectâ, prout major Dei

honor

honor & utilitas Ecclesiarum & necessitas exegerit, reducere missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum eisdem Ecclesiis: ubi ob multitudinem eisdem satisfieri non potest: vel Eleemosynæ pro iis celebrandis adeò tenues, ut non facilè inveniatur, qui velit se huic oneri subjicere, idémque etiam possint vi ejusdem indulti circa Anniversaria defunctorum officia, ut declaravit S. Congreg. super hoc interrogata ab Archiepiscopo Neapolitano apud Corr. *cit. c.* 11. hanc declarationem verbotenus recitantem. Quamvis tamen & hæc ipsa concessio illis sublata videatur vi decreti à S. Congregatione editi auctoritate Urban. VIII. ad Annum 1625. quod plura salutaria hac de re continet, & ad fusum recitatur à Corr. *loc. cit. n.* 10. uti & responsiones ejusdem S. Congreg. ad plura dubia super hoc decreto orta. Nihilominùs neque ante, neque per dictum Concilium potuisse, aut posse Episcopos reducere numerum missarum impositarum beneficio seu Capellaniæ; cùm de illis missis non loquatur Trid. ut patet; adeóque talem reductionem factam ab Episcopo esse nullam; recurrendúmque esse pro tali reductione obtinenda ad Sedem Apostolicam, docent Corr. *loc. cit. n.* 5. *& seq. usque ad* 20. Barb. *cit. alleg.* 29. *n.* 9. Rodriq. *qq. regular. to.* 1. *q.* 43. *a.* 13. Garc. *cit. c.* 1. *n.* 13. citans apertissimas hac super re declarationes S. Congreg. quibus tamen non repugnat quosdam Episcopos speciale à Pontifice indultum habere reducendi ista missarum onera in fundatione imposita, ut videre est apud Corr. *n.* 6. Quin & absolutè casu imminutorum adeò redituum beneficii, ut beneficiatus suo muneri & officio satisfacere commodè non possit, posse per Ordinarium reduci missas impositas beneficio, docet Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 24. *q.* 6. Eòquòd tacita sit ea patroni (credo per patronum intelligit fundatorem) pro eo casu voluntas.

Quæstio 106. *Quid juris competat Capellanis Ecclesiæ alicujus Collegiatæ interessendi Capitulo?*

1. REspondeo primò: Capellani etiam provisi in titulum (idem est de aliis beneficiatis, quocunque nomine veniant, inferioribus Canonicis) non sunt de Capitulo, neque votum habent; Capitulum enim constituitur à solis Canonicis, de Luca, *de Canonicis. d.* 20. *n.* 6. Barb. *de Canon. c.* 37. Neque vocari debent ad communes tractatus cum Canonicis. Lott. *l.* 1. *q.* 15. *n.* 27. citans Gloss. *in c. penult. de cler. non residentibus.* idémque verum dicit, etiam respectu emolumentorum, quorum participes sunt, qualia sunt anniversaria & similia. *n.* 28. Procedereque, etiamsi participent de massa communi, & de omnibus aliis. *n.* 29. nisi fortè talis participatio iis competeret jure proprio (v.g. dum massa conflatur ex bonis propriis & redditibus ipsorum; secùs si ex redditibus bonorum Ecclesiæ; tum enim competeret iis jure Ecclesiæ Lott. *num.* 31.) vocandi namque tunc essent juxta regulam: *quod omnes tangit.* Lott. *n.* 30. citans Vitalin. *in Clem. ut ii. de ætate & qualitate. n.* 3. Paris. *l.* 4. *consil.* 90. *nu.* 12. &c. Quod ipsum, ubi fieret ex consuetudine in Ecclesiis istiusmodi patrimonialium receptitiis, etiam Collegiatis, & Cathedralibus, tolerabile esse, ait de Luca *loc. cit. n.* 12. in iis Capitulis, quæ congregantur pro negotiis œconomicis, ac recta administratione massæ, in qua tales presbyteri sunt æquè interessati, & consequenter etiam in electionibus Officialium in idem tendentibus, puta procuratorum & similium; nequaquam autem tolerandum tanquam manifestum abusum juris, ut intervenire debeant ac votum habeant in actibus aliis jurisdictionalibus & præeminentialibus, v. g. Electionibus Vicarii Capitularis sede vacante, Canonicatuum, aliorumque beneficiorum ejusdem Ecclesiæ.

2. Respondeo secundò: Poterit nihilominùs per consuetudinem induci, ut sint simpliciter de Capitulo, ut in eo vocem habeant non tantùm Capellani beneficiati, sed & simplices talis Ecclesiæ presbyteri carentes titulo collativo. Luca *loc. cit. n.* 7. *&* 8. ubi etiam ait, requiri, ut talis consuetudo contra jus sit immemorialis, vel centenaria, vel saltem quadragenaria, cum titulo putativo seu colorato, ejusque fama benè probata.

Quæstio 107. *An Capellæ exstructæ in Ecclesia, Ecclesia fiat compatrona ratione situs ei concessi?*

REspondeo: tametsi dari possit participatio jurispatronatûs & duo patroni, unus ratione sitûs seu fundi, alter ratione fundationis; seu unus ratione constructionis, alter ratione dotationis; & hinc quoque Abb. *ad c. ad audientiam. de Ecclesiis ædif. num.* 11. dicat Ecclesiam concedentem situm ratione soli effici compatronam; idem tamen Abb. ait, de facto servari contrarium, & talem esse communem consuetudinem, testatur Lamb. *l.* 1. *q.* 8. *a.* 6. *n.* 4. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 10. *n.* 12. &c. apud Card. de Luca *de jurepat. d.* 53. *n.* 6.

PARAGRAPHVS II.

De Vicariis, &c.

Quæstio 108. *Qui veniant nomine Vicariorum in jure?*

REspondeo primò: latissimè sumendo, nomine Vicarii venire omnes, quotquot vices aliorum, in quorum locum sufficiuntur, gerunt; Azor *l.* 2. *c.* 6. *q.* 1. Latè sumendo illud in jure civili veniunt, qui in locum alterius magistratûs, absentis scilicet, mortui, vel impediti substituuntur ab iis, qui ad hoc à lege potestatem habent. Barb. *de jure Eccl. l.* 3. *c.* 6. *num.* 1. in jure verò Canonico variam esse hujus nominis usurpationem, & pluribus convenire, qui ad tres classes seu species revocari possunt juxta Laym. *ad c.* 1. *de off. Vicarii. in* 6. *n.* 1. Prima est eorum, qui à Canone constituuntur, ita ut propriam & ordinariam jurisdictionem obtineant, subordinatam tamen principaliori, qualis est Archidiaconus respectu Episcopi juxta *c.* 1. *de off. Archid.* Secunda eorum, qui ab homine nimirum Superiore Ordinario constituuntur, ita ut potestatem vel jurisdictionem diversam obtineant à constituente; quorum aliqui habent delegatam ad universitatem causarum, alii Ordinariam: tales sunt quòad jurisdictionem fori externi Vicarii, seu Decani rurales seu foranei, qui jurisdictionem delegatam & omnino dependentem ab Ordinario habent, à quo pro arbitrio ipsius deponi possunt: quandoque tamen ordinariam quandam habent subordinatam Episcopo; dum nimirum constituuntur per electionem Capituli ruralis ab Episcopo

seu

Quæstio 88. *Quænam Capellaniæ præbeant titulum Ordinationis?*

1. REspondeo primò: Capellania ad nutum amovibilis, etiamsi collativa sit & beneficium, nequit esse titulus ordinationis; quia deest stabilitas & perpetuitas, requisita ad titulum ordinationis. Corrad. *loc. cit. n.* 49. Barb. *loc. cit. n.* 19. ubi tamen hanc facit exceptionem, nisi talis Capellania amovibilis habeatur in Capella Papæ; tenet enim eas sufficere pro titulo ordinationis, & citat pro hoc Navar. *consil.* 20. *de temp. ordin.* Riccium *in praxi fori Ecclesiast. resol.* 334. *in fine.* Sayr. Molses &c. Aliam exceptionem addit de Luca *ad Trid. d.* 14. *n.* 33. nimirum nisi titulus beneficii ex natura sua manualis, per accidens hìc & nunc in hac persona ordinanda foret perpetuus, ex eo quòd ii, ad quos pertinet amovere, id agere (nempe ordinari) validè permittant; quin etiam *n.* 55. addit sufficere Capellaniam (aliudve servitium Ecclesiasticum, non tamen meram famulatûs speciem habens, ut est conductio v. g. ad pulsandum organum) quæ etsi specialem vel personalem titulum nullum tribuant, tribuit tamen, seu annexum habet tale jus, quod titulo æquipolleat, ita ut illud servitium, etiam ex parte recipientis sit necessarium, neq; competat admittentibus libera facultas talem dimittendi juxta praxin frequentem Ecclesiarum parochialium; quin & collegiatarum, etiam Cathedralium, ad quarum servitium ex consuetudine loci cives seu notionales, habentes certas qualitates cum numero præfinito vel sine eo recipiuntur ad participationem cujusdam massæ communis, & ad talis servitii titulum ordines conferri posse, receptum esse ait: cùm beneficio vel Capellæ perpetuæ titulatæ spectato effectu æquipolleat; idem habet & explicatiùs proponit *de benef. d.* 80. *n.* 14.

2. Respondeo secundò: Capellaniæ perpetuæ præbent titulum ordinationis, non tantùm eæ, quæ ab initio auctoritate Episcopi erectæ in beneficiũ; sed etiam eæ, in quarum primæva institutione, etsi non intervenerit auctoritas Ordinarii, postea tamẽ non reluctante fundatoris auctoritate erectæ sunt in beneficium per collationem & Canonicam institutionem. Barb. *loc. cit. n.* 23. quin & illæ, quæ nec collativæ nec beneficium sunt; licet enim ad eas non possit quis ordinari tanquam ad titulum beneficii, poterit tamen ad eas ordinari tanquam ad titulum patrimonii. Garc. *loc. cit. n.* 112. citans Trid. *sess.* 21. *c.* 2. Card. de Luca *ad Trid. d.* 14. *n.* 33.

Quæstio 89. *Num & qualiter Capellania ex non collativa fieri possit collativa auctoritate Ordinarii?*

1. REspondeo: hoc fieri posse, ut dum nimirum Capellania, quæ ob non intervenientem in primæva ejus fundatione auctoritatem Ordinarii non nisi ad statum Capellaniæ non collativæ, seu habentis solam rationem legati pii evaserat, & in eo etiam ad tempus aliquod permanserat, superveniente demum auctoritate Ordinarii erigeretur in beneficium per collationem & institutionem Canonicam, non reluctante fundatoris voluntate. Corrad. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 17. *& seq.* citans Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. *n.* 58. Salcedo, Zævall. quos citat & sequitur Garc. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 108. *& seq.* sub limitatione tamen paulò pòst subjungenda. Censetur autem hæc voluntas non reluctari, dum fundator in constitutione sua nihil addidit, per quod ratio collativæ seu beneficialis excluderetur; sed simpliciter solùm bona sua legavit Capellæ vel altari alicui, ut legantur in eo hebdomadatim certæ missæ, nominando insuper simpliciter patronos: tunc enim factâ per accedentem Ordinarii auctoritatem erectione simplicis talis Capellaniæ in beneficialem, dicta testatoris voluntas non mutatur; utpote quæ talem erectionem non prohibuit; quin potiùs interpretativè saltem illam voluit. Testator enim simpliciter instituendo Capellaniam, videtur velle instituere beneficium Ecclesiasticum. Garc. *loc. cit. n.* 109. Sed dicitur solùm per talem adjectionem non contrariam alterari. Corrad. & Gonz. *loc. cit.* quod ipsum licet Ordinario. Corrad. *ibidem.* citans Bald. *in l. si testamentum. c. de testam.* cùm id fiat, ut piæ testantium voluntates debitæ executioni mandentur, firmiùs conserventur, & Episcopus sit executor demandatus omnium piarum dispositionum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus juxta Trid. *sess.* 24. *c.* 8. Corrad. *loc. cit.* qui etiam sic frequenter practicari asserit allatis exemplis aliquot. Hanc doctrinam veram esse asserit Garc. in Capellaniis institutis in ultima voluntate, in quibus non solet intervenire auctoritas & erectio Ordinarii, nisi post mortem testatoris, quando effectum sunt habituræ. Item in Capellaniis institutis inter vivos, etiam irrevocabiliter, quarum effectus differtur ad mortem. Non tamen in Capellaniis institutis inter vivos, & statim effectuatis per positionem Capellani; quia ex quo fundator non requisivit auctoritatem Ordinarii, non videtur velle facere beneficium Ecclesiasticum, sed Capellaniam non collativam, adeoque eam erigere postea in beneficium; esset mutare voluntatem & dispositionem fundatoris. Idem censet in Capellaniis, in quibus dicitur, quòd Capellanus ponatur per patronos.

Quæres 90. *An dum fundator noluit Capellaniam esse collativam, Ordinarius, saltem accedente consensu patroni, possit de ea facere collationem & institutionem, & sic de non beneficiali eam erigere in beneficium?*

REspondeo negativè: Garc. *n.* 105. citans pro hoc AA. quàm plurimos, & aliquot Rotæ decisiones ad fusum.

Quæres 91. *An quando constat fundatorem noluisse facere Capellaniam collativam & beneficium, ad hoc, ut habeatur pro beneficio, sufficiat collatam fuisse per 40. annos ut beneficium?*

REspondeo affirmativè: Garc. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 115. ubi postquam inclinâsset in sententiam requirentem ad hoc tempus immemoriale, argumento *c.* 1. *de præscriptione in* 6. *juncta auth. de nuptiis.* §. *disponat.* oppositum, quod tenet Azor. verum censet juxta *c. cum de beneficio. de præb. in* 6. & ait *cit. c.* 11. requirens tempus immemoriale ad hujusmodi præscriptiones loqui de casu, in quo jus commune est contrarium, non autem sola lex privata fundatoris.

Quæstio 92. *An dum Capellania perpetua erecta est auctoritate Episcopi in beneficium Ecclesiasticum (quod postremum addo, quia*

honor & utilitas Ecclesiarum & necessitas exegerit, reducere missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum eisdem Ecclesiis: ubi ob multitudinem eisdem satisfieri non potest: vel Eleemosynæ pro iis celebrandis adeò tenues, ut non facilè inveniatur, qui velit se huic oneri subjicere, idémque etiam possint vi ejusdem indulti circa Anniversaria defunctorum officia, ut declaravit S. Congreg. super hoc interrogata ab Archiepiscopo Neapolitano apud Corr. *cit. c.* 11. hanc declarationem verbotenus recitantem. Quamvis tamen & hæc ipsa concessio illis sublata videatur vi decreti à S. Congregatione editi auctoritate Urban. VIII. ad Annum 1625. quod plura salutaria hac de re continet, & ad fusum recitatur à Corr. *loc. cit. n.* 10. uti & responsiones ejusdem S. Congreg. ad plura dubia super hoc decreto orta. Nihilominùs neque ante, neque per dictum Concilium potuisse, aut posse Episcopos reducere numerum missarum impositarum beneficio seu Capellaniæ; cùm de illis missis non loquatur Trid. ut patet; adeóque talem reductionem factam ab Episcopo esse nullam; recurrendúmque esse pro tali reductione obtinenda ad Sedem Apostolicam, docent Corr. *loc. cit. n.* 5. *& seq. usque ad* 20. Barb. *cit. alleg.* 29. *n.* 9. Rodriq. *qq. regular. to.* 1. *q.* 43. *a.* 13. Garc. *cit. c.* 1. *n.* 13. citans apertissimas hac super re declarationes S. Congreg. quibus tamen non repugnat quosdam Episcopos speciale à Pontifice indultum habere reducendi ista missarum onera in fundatione imposita, ut videre est apud Corr. *n.* 6. Quin & absolutè casu imminutorum adeò redituum beneficii, ut beneficiatus suo muneri & officio satisfacere commodè non possit, posse per Ordinarium reduci missas impositas beneficio, docet Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 24. *q.* 6. Eòquòd tacita sit ea patroni (credo per patronum intelligit fundatorem) pro eo casu voluntas.

Quæstio 106. *Quid juris competat Capellanis Ecclesiæ alicujus Collegiatæ interessendi Capitulo?*

1. REspondeo primò: Capellani etiam provisi in titulum (idem est de aliis beneficiatis, quocunque nomine veniant, inferioribus Canonicis) non sunt de Capitulo, neque votum habent; Capitulum enim constituitur à solis Canonicis, de Luca, *de Canonicis. d.* 20. *n.* 6. Barb. *de Canon. c.* 37. Neque vocari debent ad communes tractatus cum Canonicis. Lott. *l.* 1. *q.* 15. *n.* 27. citans Gloss. *in c. penult. de cler. non residentibus.* idémque verum dicit, etiam respectu emolumentorum, quorum participes sunt, qualia sunt anniversaria & similia. *n.* 28. Procedereque, etiamsi participent de massa communi, & de omnibus aliis. *n.* 29. nisi fortè talis participatio iis competeret jure proprio (v.g. dum massa conflatur ex bonis propriis & redditibus ipsorum; secùs si ex redditibus bonorum Ecclesiæ; tum enim competeret iis jure Ecclesiæ Lott. *num.* 31.) vocandi namque tunc essent juxta regulam: *quod omnes tangit.* Lott. *n.* 30. citans Vitalin. *in Clem. ut ii. de ætate & qualitate. n.* 3. Paris. *l.* 4. *consil.* 90. *nu.* 12. &c. Quod ipsum, ubi fieret ex consuetudine in Ecclesiis istiusmodi patrimonialium receptitiis, etiam Collegiatis, & Cathedralibus, tolerabile esse, ait de Luca *loc. cit. n.* 12. in iis Capitulis, quæ congregantur pro negotiis œconomicis, ac recta administratione massæ, in qua tales presbyteri sunt æquè interessati, & consequenter etiam in electionibus Officialium in idem tendentibus, puta procuratorum & similium; nequaquam autem tolerandum tanquam manifestum abusum juris, ut intervenire debeant ac votum habeant in actibus aliis jurisdictionalibus & præeminentialibus, v. g. Electionibus Vicarii Capitularis sede vacante, Canonicatuum, aliorumque beneficiorum ejusdem Ecclesiæ.

2. Respondeo secundò: Poterit nihilominùs per consuetudinem induci, ut sint simpliciter de Capitulo, ut in eo vocem habeant non tantùm Capellani beneficiati, sed & simplices talis Ecclesiæ presbyteri carentes titulo collativo. Luca *loc. cit. n.* 7. *&* 8. ubi etiam ait, requiri, ut talis consuetudo contra jus sit immemorialis, vel centenaria, vel saltem quadragenaria, cum titulo putativo seu colorato, ejusque fama benè probata.

Quæstio 107. *An Capellæ exstructæ in Ecclesia, Ecclesia fiat compatrona ratione situs ei concessi?*

REspondeo: tametsi dari possit participatio jurispatronatûs & duo patroni, unus ratione sitûs seu fundi, alter ratione fundationis; seu unus ratione constructionis, alter ratione dotationis; & hinc quoque Abb. *ad c. ad audientiam. de Ecclesiis ædif. num.* 11. dicat Ecclesiam concedentem situm ratione soli effici compatronam; idem tamen Abb. ait, de facto servari contrarium, & talem esse communem consuetudinem, testatur Lamb. *l.* 1. *q.* 8. *a.* 6. *n.* 4. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 10. *n.* 12. &c. apud Card. de Luca *de jurepat. d.* 53. *n.* 6.

PARAGRAPHVS II.

De Vicariis, &c.

Quæstio 108. *Qui veniant nomine Vicariorum in jure?*

REspondeo primò: latissimè sumendo, nomine Vicarii venire omnes, quotquot vices aliorum, in quorum locum sufficiuntur, gerunt; Azor *l.* 2. *c.* 6. *q.* 1. Latè sumendo illud in jure civili veniunt, qui in locum alterius magistratûs, absentis scilicet, mortui, vel impediti substituuntur ab iis, qui ad hoc à lege potestatem habent. Barb. *de jure Eccl. l.* 3. *c.* 6. *num.* 1. in jure verò Canonico variam esse hujus nominis usurpationem, & pluribus convenire, qui ad tres classes seu species revocari possunt juxta Laym. *ad c.* 1. *de off. Vicarii. in* 6. *n.* 1. Prima est eorum, qui à Canone constituuntur, ita ut propriam & ordinariam jurisdictionem obtineant, subordinatam tamen principaliori, qualis est Archidiaconus respectu Episcopi juxta *c.* 1. *de off. Archid.* Secunda eorum, qui ab homine nimirum Superiore Ordinario constituuntur, ita ut potestatem vel jurisdictionem diversam obtineant à constituente; quorum aliqui habent delegatam ad universitatem causarum, alii Ordinariam: tales sunt quòad jurisdictionem fori externi Vicarii, seu Decani rurales seu foranei, qui jurisdictionem delegatam & omnino dependentem ab Ordinario habent, à quo pro arbitrio ipsius deponi possunt: quandoque tamen ordinariam quandam habent subordinatam Episcopo; dum nimirum constituuntur per electionem Capituli ruralis ab Episcopo

seu

seu ejus Vicario confirmatam. Laym. *ad c. 1. de off. Archipresb.* tales verò quoad jurisdictionem fori interni sunt Vicarii parochiarum, quorum item aliqui jurisdictionem seu curam animarum ordinariam habent, intellige secundùm exercitium, seu utilem, non directam; ut Laym. *ad c. 1. de off. Vicarii in 6.* alii jurisdictionem seu partem jurisdictionis delegatam, qui dici solent cooperatores parochorum: Tertia eorum, qui ab homine ita constituuntur, ut jurisdictionem non diversam, sed eandem habeant cum constituente, quamvis alio modo, nempe cum dependentia ab eo, qui licèt ordinariam jurisdictionem sibi concessam habeant, nullum tamen in ea jus vel titulum obtinent; sed veluti operâ locatâ deserviunt, ideoque temporales sunt & amovibiles, & propriè dicuntur substituti in eadem jurisdictione. Laym. *l. antè cit. n. 1.* Huc spectant Vicarii Generales in Spiritualibus Episcoporum, quos jurisdictionem habere ordinariam, & non delegatam, vide probatum apud Laym. *loc. cit. n. 2.* His omnibus accedunt Vicarii in beneficiis, de quibus in præsenti.

Quæstio 109. *Quotuplicis generis sint Vicarii in beneficiis?*

REspondeo: esse duplicis generis; alios temporales, alios perpetuos: Abb. *ad c. extirpandæ. de præb. n. 5.* Barb. *loc. cit. n. 2.* Temporalis Vicarius dicitur ille, qui auctoritate alicujus in locum alterius ad tempus, vel ad voluntatem constituentis sufficitur; nimirum in officio beneficiali. Azor. *p. 2. l. 3. c. 6. q. 1.* Barb. *loc. cit. n. 50.* & Vicaria temporalis, quæ ad tempus, non in perpetuum duratura est; scilicet usque dum cesset causa, vel elapsum sit tempus, ob quam, vel usque ad quod talis Vicaria concessa est. Barb. *ibidem.* Vicarius perpetuus dicitur, qui auctoritate Ordinarii constituitur in beneficio curato, v. g. unito in perpetuum alicui Cathedrali, alterive Ecclesiæ, Collegio, monasterio, beneficio &c. ita ut nec ipse Ordinarius adimere ei possit administrationem, nisi ex causis legitimis in jure expressis. Azor. & Barb. *loc. cit.* Vicarios istiusmodi perpetuos minùs propriè dici Vicarios ex eo, quòd omnis cura in eos transfusa sit, gerántque administrationem auctoritate juris independenter à Rectoribus principalibus & directis (etsi non nisi per respectum ad Rectorem principalem vocentur Vicarii; cùm Vicarius sit nomen ad aliud Ægyd. *decis. 701. n. 3.* apud Corrad. & supponat jus habituale parochialitatis in alio. C. Luca *de decimis. d. 11. n. 5.*) asserit idem Corrad. *l. 3. c. 9. n. 10.* ex Lott. *l. 1. q. 33. n. 110.*

Quæstio 110. *Qualiter Vicario perpetuo competat nomen Rectoris?*

1. REspondeo primò: venire tales Vicarios perpetuos quandoque nomine Rectorum, & nomina *Rector*, *Vicarius perpetuus*, tanquam synonyma confundi, unumque pro alio poni. Corrad. *n. 13.* Barb. *loc. cit. n. 27.*

2. Respondeo secundò: Vicarium perpetuum curatum, etsi non sit propriè Rector Ecclesiæ, dici tamen propriè ac verè Rectorem curæ animarum. Lott. *loc. cit.* Barb. *n. 26.* citans Abb. *in c. ex parte. de off. Vicar. n. 3.* seu esse Rectorem actualem in administratione curæ animarum; dum interim solus Rector habitualis est verè & propriè sponsus Ecclesiæ: unde & percipit fructus dotis; Vicarius autem reputari solet tanquam minister pro solo exercitio, pro cujus etiam salario seu mercede participationem solùm aliquam obtinet emolumentorum, ac fructuum loco congruæ. de Luca *in Miscel. d. 29. n. 6.* Sed neque ratio perpetuitatis inducat curato Rectoriam, seu jus proprium independens; sed solùm jus quoddam quasi famulatûs irrevocabile. de Luca. *de parochis. d. 17. n. 5.*

3. Respondeo tertiò: ex Lott. *l. 1. q. 20. n. 122. & seq.* docente, quòd si simplex exercitium curæ (quod aliàs non ita ac cura ipsa seu jus parochiæ exigit demandari per intitulationem in ipsa Ecclesia, sed absque ea committitur ad tempus amovibiliter) committatur in perpetuum, ac ita fiat intitulatio in exercitio; eum, cui committitur, dici Rectorem ac verum parochum; citatque pro hoc Innoc. & Host. *in c. cùm non ignoret. de præb.* cùm vi istius intitulationis perpetuæ Ecclesia desinat esse parochialis superiori immediato, fiatque parochialis Vicario. Lott. *ibidem n. 24.* citans tex. *clem. 1. de off. Vicarii.* & Bellamir. *cons. 38. n. 4.* (modò tamen emolumenta parochiæ non fuerint, seu remaneant reservata alteri; hoc enim casu intitulatio non cecidisset super alio, quàm simplici exercitio; Lott. *n. 125.* certissimum enim hoc est signum judicandi, ad quem jure proprio cura pertineat, nempe ad eum, qui decimas, funeralia, &c. per se percipit. Lott. *n. 126.* citans Abb. *in c. pastoralis. de his quæ fiunt à prælato n. 2.* & Felin. *in c. dilectus. de offic. Ordinar. n. 1.* Quamvis apud talem Superiorem semper remaneat cura habitualis, adeoque per hoc non dissolvatur conjugium illud spirituale inter eum & Ecclesiam semel per se ipsum contractum; Lott. *n. 127. & 128.* intelligendo tamen id de habitu originali, non de præsentiali; quia in effectu considerato statu de præsente, cura ipsa actu & habitu est penes Vicarium. Lott. *n. 129.* Idem ferè docet Barb. *loc. cit. n. 16.* nimirum dum certa portio monasterio vel Collegio Canonicorum, cui Ecclesia parochialis unitur, reservatur, & reliqui fructus cedunt Vicario, ipsum Vicarium censeri debere principalem; secus dum Vicario assignatur certa portio ceteris fructibus, seu emolumentis relictis monasterio.

4. Respondeo quartò: in dispositionibus, quæ de Rectoribus Ecclesiarum meminerunt, ex proprietate sermonis, præcipuè in materia pœnali, odiosa & exorbitante, non comprehendi Vicarios perpetuos.

Quæstio 111. *Quæ vicariæ habeant, quæ non habeant rationem beneficii Ecclesiastici?*

1. REspondeo primò: Vicarias perpetuas in parochialibus esse vera beneficia Ecclesiastica. *c. postulásti. de rescriptis*, ubi dicitur: *non enim carere beneficio dici debet, cui competenter de Vicaria perpetua proventibus est provisum:* Garc. *p. 1. c. 2. n. 93* Less. *de jure & just. l. 2. c. 24. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 6. q. 5.* Barb. *loc. cit. n. 18.* Omnia enim, quæ ad beneficium constituendum requiruntur, in Vicaria perpetua reperiuntur. Barb. *ibidem*, eáque portio, quæ tali Vicario ex annuis beneficii (intellige principalis) proventibus detracta destinatur, beneficium judicatur. Azor. *loc. cit.* Habent etiam Vicarii perpetui jus & verum titulum in Ecclesia. *c. ad hæc. de offic. Vicar.* Gamb. *de off. legati, de lat. l. 6. tit. de dispens. n. 10.* Gonz. apud Barb. etiamsi in solo exercitio

citio curæ instituti. Lott. *l.3. c.27. n.159.* & dicuntur habere beneficia curata. Garc. *p.9. c.2. n.289.* Proinde non tantùm dispositiones omnes, quæ de beneficio mentionem faciunt, procedunt in Vicariis perpetuis. Barb. *cit. n.* 18. Garc. *loc.cit. n.286.* Card. de Luca *de Parochis. d.21. n.7.* loquens de Vicariis erectis in titulum perpetuum; sed etiam, quæ de beneficio curato disposita sunt; Garc. *ibidem.* Barb. *n.* 20. citans Paris. *l.3. q.1. n.115.* Gonz. Rebuff. Navar. &c. Atque ex his jam infertur, si hæ Vicariæ regulentur jure communi beneficiorum, posse non secùs ac quodlibet aliud beneficium in favorem resignari; Corrad. *l.3. c.9. n.4.* citans Hojed. *de incompat. benef. l.1. c.15.* item permutari prout hoc in praxi receptum testatur Paris. *l.2. q.1. n.112.* apud Corrad. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Vicariæ temporales, etsi curatæ, beneficia Ecclesiastica non sunt, nec tituli beneficiales. Barb. *loc.cit. n.58.* Garc. *p.1. c.2. n.93.* Corrad. *l.3. c.9. n.29.* cum communi: beneficiarii itaque non sunt Vicarii Ecclesiarum curatarum ad nutum laicorum amovibiles. AA. iidem, de Luca *de benef. d.80. n.20. & seq.* Neque etiam ab Ordinario deputati pro parochiali usque ad provisionem. Neque deputati usque ad tempus Rectoris; neque Ecclesiarum parochialium annexarum Episcopo, Capitulo, dignitati &c. utpote amovibiles. de Luca *de benef. d.8. n.16.* Atque ex his jam sequitur, non regulari istiusmodi Vicarias jure beneficiali; ac proinde non requirere collationem seu institutionem. Corrad. *n.28.* non intrare in iis regulam *de annali.* Barb. *loc. cit. n.59.* citans Mandos. *in reg. de annal. q.13. n.1.* Nec comprehendi in reservationibus. Barb. *ibidem.* citans Hojed. Gregor. &c. nec ratione Vicariæ obligantur ad horas Canonicas, nisi in casibus aliquibus; sed de hoc infrà; Nec denique gaudent prærogativis & emolumentis, quibus gaudent Vicarii perpetui. Barb. *n.16.* citans Gonz.

Quæstio 112. *In quibus, seu ex quibus casibus à jure approbatis constitui possit Vicarius temporalis?*

Respondeo ex sequentibus: Prima: dum quis legitimè habet plures Ecclesias, in quibus inservire & residere nequit, inserviet per se ipsum in una, in aliis Vicarium constituere compelletur Barb. *loc. cit. n.52.* Secunda: ob negotia, quibus ipse Rector ratione muneris sui distinetur; quo jure Episcopus plures Vicarios instituit. *c. ad hæc. de offic. Archid.* Barb. *ibidem.* Tertia: ratione peregrinationis ad pia loca, præsertim ad terram sanctam. Barb. *ibidem.* citans *c. fin. de voto.* Quarta: ratione ægritudinis corporis, & valetudinis incommodæ, ut constat ex toto titulo *de cleri. ægrot.* Barb. *ibid.* Quinta: ratione justæ absentiæ Rectoris approbatæ ab Episcopo. *c. relatum. de cler. ægrot.* Barb. *ibid.* citans Ugolin. *de off. Episcopi c.54.* Sexta: ratione diversæ nationis, cui Rector præficitur, utentis diversâ linguâ ab idiomate Rectoris *c.5. de off. Ordinar.* Barb. *loc. cit.* Septima: dum Rector removetur à ministerio vel officio, vel loco. *c. ad audientiam. de Eccl. ædif.* Barb. *n.53.* Ugol. *loc. cit.* Octava: dum Rector fit religiosus, & versatur in Novitiatu. *c. de Monach. de præb.* Barb. *ibid.* Nona: ratione necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, majorisque incrementi cultûs divini *c. illud.* & *c. nihil. 7. q.1.* Barb. *loc. cit.* Decima: ubi Ecclesia dispensativè conceditur alicui in minore ætate constituto, *c.2. de ætate & qualit.* vel ubi parochus ipse nondum sacerdos est. Barb. *loc. cit.* Undecima: quando beneficium simplex alteri cuipiam injungitur; tum enim solet constitui Vicarius non perpetuus. Barb. *n.54.* citans Azor *p.2. l.6. c.29. q.1.* Duodecima: dum Vicariæ perpetuæ uniuntur, tunc ad nutum possidentis instituitur Rector. Barb. *n.55.* citans Hojed. *de incomp. p.1. c.15. n.6.* Gamb. *de off. legati in uniendo. n.102.* Decimo tertia: in vacatione Ecclesiæ parochialis, donec de Rectore provideatur. Trid. *sess.24. c.18.* Barb. *n.56.* Ac denique dum beneficium est unitum mensæ Episcopi vel Capituli, constitui potest Vicarius temporalis. Barb. *n.54.* citans Gloss. *in Clem. 1. de excess. præl.* & *in Clem. 1. de supplend. negl. præl.* Quod ipsum tamen distinguit Lott. *l.1. q.33. num.93.* juxta dicta *c. præced.* ita ut Ecclesia Collegiata, præcipuè regularium, quæ habet parochialem pleno jure sibi subjectam, de jure communi non teneatur curam exercere per Vicarium perpetuum, sed possit exercitium alicui committere amovibiliter; Ubi verò non habet parochialem pleno jure subjectam, sed titulo tantùm simplicis unionis, teneatur administrare curam per Vicarium perpetuum ex dispositione *c. exstirpandæ. de præb.*

Quæstio 113. *Cujus sit constituere Vicarium temporalem beneficialem?*

1. Respondeo primò: Ecclesiâ parochiali vacante, deputare pro ea Vicarium, donec ei de Rectore provideatur, spectat semper ad Episcopum; vel sede vacante ad ejus sedis vacantis Vicarium. Garc. *n.10.* (in cujus diœcesi sita est parochia, Trid. *sess.24. c.18.* Barb. *n.56.* Lott. *l.2. q.31. n.12.* etiam ubi illius collatio spectat ad alios, Garc. *p.9. c.2. n.10.* Unde id non poterunt inferiores, etiamsi exempti, nisi habeant statum nullius diœcesis, adeóque obtineant jurisdictionem quasi Episcopalem, sitque in usu cogendi Synodos, déque his omnibus constet. Lott. *ibidem. n.13.* Garc. *loc. cit. n.8.* Leonis. *in thesaur. Fori Eccl. p.2. c.18. n.52.* Barb. *loc. cit.* uti & *de potest. Episc. p.3. alleg. 6. num.3.*

2. Respondeo secundo: in casibus tamen repentinis, si Vicaria est ad præsentationem alicujus Collegii, illud quamprimum constituere potest Vicarium ad custodiam, donec Episcopus sit factus certior & providerit. Garc. *loc. cit. num.11.* dicens hanc esse declarationem quandam sacræ Congregationis *ad c.18. sess.24.* Trid. non tamen, quòd collegium in eo casu dare possit jurisdictionem aliàs non habenti, & approbationem ad Sacramentum pœnitentiæ administrandum; sed quod possit illum ponere tantùm ad custodiam. Porro quid velint sibi verba ista Trid. *loc. cit. si opus fuerit* (semper enim opus erit constitui Vicarium tantisper, ne cura animarum patiatur) declarat S. Congregatio apud. Garc. *loc. cit. n.13.* nimirum posse contingere, ut in istâ Ecclesiâ vacante adessent alii ministri Sacramentorum; qui interea curam quoque illam, quæ ad defunctum spectabat, exercerent; vel etiam, ut vicini parochi libenter illud præstarent; vel quia, dum nemo hoc onus subire vellet, constitui possint aliqui mercenarii diurni vel hebdomadarii, qui id facerent; adeóque in his & similibus casibus opus non esse instituti alium interea Vicarium.

3. Respondeo tertiò: de cetero nominatio & deputatio Vicariorum ad nutum amovibilium in Eccle-

Ecclesiis vel beneficiis unitis pertinet ad Capitulum vel ad Prælatum monasterii, cui ea unita sunt, & Episcopus solùm debet approbare, & admittere, daréque licentiam administrandi Sacramenta, ubi idoneus repertus fuerit Vicarius, absque eo quòd ulla alia requiratur collatio vel institutio. Barb. *loc. cit. num.* 63. citans Garc. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 93.

Quæstio 114. *An nihilominùs, & quando possit Episcopus in tali parochiali, etiam quæ pleno jure subditur Collegiatæ, vel monasterio, deputare Vicarium perpetuum?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: Corrad. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 16. idque vi Trid. *sess.* 7. *c.* 7. statuentis, quòd Ordinarii deputare possint Vicarios perpetuos in quibuscunque beneficiis curatis, quæ unita reperiuntur Ecclesiis Cathedralibus, Collegiis, vel monasteriis, non obstantibus privilegiis. Hisce comprehendi monasteria quæcumque etiam exempta, & Ecclesias quomodocunq; iisdem, eorumque mensis unitas, docet ibi Corrad. citans pro hoc Barb. *de potest. Episc. alleg.* 71. *n.* 100. Item procedere etiamsi in literis unionis expressa sit clausula; ut possint deservire per Vicarios amovibiles; si literæ ante Concil. Trid. emanârint; secùs si post illud. Garc. *p.* 11. *c.* 2. *num.* 9. Flores de Mena. *Variar. qq. l.* 1. *q.* 10. *n.* 36. *& seq.* quos citat & sequitur Barb. *loc. cit. n.* 3.

2. Respondeo secundò: nihilominùs, ut ex ipsis Concilii verbis intelligitur, requiritur, ut Episcopus id faciat in visitatione; ita ut videatur non dari Ordinario hæc jurisdictio à Concilio, nisi in visitatione. Corrad. *loc. cit. n.* 18. ex Garc. *p.* 11. *c.* 2. *n.* 12. saltem dum beneficia unita sunt monasteriis & locis regularibus & exemptis. Barb. *loc. cit. n.* 4. citans pro hoc Flores de Mena. *num.* 47. Navar. *de stat. Monach. cons.* 11. *nu.* 7. Item requiritur justum arbitrium Episcopi, sive ut intercedat justa causa; poterit enim aliàs ab istiusmodi perpetuitate Vicarii appellari; cùm aliàs dictum Concilium, nempe *sess.* 25. *de regular. c.* 11. concedat, quòd possint Vicarii temporales deputari, & tantùm id remittat Ordinarii arbitrio; ut si viderit expedire, deputet Vicarium perpetuum. iidem AA. Corrad. *num.* 19. & 20.

3. Respondeo tertiò: de ceterò non posse Episcopum in vim Trid. deputare Vicarium perpetuum in sequentibus casibus; quos enumerat Barb. *loc. cit. n.* 6. *& seq.* Primò: dum à tempore immemoriali unico facta est, & ex tunc constat Vicarios fuisse ad nutum amovibiles scientibus & consentientibus Ordinariis, & nunquam Vicarium perpetuum fuisse constitutum. citatur à Barb. pro hoc Flores de Mena *loc. cit. n.* 44. Sanch. *in decal. l.* 7. *c.* 29. *n.* 191. Putat nihilominùs Corrad. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 6. derogare Concilium istiusmodi consuetudini immemoriali, citans pro hoc declarationem S. Congregationis ejusdem Concilii. Secundò: dum unio facta est per viam pacti & concordiæ à Sede Apostolica cum clausula: *deserviendo beneficio per Vicarium amovibilem*; citantur pro hoc AA. iidem. Tertiò: dum beneficium unitum est monasterio monachorum aut mendicantium. Sic enim restrinxisse dicitur Pius V. decretum illud Trid. in motu quodam proprio incipiente: *Ad exequendum pastoralis off. debitum. &c.* sub dato Kalend. Novemb. Anno 1567. quem refert Quaranta in summa Bullarii. apud Barb. *loc. cit. n.* 9. cui derogatum non fuit per constitutionem Greg. XIII. incipientem: *in tanta rerum &c.* nam præterquàm, quòd hæc constitutio tantùm procedat, quoad Vicarios parochialium unitarum monasteriis; Idem Gregor. postmodùm oretenus (ut testatur Campanil. *in diverf. juris can. rubricas. l.* 7. *c.* 6. *n.* 121. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. *n.* 79. apud Barb. *loc. cit.*) revalidavit dictam Pii V. constitutionem cum hac limitatione: modò cum religioso illo designando in Vicarium amovibiliter unus duntaxat alius religiosus extra claustrum maneat. Quartò: dum ex privilegio renunciationis causâ concesso beneficium esset unitum cum clausula ponendi Vicarium ad nutum amovibilem; quia in generali privilegiorum derogatione, qualem ponit Trid. *cit. c.* 7. non comprehendi privilegia remunerationis gratiâ concessa, multis probant Flores de Mena & Sanch. *loc. cit.* apud Barb. *n.* 10. Quin dum pro bono pacis & cessatione litium, rectâque beneficii administratione expediret nihil innovari, sed institui Vicarium ad nutum amovibilem; Trid. enim, ut dictum est, non emisit id liberæ voluntati Episcoporum, sed justo arbitrio eorum; AA. iidem, & Barb. *n.* 11. Sextò: dum ex privilegio pontificio post Trident. concesso unitum esset beneficium parochiale cum clausula, instituendi Vicarium ad nutum amovibilem; cùm enim Trid. derogans privilegiis *c.* 7. non potuerit restringere potestatem Pontificiam, loquitur tantùm de privilegiis ante id decretum concessis. Barb. *n.* 12. citans Garc. *p.* 11. *c.* 2. *n.* 5. Flores de Mena. *loc. cit. n.* 49. qui tamen posterior *n.* 50. exigit privilegium illud ex certa scientia aut motu proprio, aut cum expressa Trid. derogatione concessum; uti id intelligitur, dum ex verbis privilegii constiterit, hanc mentem fuisse Pontificis, & in dubio præsumendum, cùm illud decretum Trid. satis sit notorium, qui etiam *n.* 51. observat, in his ipsis casibus, in quibus non est integrum Episcopo constituere Vicarium perpetuum, teneri tamen curare, ut beneficio bene deserviatur; aliàs adhuc posse eum constituere in illo Vicarium perpetuum; cùm privilegium ob ejus abusum amittatur.

Quæstio 115. *Quandonam constituendi Vicarii perpetui?*

REspondeo: si quæstio procedit de tempore, Vicarios perpetuos constitui non posse, priusquam erectæ Vicariæ perpetuæ: Hinc etiam, ubi Ordinarius voluerit in executionem dicti decreti Trid. Vicarios temporales in perpetuos mutare, debet priùs erigi Vicaria perpetua; cùm Vicarii perpetui tunc non possint institui absque erectione tituli Vicariæ, qualis titulus beneficialis antè non erat, dum constituebantur absque omni collatione & institutione Vicarii ad nutum amovibiles. Corrad. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 27. Barb. *l. c. n.* 4. Garc. *loc. cit. p.* 15. Ac proinde non poterit Episcopus procedere ad dictam erectionem & positionem Vicarii perpetui, nisi citatis & auditis partibus. AA. iidem. neque etiam non nisi in visitatione. Corr. *n.* 19. ex Garc. *n.* 12. citante pro hac declarationem S. Congregationis. Porrò sic factam erectionem de Vicaria amovibili in perpetuam per Episcopum non alterare unionem jam factam quoad exercitium curæ, ait Barb. *n.* 13. Pergitque monasterium, cui unitum tale beneficium erat, nominare seu præsentare Vicarium perpetuum instituendum ab Ordinario. Corrad. *loc. cit. sub n.* 31. in formula erectionis istiusmodi

modi Vicariarum, quam utiliter leges; qui etiam ibi obſervat, fieri quandoque erectionem hujuſmodi Vicariarum ad partem; hoc eſt ſine aliqua proviſione; quandoque etiam ſimul, hoc eſt, unà cum proviſione, ita ut unico contextu erigatur & conferatur. De cetero non inſtitui Vicariam perpetuam in Eccleſia curata & parochiali de jure, quando ea habet Rectorem, niſi illa parochialis ſit annexa alicui Eccleſiæ, notat Corrad. *cit. c. 9. n. 8.* citans c. *exſtirpandæ, de præb.* & Gloſſ. *ibidem, V. perpetuo.*

Quæſtio 116. *A quo conſtituendi Vicarii perpetui?*

1. REſpondeo primò in genere: Vicarium perpetuum non conſtitui niſi vel per Papam, vel per Epiſcopum, vel per ipſum curatum ſeu principalem Rectorem. Lott. *l. 1. q. 20. n. 130.* Hæ enim ſunt tres illæ perſonæ, à quibus omnino neceſſe eſt pendere, & quidem immediatè cujuscunque Eccleſiæ curam. Hoſt. *in c. cum non ignoret, de præb.*

2. Reſpondeo ſecundò in particulari: Vicarios perpetuos in parochialibus unitis non ad liberam Ordinariorum deputationem, ſed ad nominationem illorum, ad quos ſpectant Eccleſiæ unitæ vel beneficia, in quibus erigitur Vicaria, ſpectat. Sic expreſsè ſtatuit Pius V. in Conſtitutione ſua cit. Barb. *loc. cit. n. 45.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 294.* atque ita nominatio ac veluti inſtitutio Vicarii perpetui pertinet ad Rectorem principalem, v. g. qui parochiam ſuo beneficio aut prælaturæ unitam habet; præcedente tamen examine & conſenſu Epiſcopi ſive Ordinarii. Laym. *ad tit. de off. Vicarii. n. 1.* Atque hæc conſtitutio Piana locum etiam habet, dum Vicariæ tales vacant in menſe reſervato, vel cadunt ſub alia reſervatione, ita ut non obſtante tali reſervatione poſſit dicta præſentatio ſeu nominatio, & deputatio fieri, modò deputati Vicarii expediant novam proviſionem, & ſolvant annatam, ad quod tenebuntur, antequam ad poſſeſſionem admitti poſſint; de quo vide Barb. *loc. cit.* & Garc. fusè. *n. 304. & ſeq.*

Quæſtio 117. *An in conſtituendo Vicario perpetuo non tantùm nominatio Rectoris principalis, ſed etiam conſenſus patroni intervenire debeat?*

REſpondeo: ſi parochialis Eccleſia unita ſit Prælaturæ ſeu beneficio electivo, in inſtitutione Vicarii non eſt requirendus conſenſus Patroni; quia is per unionem, ſaltem, ſi cum illius conſenſu facta fuit, cenſetur amiſiſſe jus præſentandi, niſi id ſpecialiter ſibi reſervârit; Laym. *ad c. 3. de off. Vicar. n. 3.* citans Gl. *in idem caput. V. Epiſcopi.* Lapum. *in Clem. unic. de off. Vicar.* & ſe ipſum *Theolog. Moral. l. 3. tr. 2. c. 9. n. 9.* In aliis verò caſibus v. g. dum propter amplitudinem parochiæ conſtituta eſt Capella, ſeu Eccleſia filialis principaliori ſubjecta, ita ut in ea Vicarius à principali Rectore cum Epiſcopi approbatione ponendus ſit; requirendus eſt quoque patroni conſenſus, & ſimultanea præſentatio; hoc eſt, Vicarius perpetuus pro iſta Capellâ præſentari debet Epiſcopo à Rectore principali & patrono ſimul; cùm patrono competat præſentare ad titulum parochiæ à ſe fundatæ, dotatæ & ædificatæ. Laym. *ibid. n. 4.* citans pro hoc Innoc. & Butrio *in cit. c. 3.* Lapum & Zabarel. *in cit. Clem. unic.*

Quæſtio 118. *Parochiæ annexæ monaſterio qualis inſtituendus Vicarius, temporalis, an perpetuus; ſæcularis, an regularis?*

1. REſpondeo ad primum: inſpiciendum eſt, quid ante hac conſuetum fuerit; & quid in literis factæ unionis ſeu incorporationis contineatur; quia ſtatus Eccleſiæ non facilè immutandus eſt, argumento *c. ſicut. de ſuppl. negl. præl.* ubi id notat Andr. Butrio &c. Laym. *ad cit. c. 8.* citans Garc. *p. 11. c. 2. n. 4.* Barb. *de poteſt. Epiſ. p. 3. alleg. 72. & 189.* Salvo tamen ſemper eo, quòd, ut dictum, Epiſcopus ſi Eccleſiæ expedire videatur, poſſit ordinare, ut Eccleſia deinceps per Vicarium perpetuum ordinetur, tametſi antehac ſemper temporalem habuerit; excipiendo tamen iterum ab hoc ipſo decreto Trid. caſus paulò antè enumeratos.

2. Reſpondeo ad ſecundum: ſi Rector principalis ſit ſæcularis, v. g. Præpoſitus aut Capitulum Collegiatæ ſæcularis, inſtitui non poteſt regularis; ſi autem Rector principalis eſt regularis v. g. Abbas vel monaſterium, cui unitur parochia, conſtitui poteſt regularis ad nutum amovibilis, niſi in literis unionis expreſſum ſit, ut per Vicarium ſæcularem adminiſtretur parochia, vel niſi longiſſimo tempore per ſæcularem adminiſtrata ſit, præſertim ſi intitulatus fuerit. Laym. *loc. cit.*

Quæſtio 119. *An, & qualiter Vicarius ſibi ſubſtituere poſſit alium Vicarium?*

1. REſpondeo primò: Vicarius, etiam perpetuus & intitulatus nequit ſibi ſubſtituere alium Vicarium perpetuum. *c. clericos de offic. Vicar.* Luca *de paroch. d. 17. nu. 3.* Azor *l. 3. c. 6. q. 10.* Caſtrop. *de benef. d. 1. p. 8. n. 4.* Laym. *ad c. 4. de off. Vicar. n. 1.* dicens de hac re neminem dubitare; nam nequidem ipſe parochus ſeu Rector ordinarius Eccleſiæ talem Vicarium inſtituere poteſt; Laym. *ibid.* cúmque idem titulus Vicariæ ſpectare ſimul nequeat ad duos, non magis Vicarius perpetuus Vicarium perpetuum, ſibi deligere poteſt, quàm Rector alium ſecum Rectorem: quòd autem procurator ad litem vel inceptum negotium poſſit ſibi ſubſtituere alium, inde eſt, ait Azor *loc. cit.* quòd is tunc evadat quaſi Dominus litis vel negotii.

2. Reſpondeo ſecundò: poteſt nihilominùs Vicarius perpetuus ſuopte ſeu proprio jure ex juſtâ causâ ſubſtituere ſibi Vicarium temporalem ad breve tempus. Barb. Caſtrop. Laym. *loc. cit.* cum communi, non obſtante quòd induſtria Vicarii ad ſui conſtitutionem delecta ſit, & in propria perſona reſidere teneatur, ut *ibid.* Barb. quin imò poterit id tradendo illi totum officium ſeu adminiſtrationem ſuam. Laym. *loc. cit.* citans Hoſt. *in cit. c. 4. n. 5.* Butrio & Zabarel. cùm Vicarius perpetuus non ſit delegatus, ſed ordinariam curam & juriſdictionem habeat; adeóque non minùs id poſſit, quàm parochi aliique curati non Vicarii. Caſtrop. *loc. cit.* Laym. citans Innoc. Item poterit id abſque eo, quòd requirendus ſit conſenſus patroni, etiamſi beneficium eſſet juris patronatûs laicorum; Caſtrop. *loc. cit. n. 2.* citans Lamb. *l. 3. q. 5. a. 10. n. 1. & ſeq.* Porrò tempus breve ſpecificat Caſtrop. *ibid.* nempe 15. dierum. Azor *loc. cit.* unam alterámve hebdomadam; qui etiam addit, dummodo rarò ſubſtituat. Laym. ad duos menſes extendit; dum Vicarius perpetuus à parochiali abeſſe cogitur; quin etiam, ſi præſens eſt, infirmitate tamen detinetur,

ait

ait esse probabile, quòd etiam ultra 2. menses non requisito Ordinarii consensu uti possit operâ Vicarii totum ei officium suum commendando. De cetero, ubi infirmitas excedit duos menses, debet ab Ordinario habere licentiam, ejusque auctoritate constitutum Vicarium.

3. Respondeo tertiò: Vicarius temporalis alium etiam Vicarium temporalem, committendo ei totum Vicariæ suæ officium substituere sibi nequit, nisi de licentia Ordinarii expressâ vel tacitâ. Laym. *loc. cit. n. 3. & 2.* citans Sanch. *l. 3. d. 31. n. 2.* & hoc, quantum est de jure communi; ait enim quibusdam in locis consuetudinem interpretari, quòd Ordinarius constituens in parochiali Vicarium etiam temporalem, permittat ei facultatem ex justâ causâ ad breve tempus substituendi sibi alium, totum ei officium suum commendando: ita ferè ille, citans se ipsum *in Theolog. Moral. l. 5. tr. 6. c. 10. aff. 6. nu. 13.* De cetero Vicarius temporalis citra requisitum Ordinarii consensum, dum solus officium suum implere nequit, adsciscere sibi cooperatorem non prohibetur. Laym. *loc. cit. n. 2.* vel etiam unum alterúmve ei casum delegare exemplo delegati ad universitatem causarum; nunquam tamen totum ei officium commendando. Laym. *ibidem.* & Castrop. *n. 4.*

Quæstio 120. *An & qualiter instituantur seu deputentur Vicarii per concursum?*

1. Respondeo primò: in deputatione Vicarii, donec de Rectore Ecclesiæ vacanti provideatur, per eum, ad quem id spectat, opus non est concursu nec examine; modò aliàs sit idoneus. Garc. *p. 9. c. 2. n. 18.* Corr. *l. 3. c. 3. n. 17.*

2. Respondeo secundò: etiam alias Vicarias perpetuas parochialium unitarum, quas administrat extraneus, seu qui non est de Collegio, cui annexa est Ecclesia curata, non conferri per concursum; cùm illæ provideantur ad nominationem & præsentationem illorum, quorum beneficio, dignitati, vel collegio parochiales Ecclesiæ sunt annexæ, & non ad liberam Ordinariorum electionem, sed solùm ad simplicem eorum approbationem prævio examine deputentur tales Vicarii. de Luca *de parochis. d. 37. n. 38.* qui etiam plura habet de hac materia digna lectu *ibidem d. 10. & seq.* Barb. *cit. c. 6. n. 35.* Corr. *l. 3. c. 9. n. 45.* Lott. *l. 2. q. 31. n. 21.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 289.* Ricc. *in praxi fori Eccles. resol. 338. n. 1.* & sæpissime Rota, ut videre est apud Lott. etiam ex mente S. Congreg. ut videre est apud Garc. sed neque requiritur, ut examen præsentati fiat ab Examinatoribus synodalibus, sed sufficit examen & approbatio Ordinarii. Garc. *n. 293.* Atque ita in hac provisione Ecclesiarum talium unitarum per Vicarios perpetuos, etiam intitulatos, locus non est dispositioni Trid. *sess. 24. c. 18.* super forma providendi per concursum, utpote quod loquitur de ipsis parochialibus, & non de Vicariis parochialium unitarum. Garc. *n. 292.* cùm etiam in talibus Vicariis, quibus commissum tantum est simplex exercitium curæ animarum in talibus parochialibus non intret eadem ratio, quæ in aliis parochis. Lott. *loc. cit.* Vide etiam Card. de Luca. *de jurepat. d. 17. n. 15.* Neque res illa ullam ampliùs habet difficultatem; cùm sit manifestè decisum per cit. constitut. Pii V. *ad exequendum*, 4. annis, ut notat Garc. *loc. cit.* & Gonz. *loc. cit.* apud Conrad. *loc. cit.* posteriorem publicatione Tridentini; unde etiam, ut ait Garc. *n. 296.* decretum Concilii Toletani statuentis servandam quoque in provisione harum Vicariarum, concursum, contra jus est, & eget confirmatione Papæ, & aliàs non valet: Eâdem autem Constitutione comprehendi quoque istiusmodi Vicarias erectas ante Trident. testatur Conrad. *loc. cit.* qui etiam addit, se in Dataria Apostolica observâsse, pro majore declaratione adjici signanter de deputatione Vicariorum istiusmodi perpetuorum, & erectione hujusmodi Vicariarum unitarum factâ auctoritate Apostolicâ hæc verba: *etiam nullo desuper habendo concursu*: quinimo *n. 46.* ait, hæc in tantùm procedere, ut si concursus adhibeatur, ubi in prædictis Vicariis adhibendus non esset, nulla prorsus sit provisio Vicariæ inde secuta ob decretum irritans in Constitut. Pii V. Neque in hoc casu suffragaretur Episcopo ulla quasi possessio faciendi concursum; cùm enim cit. Constitutio Piana det formam per modum legis generalis cum clausula & decreto irritante, talis quasi possessio nullius est considerationis. Card. de Luca *ad Trid. d. 37. n. 33.* & *de paroch. d. 37. n. 38.* Lott. *loc. cit. n. 25.* citans pro hac re plures claras Rotæ decisiones, in quarum etiam una clarè dictum, nihil referre in hoc casu, quòd is, cui facta unio, seu ad quem vi istius unionis spectabat nominatio Vicarii, consenserit in concursum, cùm per actum talem liberæ permissionis, vel merè facultativum etiam ad mille annos nihil unquam censeatur de jure suo remittere, quod alteri quæratur, juxta doctrinam communem Bart. *in l. quo minus.* ff. *de fluminibus. n. 27.* quem Auctores alii ubique amplectantur; quos vide apud Lott. & Luc. *loc. cit.* Quin etiam nihil referre; si is, cui unita parochialis, aliquando rejectus fuisset ab Ordinario, à simplice nominatione vel præsentatione impeditiva concursûs. Lott. *n. 28.* nisi tamen concurreret legitimi temporis decursus. idem *n. 29.* Quamvis tamen etiam in his actibus delitescere videtur error juris, qui excludit consensum & patientiam, ut ait Lott. *n. 30.* citatis pluribus: in corporalibus autem sine scientia & patientia nequit formari ulla possessio.

3. Respondeo nihilominùs tertiò: opus esse concursu, seu Vicarias tales per concursum conferendas, si non solùm cura actualis, seu curæ exercitium, sed insuper cura etiam habitualis, seu cura in totum de Rectore parochialis Ecclesiæ avocata fuit, & translata in Vicarium (uti quandoque fit transferendo sic totaliter curam etiam in Vicarium temporalem. Barb. *loc. cit. n. 34.* de Luca *de paroch. d. 37. n. 39.* Conrad. *loc. cit. n. 9.*) quod ipsum videndum ex literis erectionis Vicariæ, & tenore unionis, jure communi statuente, ut dum Ecclesiæ vel beneficio accessoriè unitur parochialis, cura in habitu sit penes eum, cui facta est unio; Lott. *loc. cit. n. 23.* uti & *l. 1. q. 10. n. 148.* & ex eo Conrad. *loc. cit.* uti & *n. 47.* ubi & hujus rei indicium certum inquit, si Vicarius perpetuus percipit fructus, & solvit tantummodò aliquid illi, cui unio facta est. Idem dicendum de Vicariis de per se existentibus, ubi nullus adest Rector, vel non apparet de unione (quæ etsi dicantur, non sunt tamen veræ Vicariæ) nimirum ad eas obtinendas requiri concursum, docet Barb. *loc. cit. n. 39.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 298.* Secùs tamen adhuc esse, nimirum non intrare formam Trid. seu non requiri concursum, ubi Ecclesia parochialis, vel cura annexa est dignitati, vel Canonicatui stanti principaliter de per se, etiamsi ipsum quòque exercitium sit penes possessorem dignitatis vel Canonicatûs, docet de Luca *de Paroch. d. 37. n. 36.* observandum etiam ex eodem *n. 43.* quòd

cùm unio dicatur in jure odiosa, ideóque in dubio non præsumenda, sed perfectè & concludenter probanda; hinc fundatam esse intentionem Ordinarii super concursu; & actus tales alicujus Collegii, vel dignitatis prætendentis jus aliquod in Ecclesiam talem parochialem potiùs referendos ad jus patronatûs vel protectionem, seu aliam subjectionem, quàm ad formalem vel omnimodam dependentiam. Consequenter Ordinarium in dubio partes suas impleturum, si indicat concursum, affigátque edicta, quæ ita servire poterunt non tantùm ad invitandum volentes concurrere, sed etiam ad excitandum illum, qui prætendit habere curam habitualem, ut deducat sua jura; quæ si concludenter probet, abstinebit Ordinarius à concursu, & providebit ad nominationem.

Quæstio 121. *An, & qualiter Vicarii constituendi non sint sine prævio examine & approbatione Episcopali:*

REspondeo: tametsi nominatio Vicarii perpetui spectet, ut dictum, ad Rectorem principalem; is tamen ab eo institui nequit sine prævio examine & consensu Episcopi seu Ordinarii. Trid. *sess. 7. c. 7. de reform.* Laym. *ad c. 3. de off. Vicarii n. 1.* verúmque id est etiam in omnibus iis casibus, in quibus concursum institui non oportet. de Luca. *ad Trid. d. 37. n. 35.* sed neque exemptionis privilegia, quibus gaudent Ecclesiæ vel monasteria, quibus parochiales unitæ, suffragantur, quò minùs Vicarii, etiam pro exercitio curæ ipsiusmet Ecclesiæ principalis ipsius monasterii, vel inferioris Prælati, quamvis exempti subjiciantur examini. Card. de Luca *loc. cit.* Barb. *cit. l. 3. c. 6. n. 47.* testans sic decisum à S. Congregatione Concilii; qui etiam *n. 48.* ait, in specie censuisse eandem Congregationem, quòd Episcopus possit examinare & approbare Vicarios parochialium unitarum & dependentium à Religione Hierosolymitana. Rationem hanc dat de Luca, quòd etsi jurisdictio diœcesano, seu Episcopo commissa non contingat materialem Ecclesiam, in qua cura animarum exercetur; minusque jurisdictionem, seu superioritatem personalem illius, qui eam exercet in ejus causis indifferentibus; quæ cum dicto exercitio connexionem non habent; contingit tamen, ipsius diœcesani clerum & populum, cum quo cura exercenda est: cùm enim agatur de præficiendo ovibus particularem subordinatum pastorem congruum; ac rationabile sit, ut ipsarum ovium primus ac principalis Pastor inquirat, an ille sit, nec ne idoneus minister, cui propriæ oves pascendæ committi valeant. atq; ita exemptionis privilegio non obstante eundem visitare ac corrigere potest in iis, quæ hoc munus concernunt, aut cum eo connexionem habent; cùm eadem sit ratio in præponendo, quæ est, an præpositus bene se gerat, nec ne: ita ille citans seipsum *de regul. d. 1.* Atque ex his deducit *n. 40.* tanquam probabilius, quòd possit Ordinarius occasione visitationis, vel etiam extra illam ex suspicione ob justum aliquod motivum conceptâ (ad cujus formalem justificationem non tenetur) tales Vicarios perpetuos vel temporales absque forma concursûs præpositos denuo examinare, ac ubi non benè versatos compererit, suspendere, donec profecerint, deputando Vicarium, vel cooperatorem provisionaliter seu tantisper; non autem in titulum; eò quòd etiam qui docti fuerunt, desertis studiis tractu temporis effici possint indocti & inidonei. Idem in specie de Vicariis illis Ecclesiarum annexarum ordini Hierosolymit. tenet Barb. *loc. cit. n. 49.* etsi addat, censuisse S. Congregationem, debere Episcopum illos, si idonei reperti fuerint, simpliciter, & non ad tempus tantùm approbare, nec posse illos subjici novo examini pro mero Episcopi libitu. Nihilominùs dum à prælato non habente jurisdictionem quasi Episcopalem confertur regulari vel sæculari annexa monasterio parochia sæcularium, vel etiam alia, aut Vicaria parochialis perpetua, non egere talem approbatione Episcopali; eò quòd jam habeat beneficium parochiale, quo Tridentino satisfactum est, ut audire possit confessiones, docent Medina, Bannez, Gallo apud Henriq. *l. 7. de indulgent. c. 2. n. 2.* ut refert And. Mendo *in Bullam Cruciatæ diff. 22. c. 2. n. 3.* quamvis ipse dicat contrariam sententiam esse veram stando rationi, eò quòd non habens jurisdictionem Episcopalem, vel quasi talem, non possit approbare in ordine ad sæculares, respectu quorum à Concilio reservatur approbatio Episcopis. Addit tamen consulendam esse praxin, consuetudinem, aut privilegia, ut dignoscatur, num talis egeat ulteriori approbatione.

Quæstio 122. *An & qualiter Vicarius semel constitutus amoveri possit?*

1. REspondeo primò: Vicarius perpetuus non potest removeri, etiamsi Rector principalis moriatur. Barb. *loc. cit. n. 36.* Corr. *l. 3. c. 9. nu. 3.* Lott. *l. 3. q. 17. n. 171.* Hojed. *de incomp. benef. l. 1. c. 15. n. 12.* & DD. communiter *ad c. exstirpandæ. de præb.* unde etiam præsentatus à Monachis ad eorum Ecclesias parochiales, & ab Episcopo institutus removeri nequit ab ipsis Monachis, non obstante consuetudine vel statuto quovis in contrarium; sed si aliqua causa rationabilis existat, propter quam Vicarius debet privari, poterit illum Episcopus privare Vicariâ, sicut quemlibet beneficiatum suo beneficio juxta *c. unicum. de Capel. Monach. in 6to.* Corrad. & Hojed. *loc. cit.* habet enim talis Vicarius Vicariam in titulum & jus in beneficio, & titulum utilem ipsius Ecclesiæ, remanente solùm directo penes Rectorem. Corr. & Lott. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Econtra Vicarius, quem constituit Episcopus loco absentis studiorum gratiâ ad septennium juxta *c. cum ex eo. de Elect. in 6.* intra septennium est amovibilis. Lott. *loc. cit.* contra Lapum *in cit. c. cum ex eo. n. 2.* putantem hunc adinstar Vicarii perpetui sine causa moveri ab Episcopo non posse.

Quæstio 123. *Cùm assignanda sit congrua portio in fructibus beneficii Vicario (etiam temporali) quin & ei, qui tantisper constituitur, dum Ecclesiæ de Rectore provideatur juxta Trid.* sess. 24. c. 18. *fundatur enim justitia congruæ super qualitate muneris, nimirum curæ animarum seu exercitii illius, quo cessante cessat etiam ipsa congruæ assignatio, etiamsi ad nutum superioris quis administret illud. Lott. l. 2. q. 12. n. 24. tum de jure communi.* c. extirpandæ. de præb. *tum ex decreto Trid.* sess. *6. c. 2. & sex aliis in locis, quæ ordine recitat Barb.* cit. l. 3.

c. 6.

num. 40. *quænam in assignatione illius veniant considerandæ?*

REspondeo: multa; nimirum qualitates & circumstantias loci, beneficii, personarum, morum, regionis, aliáque recensita à Rebuff. *in tr. de congrua portione. q. 8. n. 61.* & Surdo *tr. de aliment. tit. 4. q. 25. nu. 44.* Præcipuè verò ad quatuor habendum respectum; nimirum conditionem personæ, Ecclesiæ situm, regionis consuetudinem, & Ecclesiæ facultates. Vanlonz. *cons. 54. nu. 44.* apud Barb. *n. 42.*

Quæstio 124. *A quo assignari debeat Vicario congrua?*

1. REspondeo primò: Episcopi seu Ordinarii esse assignare congruentem fructuum perceptionem juxta Trid. *sess. 7. c. 7.* Laym. *ad c. 3. de off. Vicar. n. 1.* vel potiùs arbitrari de sufficientia illius, dum ea assignatur Rectori seu Vicario à monasterio; neque enim, dum monasterium (cui v. g. ob inopiam à Papa concessa est Ecclesia, ut inde percipere possit fructus omnes) præsentat Vicarium Episcopo ab eodem instituendum, ita ex abrupto fit illa institutio, sed non aliter ad eam proceditur, quàm præviâ assignatione congruæ, ad quam præstandam Episcopus monasterium illud compellet. Lott. *loc. cit. n. 19.*

Quæstio 125. *Cui incumbat onus suppeditandi Vicario congruam?*

REspondeo ei, qui percipit decimas, aliáque parochialia emolumenta, etiamsi non haberet curam habitualem, sive etiamsi nullam haberet curæ participationem; quinimò etsi esset laicus, de Luca *de paroch. d. 18. n. 3.* dicens hanc esse certam regulam, & citans pro hoc Rotam *decis. 420. p. 1. Recent.* Porrò cùm Capitulum v. g. cui annexa est cura, non teneatur constituendo Vicario dare ultra id, quod percipit à parochia & parochialibus emolumentis, ut de jure certum esse, ait de Luca. *loc. cit. n. 10.* & *d. 20. n. 6.* dum id nimis parum est pro congrua, ad supplementum tenebitur & compellendus est populus mediis Ecclesiasticis; de jure enim receptum est, quòd quando emolumenta, quæ ratione curæ percipiuntur, non sufficiunt ad parochi congruam sustentationem, cogi debeat populus ad ea supplenda juxta dispositionem Trid. *sess. 21. c. 4.* ac ita etiam de jure communi cautum, præsertim ubi populus nullas solvit decimas, vel ita exiguas, ut non sufficiant ad congruam curati sustentationem, testatur *loc. cit.* citans Abb. & Surd. Barb. *ad cit. locum Trid. nu. 15.* quia tamen sæpe difficile est absque exercitio gladii spiritualis id à populo extorquere, ait idem Luca se consuluisse, ut ab Episcopo augeantur non nihil emolumenta illa parochialia ratione administrationis Sacramentorum solvi solita à populo.

Quæstio 126. *Quanta assignari debeat congrua?*

1. REspondeo: Trid. quoad hoc nihil certi statuisse, sed Ordinarii arbitrio remisisse pro facti qualitate, & oneris proportione. Card. de Luca *ad Trid. d. 9. n. 7.* quoad Vicarios seu œconomos deputatos Ecclesiæ vacanti, donec de Rectore provideatur, censuit S. Congregatio *ad cit. c. 18. sess. 24.* congruam portionem esse duos aureos singulis mensibus; hanc tamen declarationem non obstare, quò minùs pro his major congrua assignari possit; ubi necessarium pro temporum & locorum circumstantiâ, censet Garc. *loc. cit. n. 17.* & ex eo Corrad. *l. 3. c. 3. n. 15.* Nihilominus non posse vi istius aliarúmque declarationum S. Congregationis, quas citant iidem; quin & vi ipsius Trid. illius decreti assignari Vicario tali vacantis Ecclesiæ omnes fructus pro congrua; cùm ea à Concilio restringatur ad certam portionem istorum fructuum, tenent iidem AA. citantes pro hoc Nav. *cons. 5. de offic. Ordinar.* nisi fortè, ubi omnes fructus conjunctim non excederent congruam.

2. Quoad ceteros autem Vicarios superveniens Concilio constitutio Pii V. *ad exequendum.* hujus portionis modum & quantitatem definit his verbis: *ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum* (seu ducatorum monetæ regionis ut ait de Luca) *summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis & aliis obventionibus communiter percipi solitis eis omnino assignetur &c.* remanente arbitrio circa-medium inter utrumque extremum. de Luca *ibidem. n. 8.* ita tamen ut eatenus congrua hæc minor esse non possit 50. scutis, quatenus ipsius Ecclesiæ curatæ unitæ emolumenta sunt majora; secùs si illa ad hanc summam non ascendant, in quo casu sufficiet Capitulo vel alteri curam habitualem habenti omnia emolumenta assignare, vel ut fieri solet in quibusdam exiguis Cathedralibus, vel Collegiatis, assignari Vicario, qui etiam sit Canonicus, portionem massæ grossæ distributionum, supplendo quod deest, admittendo servitium curæ loco servitii chori. de Luca. *n. 9.* citans seipsum *de paroch. d. 20.* E contrario autem summa 100. scutorum (cujus excessus prohibetur) intelligitur de congrua pro ipsius Vicarii mercede ac sustentatione, non autem, ubi populi numerus vel Ecclesiæ qualitas, aliæque facti circumstantiæ majores operarios, aliósque sumptus exigunt, adeò ut quandoque praxis doceat, quòd etiam 300. vel 400. &c. assignentur Vicario, qui alia onera supportare debeat. de Luca *n. 10.* unde etiam quandoque in erectione Vicariæ facta à Papa plus pro congrua assignatur, quàm determinatum.

Quæstio 127. *Quænam in dicta constitutione Piana veniant nomine incertorum computandorum?*

1. REspondeo primò: venire decimas frumenti & vini, quia hæ penes Vicarium sunt incertæ; quatenus nimirum non scit, quantum ex iis possit percipere. Corrad. *l. 3. c. 9. n. 23.* Item venire quotidianas distributiones, aliásve obventiones & emolumenta, quæ incerta sunt respectu summæ, quæ in specie ignoratur; certificatur tamen ex eo, quòd in præteritum communiter, atque ut plurimùm consuevit percipi. Barb. *de jure Eccl. l. 3. q. 6. num. 44.* Ratione tamen distributionum non tantùm minutarum, sed etiam massæ, ut vocant, grossæ, quando computando non veniant in congrua, quæ datur Vicario, dum is est simul Canonicus, vide de Luca. *de paroch. d. 20. n. 7. & 8.* computari etiam primitias, ait Lott. *l. 2. q. 12. n. 23.* ex Mantica *decis. 269. n. 2. & 6.*

2. Respondeo secundò: non intelligi in dicta constitutione Piana omnino incerta (quia venter non debet pendere ab incerto); cùm non patiatur dilationem. Corrad. *loc. cit.*) qualia sunt quæ merè ratione personalis laboris & officii habentur, ut funeralia, aliáque similia jura parochialia. Barb. ex

Leo: *Thes. fori Eccl. p. 1. c. 31. n. 6.* Quamvis rectiùs dicere videatur de Luca *de paroch. d. 18. n. 12.* citans se ipsum *de benef. d. 90.* & *de jurep. d. 10.* similia jura parochialia solvenda occasione sepulturæ (distinguendo hîc eam partem, quæ vulgò dici solet pro stola, ab ea, quæ datur ratione honorificæ associationis funeris ac laboris merè personalis, uti hæc distinguit idem Luc. *cit. n. 9.*) & Sacramentorum, puta Baptismi, Matrimonii computanda esse in congrua; quia non sunt talia, quæ possunt esse nulla; cùm non possit populus non mori, non nasci, non baptizari: & in pluribus parochiis præter horum jurium emolumenta nulli alii sunt reditus, unde congrua constituatur. Item quæ ex merè voluntariâ accidentali devotione obveniunt, ut sunt eleemosynæ altarium & similia, adeò ut ex plurium annorum experimento quandam certitudinem, saltem moralem, non habeant: secùs autem, dum dicta moralis certitudo accedit; cum tunc in fructu seu reditu veniant, Card. de Luca *loc. cit. n. 8.* citans se ipsum *de paroch. d. 17. & seq.* & *de benef. d. 90.*

Quæstio 128. *An, & qualiter assignatâ semel à principio congruâ, Vicarius eâ contentus esse debeat?*

REspondeo debere illum eâ esse contentum, & non posse impugnare conventionem supra congruam semel factam: sic decisum à Rota *decis. 230. num. 3. p. 6. Recent.* testatur ex Paulo de Rubeis Barb. *loc. cit. nu. 43.* Corr. *loc. cit. nu. 24.* de Luca *de paroch. d. 19. n. 3.* licet autem tenuitas assignationis ab initio factæ non sufficiat, ut ea augeri debeat, Lott. *cit. q. 12. n. 26.* Hoc ipsum tamen non procedit, ubi ita tenuis effecta congrua, ut Vicarius se sustentare nequeat, & sustinere onera Ecclesiæ (uti contingere posset, si abinitio congrua non esset assignata in speciebus, seu fructibus victui sufficientibus; sed etiam pecuniâ; quæ ob sensim auctam annonæ caritatem jam minùs sufficiens esset. Lott. *loc. cit. nu. 27.*) tunc enim non agitur de Vicarii tantùm, sed & Ecclesiæ & Ordinis clericalis præjudicio. Corrad. Barb. *loc. cit.* Lott. *n. 28.* Quod ipsum tamen in dubio non præsumitur, adeóque ex parte actoris justificari debet, quo casu solùm supplementum necessitatis peti posset. Luca *loc. cit.* In summa itaque si inter Rectorem & Vicarium semel facta conventio seu concordia super aliquorum bonorum seu jurium assignatione, præsertim si diu servata, servanda erit; etiamsi tractu temporis unius vel alterius partis læsiva seu præjudicialis efficiatur; quoties læsio ad iniquitatem non reducitur. de Luca *de paroch. d. 33. n. 11.*

Quæstio 129. *Ad quem spectet congrua Vicariæ perpetuæ pro tempore, quo vacat?*

REspondeo: cùm Vicariæ istiusmodi perpetuæ erectæ in titulum regulentur jure beneficiorum, & fructus beneficii, etiam curati, pro tempore vacationis, quoties non intrat constitutio Julii III. ad favorem Cameræ, de jure pertinent ad Ecclesiam, atque ex ejus persona ad successorem; hinc detracto solùm salario, quod Ecclesiâ vacante præstari debet œconomo seu Vicario provisionali ad præsumptum Trid. congruæ annales decursæ tempore vacationis spectabunt ad Vicarium perpetuum defuncti, seu aliter decedentis successorem. de Luca *de paroch. d. 21. n. 8.* Adeóque hoc dependet tantùm, ubi tam erectio Vicariæ, quàm assignatio congruæ jam effectum sortita est, ita ut agatur de tempore vacationis ob cessum vel decessum possessoris; tunc enim congrua jam taxata dicitur dismembrata à monasterio vel Capitulo, ejusque bonis ac reditibus; non vero procedit, ubi erectio nondum effectuata est, sed solùm adest sententia vel provisio de erigendo; cùm tum adhuc secuta non dicatur dicta dismembratio, seu bonorum separatio. de Luca *ibid. n. 9.*

Quæstio 130. *Qualiter Vicarius dicatur curatus, & penes eum cura respectivè ad Rectorem principalem?*

1. REspondeo primò: Vicarios (intellige non intitulatos) non dici propriè curatos; cùm is, qui vice alterius curam exercet, curatus non dicatur. Lott. *l. 1. q. 20. n. 149.* citans Felin. vide eundem *n. 140.* & dicta suprà *ad q. 1. de Vicariis.*

2. Respondeo secundò: Vicarium perpetuum, & non Rectorem principalem, seu habentem curam habitualem, tantùm dici curam animarum habere. Barb. *l. 3. juris Eccl. c. 6. n. 30.* Vide dicta suprà.

3. Respondeo tertiò in genere: curam (intelligе habitualiter seu habitualem) residere penes Prælatum seu Rectorem beneficii uniti; curæ verò exercitium seu curam actualem penes Vicarium in illo beneficio unito deputatum. Barb. *loc. cit. n. 28. & seq.* cum communi.

4. Respondeo quartò specialiùs: cum cura animarum incumbit Capitulo, non ut singulis, sed ut universis (uti sæpe fit, & bene; licet enim jus parochiæ seu curæ sit quid individuum, secùs ac exercitium curæ, quod dividuum est; adeóque nequeat esse divisum in plures; potest tamen esse apud unumquemque multorum in solidum, exemplo jurisdictionis, aliorumque jurium individuorum, atque ita inter Capitulum & Ecclesiam contrahi matrimonium spirituale; cùm pluralitas in hoc sensu non consideretur, nisi ad constituendam universitatem, & consequenter ad unam personam fictam; ac ita capitulum seu Canonici in universum esse, & dici Rector Ecclesiæ & sponsus. Lott. *loc. cit. n. 115. & seq.*) illudque eam administrat per plures, vel unum ministrum amovibilem, verus Rector est ipsum Collegium. Lott. *l. 1. q. 14. n. 93.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 6. n. 71.* Videturque tunc per illud aliud non committi, quàm nudum officium circa ea, quæ sunt Ordinis sacerdotalis, retentis his, quæ sunt jurisdictionis & regiminis. Lott. *ibid. n. 94.* citans Lapum *Alleg. 5. n. 7.* si verò eam administret per Vicarium perpetuum, aut per unum ex obtinentibus dignitatem in ipsâ Ecclesiâ; tunc is quidem dicitur curatus, non curâ collegii, seu curâ familiæ; sed curâ parochianorum, nihilominùs jus illud principaliter radicatur in ipso collegio, curáque habitualis ipsâ apud illud residet. Lott. *ibid. nu. 100. & seq.* qui tamen *nu. 104.* addit: quòd si Collegium habet Prælatum, tanquam ipsius Collegii caput omnem jurisdictionem & omnem curam, quæ aliàs ipsi Universitati competeret, apud ipsum Prælatum esse. Porrò contingere potest, ut cura exerceatur in Collegiata, & tamen cura non pertineat ad Collegium, neque etiam illa Collegiata sit curata; imò ut Collegiata sit simul curata, & tamen cura jure aliquo speciali spectet ad aliquem extraneum, qui tunc erit verus sponsus & Rector. Lott. *l. 1. q. 20. n. 131. & 13.* quin etiam, ut Ecclesia sit Cathedralis & simul curata; curáque

neque

neque penes Capitulum universim, neque penes ullum ex Canonicis; sed tota resideat penes Episcopum; qui & ipse tunc dicitur Rector illius. Lott. *ibid. nu.* 133. qui tamen tunc nullum ex Canonicis vel beneficiatis illius Ecclesiæ invitum gravare poterit, ut illius curæ exercitium subeat; Lott. *n.* 134. citans Gonz. *cit. gl. 6. n.* 70.

5. Respondeo quintò: quòd si in Ecclesia aliqua non Collegiatâ plures subordinati administrat curam, dicendum erit, curam habitualem esse penes eum tantùm, & hunc solum dici Rectorem, qui principalis est in ordine, & cui alii subordinantur. Lott. *ibidem. n.* 139. citans Jo. And. & But. *in c. cum non ignores. de præb.* præcipuè si ille colligeret jura & emolumenta illius Ecclesiæ, & cæteri de manu illius suas portiones; illud enim, ut dictum aliquoties, signum est clarissimum (etsi per accidens quandoque fallat, dum alius, qui non est verus Rector, jure aliquo speciali, imò laicus ex indulto Papæ perciperet decimas, & alia quædam. Lott. *loc. cit. n.* 135.) Rectoriæ est persistentis penes eum etiam curæ habitualis. Lott. *ibidem n.* 140.

6. Respondeo sextò: quòd si in tali Ecclesia non collegiatâ cura administraretur per plures non subordinatos inter se, neque adesset capitulum, vel collegium aliquod, per quod cura illa demandaretur, singuli non dicuntur sponsi & Rectores illius Ecclesiæ, ne plures sponsi uni Ecclesiæ tribuantur; & quia jus parochiæ est individuum; neque etiam ullus eorum, sed vel proprius curatus, qui illis omnibus præest, vel si talis non sit, ipse Episcopus; vel denique, si nec sit Episcopus, ipse Papa; & isti habebuntur instar Vicariorum talis sponsi seu Rectoris. Lott. *ibid. n.* 141. citans Host. Imol. *in c. cum non ignores.* & alios plures

7. Respondeo septimò: ex de Luca *de parochis d.* 37. *n.* 40. & 41. diligenter attendendum, an superioritas vel alia præeminentia vel potestas, quam capitulum vel monasterium, vel dignitas aliqua habet in parochiali, importet curam habitualem ratione formalis unionis, seu quod ea sit membrum ac de mensa, vel econtra dictum jus, potestas vel Superioritas importet solùm qualitatem patronalem, vel protectionem &c. universo jure habituali ac actuali residente penes providendum, non curato vocabulo seu nuncupatione, an scilicet dicatur Rector, an Vicarius, quoniam non verborum formula, sed substantia veritatis attendi debet.

Quæstio 131. *Ad quem spectet cura & administratio beneficii, Vicario perpetuo mortuo, resignante, vel deposito, interim dum alius substituitur?*

Respondeo: esse penes Rectorem principalem. Laym. *ad c. querelam. de jurejurando. num.* 3. ita ut dum cura habitualis Ecclesiæ parochialis unitæ monasterio spectat ad ejus Prælatum, hæc exire posset in actum, & dictus Prælatus eam exercere seu actu administrare dictam Ecclesiam. Laym. *in qq. can. de elect. q.* 208. *in fine.*

Quæstio 132. *Quid jurisdictionis in Ecclesia competat Vicario respectivè ad Rectorem principalem?*

1. Respondeo primò: Vicarium perpetuum habere jurisdictionem ordinariam, seu curam animarum ordinariam secundùm exercitium, seu utilem. Laym. *ad c.* 1. *de off. Vic. in* 6. *n.* 1. sed neque Vicarius parochialis temporalis jurisdictionem delegatam habet, sed quasi ordinariam; cùm non habeat diversam, sed eandem cum eo, cujus vices gerit, exercet ad modum, quo de Vicario generali Episcopi dicitur, sitque ei substitutus in ordinaria jurisdictione, officio, & curâ. Laym. *ibidem n.* 3. Secùs est de Vicariis temporalibus illis, qui loco alterius absentis aut infirmi constituuntur. Laym. *ibid.*

2. Respodeo secundò: exercitium juris parochialis in pertinentibus ad curam animarum spectat ad Vicarium, licet exercitium juris parochialis in pertinentibus ad extraneam defensionem, vindicationem, & forum contentiosum pertineat ad principalem Rectorem; unde & capellæ seu parochiæ unitæ monasteriis dicuntur monachorum, non Vicariorum. Zabarell. *in clem. unic. de off. Vicar. q.* 10. apud Laym. *ad c.* 3. *de off. Vicar. n.* 2.

3. Respondeo tertiò: Vicarius perpetuus postquam institutus vix quidquam ampliùs dependet à Rectore principali; cùm jus reale beneficii curati ordinariâ auctoritate consecutus sit, quo spoliari non potest, nisi per judicis sententiam ob crimen. Laym. *ad c.* 3. *de off. Vicar. n.* 2. habeatque administrationem, seu curæ exercitium auctoritate juris de per se, in eóque nullo modo dependeat à Rectore principali. Hinc primò non potest per illum in exercitio curæ impediri. Anchoran. *in c. exposuisti. de præb. in* 6. apud Barb. *l.* 3. *juris Eccl. c.* 6. *n.* 31. Lott. *l.* 1. *q.* 33. *n.* 109. Secundò: nequit Rector Vicario invito ullatenus se ingerere in ipsius curæ exercitio prætextu curæ habitualis in Ecclesia deserviendi & administrandi sacramenta; quia totâ cura actualis Vicario à jure commissa est. Lott. *loc. cit. n.* 111. Barb. Laym. *ll. cit.* citantes Abb. *in c. exstirpandæ. de præb. n.* 15. & Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 6. *q.* 2. Tertiò: nequeunt monachi, quorum monasterio annexa est parochia ratione curæ (intellige habitualis) in ea prædicare; cùm potestas ligandi & solvendi sit penes alium, nempe Vicarium. Gl. *in c. adjicimus.* 16. *q.* 1. apud Lott. *n.* 108. Quartò: Non tenetur Vicarius de cura respondere Rectori principali. Lott. *ibidem. n.* 107. Denique pro juribus Vicariæ suæ retinendis aut recuperandis absque mandato Rectoris principalis agere potest Vicarius perpetuus. Laym. *l. c. n.* 2. citans Sylv. vide eund. Laym. *loc. cit. n.* 2. citans Sylv. Vide Eundem Laym. *p.* 2. *pag.* 348.

Quæstio 133. *Quid juris habeat Vicarius participandi de massa distributionum, aliisque emolumentis?*

1. Respondeo ad primum: Cùm distributiones dicantur merx laboris, seu salarium operariorum psallentium in choro; aliáque divina pro cultu Ecclesiæ celebrantium; Vicarius, qui non est de corpore beneficiatorum, neque deputatus ad servitium chori & Ecclesiæ, sed tantùm ad exercitium curæ & ministerium Sacramentorum, debet esse contentus suâ congruâ jam constitutâ extra has distributiones. Card. de Luca *de paroch. d.* 17. *n.* 6. Participatio tamen distributionum practicari solet, quando Vicarius est unus de Capitulo, seu Collegio, cui annexa est cura, dictæque distributiones cedunt in locum congruæ; ita ut ad instar Canonici pœnitentiarii assistens in confessionali aut aliàs in exercitio curæ & administratione sacramentorum impeditus, habeatur pro assistente in choro. de Luca *ibidem.*

2. Respondeo ad secundum: regulariter loquendo, seu de jure ordinario jura omnia & emolumenta parochialia spectant ad eum, cui cura habitualis

bitualis competit, adeoque Vicarius seu alio nomine nuncupatus ad solam curam actualem seu ejus exercitium deputatus jure operarii censendus est; ac proinde contentus esse debet congruâ suâ tanquam salario seu mercede operis ac laboris. de Luca. *de paroch. d. 22. n. 7.* citans plures Rotæ decisiones.

Quæstio 134. *An Vicarius parochi licentiam dare possit alteri presbytero assistendi matrimonio?*

REspondeo: de Vicario perpetuo intitulato certum est, quod possit; de eo etiam, quem parochus ad universitatem curæ & administrationem sacramentorum deputavit, ait de Luca *ad Trident. d. 26. n. 16.* dicendum videri, quod iste non possit quidem alium Vicarium ad eandem universitatem deputare; possit autem dare licentiam specialem, & partes suas in negotio particulari alteri committere, &c. idem docent etiam de eo, quem parochus ad breve tempus absentiæ suæ constituit, ut totam curam gerat; Sanch. *de matrim. l. 3. d. 31. n. 15.* Squil. *de privileg. cler. c. 2. n. 34.* apud Barb. *de de off. paroch. c. 1. n. 38.* Unde inferri videtur, ut habetur in indice Card. de Luca *ad Trid.* posse talem Vicarium dare licentiam alteri presbytero assistendi matrimonio. Quòdsi etiam adest consuetudo, ut talis parochi delegatus ad universam parochiæ curam, dum & ipse abest, ad breve tempus substituat sibi alium ministraturum omnia Sacramenta (in quo casu parochus vice curatum instituens conscius talis consuetudinis tacitè videtur dare facultatem delegato suo substituendi sibi alium subdelegatum ad universitatem causarum, qui tunc non tam delegatus delegati istius, quàm ipsius parochi censetur) posset sic institutus à vice curato dare alteri licentiam assistendi etiam matrimonio. Barb. *loc. cit.* ex Squil. *n. 35.* qui etiam *n. 37.* addat, quòd parochus præsens assumeret Vicarium locantem operas suas ad eum juvandum, hic Vicarius nequeat delegare; quia non censetur ipsi vices suas plenè commisisse parochus.

Quæstio 135. *Quæ ætas requiratur in Vicario perpetuo, & intra quod tempus fieri debeat sacerdos?*

1. REspondeo ad primum, requiri ut sit 25. annorum inchoatorum. c. *cùm in cunctis. de elect.*

2. Respondeo ad secundum: requiri, ut intra annum à pacifica possessione Vicariæ, & legitimo impedimento cessante, promoveatur ad sacerdotium. *c. licet canon. de elect.* juxta *Clem. unic. de off. Vicarii.* Ratio est, quia curam animarum ac beneficium veluti curatum habet. Laym. *ad c. ult. de offic. Vic.* Unde jura, quæ hac in parte constituta sunt parocho seu de Rectore parochialis Ecclesiæ etiam in Vicario perpetuo locum habent. Azor *p. 2. l. 3. c. 6. q. 7.*

Quæstio 136. *An & qualiter Vicarii perpetui teneantur ad residentiam personalem in suis Ecclesiis?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: quia habent beneficium veluti curatum. Laym. *loc. cit.* cum communi.

2. Respondeo secundò: circa hoc onus ac modum residendi Vicario tali congruunt ea, quæ de parocho disposita sunt. C. de Luca *ad Trid. d. 4. n. 11.* ac proinde sicut de parocho constituitur circa materialem ejus habitationem per plures S. Congreg. declarationes, ut ea sit prope Ecclesiam, sive intra ipsius parochiæ limites in loco commodo, omnibusque opportuno in domo parocho destinata. de Luca *ibid.* ita idem dicendum de habitatione Vicarii perpetui.

Quæstio 137. *An & qualiter Vicarii perpetui teneantur ad recitandas horas Canonicas?*

1. REspondeo primò: Vicarium perpetuum obligari ad eas; quia est verè beneficiatus, ut constat ex c. *postulasti. de rescript.* & quia Vicarius talis in Ecclesia tali parochiali verè curatus est quòad exercitium & effectum, licet quòad habitum & proprietatem cura sit penes Rectorem principalem. Laym. *Theol. Mor. l. 4. tr. 2. c. 6. n. 8.* citans Gloss. *ad c. super eo. de præb. in 6.*

2. Respondeo secundò: Vicarios temporales ratione Vicariæ ad horas Canonicas non obligari. Laym. *ibid.* & Barb. *l. 3. juris Eccl. c. 6. n. 62.*

3. Respondeo tertiò: excipiendos, quòad hos temporales Vicarios casus sequentes. Primò: si speciatim deputatus sit ad officium Canonicum vice alterius in choro cantandum; Secundò: si ei plena administratio beneficii cum auctoritate & consensu Episcopi, tametsi ad tempus & amovibiliter, commissa sit; tunc enim ex tacita conditione & pacto committi censetur, ut omnia officia, præstet; si nimirum principalis, cujus Vicarium agit, officium non persolvat. v. g. si alicui commendetur Ecclesia interim, dum beneficiatus puer, qui puer scilicet orare non potest, adolescat; aut si parocho, qui ob incurabilem infirmitatem beneficio præesse nullo modo potest, Vicarius vel Coadjutor ab Episcopo designetur, ita ut administrationem etiam in temporalibus habeat, & solùm aliquam portionem congruam parocho infirmo relinquere teneatur juxta Abb. *in c. de rectoribus. de institut. n. 5.* Tertiò: si beneficium, quod monasterio unitum est, auctoritate Episcopi committatur alicui Vicario, quamvis ad nutum amovibili: ita ferè Barb. ex Laym. citatque uterque Suar. *de relig. l. 4. de Hor. can. c. 22. n. 15.*

Quæstio 138. *An & qualiter Vicarius teneatur ad subsidium charitativum?*

1. REspondeo ad primum: Vicarium, præsertim investitum seu intitulatum, teneri ad subsidium charitativum, uti & ad alias actiones, quæ aliàs ab Episcopo beneficiatis imponuntur. *c. 2. de suppl. negl. præl.* & c. *de monach. de præb.* Laym. *in cit. c. 2. n. 5.* Hæc enim sunt jura, quæ Pontifex ait, Vicariis persolvenda esse.

2. Respondeo ad secundum: persolvendum hoc subsidium juxta ratam portionem, quæ Vicariis ex officio provenit. Nihilominùs interdum Vicariis, aliisque pensionariis portio assignatur omnino libera, ita ut totum onus principali Rectori incumbat, tametsi is aliàs exemptus sit (non enim exemptus est ratione populi & Ecclesiæ parochialis Episcopo subjectæ; cùm unio fieri censeatur salvo jure Episcopali. Laym. *l. 4. Theol. Mor. tr. 2. c. 17. q. 5.* Abb. *in c. pastoralis. de donat. in 6.* & *ibid.* DD. communiter) in quo casu necesse non est, ut Vicario designetur certa portio redituum ex beneficio, sed sufficit ei dare congruentem sustentationem,

nem, & tunc omnia alia onera, etiam hospitalitatis exercendæ incumbunt principali. v. g. monasterio, juxta *Clem.* 1. *de jurep.* Laym. *loc. cit.*

Quæstio 139. *An & qualiter esse possint plures Vicarii perpetui ejusdem parochialis?*

1. REspondeo primò: etiamsi beneficium unicum sit & individuum, adeò ut ejus Rectoria importet verum matrimonium spirituale, non admittens duplicitatem personarum; adhuc tamen fieri potest non solùm, ut dum penes plures repræsentantes unam personam fictam v. g. penes omnes Collegii Canonicos est Rectoria principalis seu cura habitualis, plures deputentur ad ejusdem curæ exercitium Vicarii (etsi enim Rectorum seu parochorum pluralitas de jure prohibita sit, ne una mulier plures viros habeat; id tamen non procedit nisi in eo, qui verus Rector & sponsus est Ecclesiæ; non autem in hujusmodi Vicariis, qui operariorum potiùs jure censendi sunt; de Luca *ad Trid. d. 9. n. 5.*) verùm etiam ut nullo existente Rectore, qui formaliter sponsi vel capitis personam gerat, plures sint personæ materiales dictam formalem unicam personam repræsentantes; vel (quod veriùs dicitur, ad exercitium deputatæ cum participatione fructuum ac emolumentorum. Card. de Luca *de jurepatron. d. 7. n. 6.* Sed neque dum collegio vel capitulo annexa est, cura aliquid statutum à Trid. aut alibi in jure de constituendi Vicarii unicitate vel pluralitate, & bene; cùm id ex facti qualitate pendeat, an scilicet unus tantùm supplere possit vel plures requirantur, de Luca *ad Trid. loc. cit. n. 4.*

2. Respondeo secundò: idem tamen Vicariæ titulus ad duos spectare non potest. Laym. *ad c. 4. de off. Vicar. n. 3.* quemadmodum nec ullius alterius beneficii titulus duorum esse potest.

Quæstio 140. *An plures Vicariæ simul conferri possint uni?*

REspondeo negativè, si in titulum seu in perpetuum conferantur, adeoque habeant curam animarum. Laym. *ad c. 2. de off. Vicar.* Corrad. *in pr. benefic. l. 3. c. 9. n. 14.* eadem enim prorsus est ratio de duabus Vicariis perpetuis, quæ de duabus parochialibus, aut duobus beneficiis personalem residentiam requirentibus, quæ est ratio, cur duo beneficia curata retineri non possint; quòd nimirum utrumque requirat personalem residentiam. Corrad. *ibid.* atque ita duæ Vicariæ sunt inter se incompatibiles: Unde etiam est, quòd obtinens Vicariam perpetuam in beneficio curato, si assequatur secundam Vicariam habentem curam animarum, vel quodcunque aliud beneficium, non potest resignare primam Vicariam ad favorem alterius; quia vacat ipso jure per adeptionem secundi talis beneficii curati. juxta *c. de multis. de præb.* & *Extrav. Execrabilis. tit. eodem.* Laym. *ad c. 1. de off. Vicar.* Corrad. *loc. cit. n. 2.*

Quæstio 141. *An, & qualiter Vicario perpetuo mortuo Ecclesia dicatur vacare per ejus obitum?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: & hoc ipsum operatur talis Vicariæ perpetuitas, & quia habetur in titulum. Corr. *loc. cit. n. 11.* Lott. *l. 1. q. 33. n. 112.*

2. Respondeo ad secundum: dici etiam hoc casu Ecclesiam vacare tanquam viduatam secundario Prælato. Lott. *ibidem.* citans Bellam. *decis. 701. n. 5.* & Stap. *de Lit. gratiæ. rubrica de qualitate & statu benef. n. 10.*

PARAGRAPHVS III.

De Parochis, & Ecclesiis Parochialibus, &c.

Quæstio 142. *Vnde nomen Parochi, & quid in jure canonico importet?*

REspondeo, arbitrari quosdam apud Azor. *p. 2. l. 3. c. 12.* parochi nomen in Ecclesiam traductum à gentilium parochis (quales dicebantur, qui ad salem, lignaque, hoc est, rerum omnium copiam Regum, Principum ac populorum legatis Romam missis suppeditanda destinati) eò quòd Episcopali auctoritate illis præfecti, ut plebi verbi divini ac Sacramentorum pabulum præbeant, & his favet verbi Etymon, deductum à græco παρέχω, quod præbere significat. Alii nomen parochi derivant à græco πάροικος, quod accolam seu incolam, uti & parœcia (quo nomine jam olim tempore D. August. in eodem sensu Ecclesiastico, quo modò usurpatur, usos fuisse Christianos ex eodem August. *l. 14. de civit.* testatur Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 10. n. 11.*) accolarum conventum seu habitationem significat, eò quòd tali habitato, suisque limitibus clauso districtui ad gerendam animarum curam præficiatur parochus. Zech. *de rep. Ecclesiæ. c. 28. n. 1.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 6. n. 39.* apud Barb. *loc. cit. n. 13.*

Quæstio 143. *An, & qualiter Episcopo nomen Parochi tribuatur?*

1. REspondeo primò: Ecclesiam Cathedralem esse Ecclesiam Episcopi, & hunc respectu illius dici propriè & immediatè parochum, non verò respectu aliarum parochialium. Barb. *l. 3. c. 26. §. 2. n. 13.* citans Abb. *in c. cum contingat. de off. ordinar. n. 7.* Rebuf. *de decim. q. 7. n. 7.* Monetam, &c.

2. Respondeo secundò: Dum juxta morem ferè generalem Hispaniæ (præcipuè diœcesis Toletanæ, & Hispalensis, teste de Luca *de regular. d. 1. num. 43.*) in diœcesi non sunt parochiæ distinctæ, nullusque parochus proprius in titulum, tota diœcesis dicitur unica parochia, cujus Rector seu parochus universalis est Episcopus, qui in singulis locis vel Ecclesiis curam exercet per Clericos ad nutū ab eo amovibiles, qui & propterea parochi non sunt, nec dicuntur. de Luca *de decim. d. 1. n. 4.* idem habet *d. 17. n. 10.*

3. Respondeo tertiò: de cetero, ubi sunt parochiæ distinctæ, & in qualibet adest proprius, Episcopus dici non potest Rector seu parochus totius diœcesis. Lott. *l. 1. q. 20. n. 61.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 6.* & Rotam *decis. 309. n. 4. p. 2. divers.* Parochia namque dicitur partitio curæ, ut patet ex assignatione limitum unicuique facta. Lott. *n. 62.* sed neque ullo modo dici potest Rector cujuslibet parochiæ intra suam diœcesin: sic enim obtineret plura curata contra juris dispositionem.

Lott.

bitualis competit, adeoque Vicarius seu alio nomine nuncupatus ad solam curam actualem seu ejus exercitium deputatus jure operarii censendus est; ac proinde contentus esse debet congruâ suâ tanquam salario seu mercede operis ac laboris. de Luca. *de paroch. d. 22. n. 7.* citans plures Rotæ decisiones.

Quæstio 134. *An Vicarius parochi licentiam dare possit alteri presbytero assistendi matrimonio?*

REspondeo: de Vicario perpetuo intitulato certum est, quod possit; de eo etiam, quem parochus ad universitatem curæ & administrationem sacramentorum deputavit, ait de Luca *ad Trident. d. 26. n. 16.* dicendum videri, quod iste non possit quidem alium Vicarium ad eandem universitatem deputare; possit autem dare licentiam specialem, & partes suas in negotio particulari alteri committere, &c. idem docent etiam de eo, quem parochus ad breve tempus absentiæ suæ constituit, ut totam curam gerat; Sanch. *de matrim. l. 3. d. 31. n. 15.* Squil. *de privileg. cler. c. 2. n. 34.* apud Barb. *de de off. paroch. c. 1. n. 38.* Unde inferri videtur, ut habetur in indice Card. de Luca *ad Trid.* posse talem Vicarium dare licentiam alteri presbytero assistendi matrimonio. Quòdsi etiam adest consuetudo, ut talis parochi delegatus ad universam parochiæ curam, dum & ipse abest, ad breve tempus substituat sibi alium ministraturum omnia Sacramenta (in quo casu parochus vice curatum instituens conscius talis consuetudinis tacitè videtur dare facultatem delegato suo substituendi sibi alium subdelegatum ad universitatem causarum, qui tunc non tam delegatus delegati istius, quàm ipsius parochi censetur) posset sic institutus à vice curato dare alteri licentiam assistendi etiam matrimonio. Barb. *loc. cit.* ex Squil. *n. 35.* qui etiam *n. 37.* addat, quòd parochus præsens assumeret Vicarium locantem operas suas ad eum juvandum, hic Vicarius nequeat delegare; quia non censetur ipsi vices suas plenè commisisse parochus.

Quæstio 135. *Quæ ætas requiratur in Vicario perpetuo, & intra quod tempus fieri debeat sacerdos?*

1. REspondeo ad primum, requiri ut sit 25. annorum inchoatorum. c. *cùm in cunctis. de elect.*

2. Respondeo ad secundum: requiri, ut intra annum à pacifica possessione Vicariæ, & legitimo impedimento cessante, promoveatur ad sacerdotium. *c. licet canon. de elect.* juxta *Clem. unic. de off. Vicarii.* Ratio est, quia curam animarum ac beneficium veluti curatum habet. Laym. *ad c. ult. de offic. Vic.* Unde jura, quæ hac in parte constituta sunt parocho seu de Rectore parochialis Ecclesiæ etiam in Vicario perpetuo locum habent. Azor *p. 2. l. 3. c. 6. q. 7.*

Quæstio 136. *An & qualiter Vicarii perpetui teneantur ad residentiam personalem in suis Ecclesiis?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: quia habent beneficium veluti curatum. Laym. *loc. cit.* cum communi.

2. Respondeo secundò: circa hoc onus ac modum residendi Vicario tali congruunt ea, quæ de parocho disposita sunt. C. de Luca *ad Trid. d. 4. n. 11.* ac proinde sicut de parocho constituitur circa materialem ejus habitationem per plures S. Congreg. declarationes, ut ea sit prope Ecclesiam, sive intra ipsius parochiæ limites in loco commodo, omnibusque opportuno in domo parocho destinata. de Luca *ibid.* ita idem dicendum de habitatione Vicarii perpetui.

Quæstio 137. *An & qualiter Vicarii perpetui teneantur ad recitandas horas Canonicas?*

1. REspondeo primò: Vicarium perpetuum obligari ad eas; quia est verè beneficiatus, ut constat ex c. *postulasti. de rescript.* & quia Vicarius talis in Ecclesia tali parochiali verè curatus est quòad exercitium & effectum, licet quòad habitum & proprietatem cura sit penes Rectorem principalem. Laym. *Theol. Mor. l. 4. tr. 2. c. 6. n. 8.* citans Gloss. *ad c. super eo. de præb. in 6.*

2. Respondeo secundò: Vicarios temporales ratione Vicariæ ad horas Canonicas non obligari. Laym. *ibid.* & Barb. *l. 3. juris Eccl. c. 6. n. 62.*

3. Respondeo tertiò: excipiendos, quòad hos temporales Vicarios casus sequentes. Primò: si speciatim deputatus sit ad officium Canonicum vice alterius in choro cantandum; Secundò: si ei plena administratio beneficii cum auctoritate & consensu Episcopi, tametsi ad tempus & amovibiliter, commissa sit; tunc enim ex tacita conditione & pacto committi censetur, ut omnia officia, præstet; si nimirum principalis, cujus Vicarium agit, officium non persolvat. v. g. si alicui commendetur Ecclesia interim, dum beneficiatus puer, qui puer scilicet orare non potest, adolescat; aut si parocho, qui ob incurabilem infirmitatem beneficio præesse nullo modo potest, Vicarius vel Coadjutor ab Episcopo designetur, ita ut administrationem etiam in temporalibus habeat, & solùm aliquam portionem congruam parocho infirmo relinquere teneatur juxta Abb. *in c. de rectoribus. de institut. n. 5.* Tertiò: si beneficium, quod monasterio unitum est, auctoritate Episcopi committatur alicui Vicario, quamvis ad nutum amovibili: ita ferè Barb. ex Laym. citatque uterque Suar. *de relig. l. 4. de Hor. can. c. 22. n. 15.*

Quæstio 138. *An & qualiter Vicarius teneatur ad subsidium charitativum?*

1. REspondeo ad primum: Vicarium, præsertim investitum seu intitulatum, teneri ad subsidium charitativum, uti & ad alias actiones, quæ aliàs ab Episcopo beneficiatis imponuntur. *c. 2. de suppl. negl. præl.* & c. *de monach. de præb.* Laym. *in cit. c. 2. n. 5.* Hæc enim sunt jura, quæ Pontifex ait, Vicariis persolvenda esse.

2. Respondeo ad secundum: persolvendum hoc subsidium juxta ratam portionem, quæ Vicariis ex officio provenit. Nihilominùs interdum Vicariis, aliisque pensionariis portio assignatur omnino libera, ita ut totum onus principali Rectori incumbat, tametsi is aliàs exemptus sit (non enim exemptus est ratione populi & Ecclesiæ parochialis Episcopo subjectæ; cùm unio fieri censeatur salvo jure Episcopali. Laym. *l. 4. Theol. Mor. tr. 2. c. 17. q. 5.* Abb. *in c. pastoralis. de donat. in 6.* & *ibid.* DD. communiter) in quo casu necesse non est, ut Vicario designetur certa portio redituum ex beneficio, sed sufficit ei dare congruentem sustentationem,

nem, & tunc omnia alia onera, etiam hospitalitatis exercendæ incumbunt principali. v. g. monasterio, juxta *Clem.* 1. *de jurep.* Laym. *loc. cit.*

Quæstio 139. *An & qualiter esse possint plures Vicarii perpetui ejusdem parochialis?*

1. REspondeo primò: etiamsi beneficium unicum sit & individuum, adeò ut ejus Rectoria importet verum matrimonium spirituale, non admittens duplicitatem personarum; adhuc tamen fieri potest non solùm, ut dum penes plures repræsentantes unam personam fictam v. g. penes omnes Collegii Canonicos est Rectoria principalis seu cura habitualis, plures deputentur ad ejusdem curæ exercitium Vicarii (etsi enim Rectorum seu parochorum pluralitas de jure prohibita sit, ne una mulier plures viros habeat; id tamen non procedit nisi in eo, qui verus Rector & sponsus est Ecclesiæ; non autem in hujusmodi Vicariis, qui operariorum potiùs jure censendi sunt; de Luca *ad Trid. d. 9. n. 5.*) verùm etiam ut nullo existente Rectore, qui formaliter sponsi vel capitis personam gerat, plures sint personæ materiales dictam formalem unicam personam repræsentantes; vel (quod veriùs dicitur, ad exercitium deputatæ cum participatione fructuum ac emolumentorum. Card. de Luca *de jurepatron. d. 7. n. 6.* Sed neque dum collegio vel capitulo annexa est, cura aliquid statutum à Trid. aut alibi in jure de constituendi Vicarii unicitate vel pluralitate, & bene; cùm id ex facti qualitate pendeat, an scilicet unus tantùm supplere possit vel plures requirantur, de Luca *ad Trid. loc. cit. n. 4.*

2. Respondeo secundò: idem tamen Vicariæ titulus ad duos spectare non potest. Laym. *ad c. 4. de off. Vicar. n. 3.* quemadmodum nec ullius alterius beneficii titulus duorum esse potest.

Quæstio 140. *An plures Vicariæ simul conferri possint uni?*

REspondeo negativè, si in titulum seu in perpetuum conferantur, adeoque habeant curam animarum. Laym. *ad c. 2. de off. Vicar.* Corrad. *in pr. benefic. l. 3. c. 9. n. 14.* eadem enim prorsus est ratio de duabus Vicariis perpetuis, quæ de duabus parochialibus, aut duobus beneficiis personalem residentiam requirentibus, quæ est ratio, cur duo beneficia curata retineri non possint; quòd nimirum utrumque requirat personalem residentiam. Corrad. *ibid.* atque ita duæ Vicariæ sunt inter se incompatibiles: Unde etiam est, quòd obtinens Vicariam perpetuam in beneficio curato, si assequatur secundam Vicariam habentem curam animarum, vel quodcunque aliud beneficium, non potest resignare primam Vicariam ad favorem alterius; quia vacat ipso jure per adeptionem secundi talis beneficii curati. juxta *c. de multis. de præb.* & *Extrav. Execrabilis. tit. eodem.* Laym. *ad c. 1. de off. Vicar.* Corrad. *loc. cit. n. 2.*

Quæstio 141. *An, & qualiter Vicario perpetuo mortuo Ecclesia dicatur vacare per ejus obitum?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: & hoc ipsum operatur talis Vicariæ perpetuitas, & quia habetur in titulum. Corr. *loc. cit. n. 11.* Lott. *l. 1. q. 33. n. 112.*

2. Respondeo ad secundum: dici etiam hoc casu Ecclesiam vacare tanquam viduatam secundario Prælato. Lott. *ibidem.* citans Bellam. *decis. 701. n. 5.* & Stap. *de Lit. gratiæ. rubrica de qualitate & statu benef. n. 10.*

PARAGRAPHVS III.

De Parochis, & Ecclesiis Parochialibus, &c.

Quæstio 142. *Vnde nomen Parochi, & quid in jure canonico importet?*

REspondeo, arbitrari quosdam apud Azor. *p. 2. l. 3. c. 12.* parochi nomen in Ecclesiam traductum à gentilium parochis (quales dicebantur, qui ad salem, lignaque, hoc est, rerum omnium copiam Regum, Principum ac populorum legatis Romam missis suppeditanda destinati) eò quòd Episcopali auctoritate illis præfecti, ut plebi verbi divini ac Sacramentorum pabulum præbeant, & his favet verbi Etymon, deductum à græco παρέχω, quod præbere significat. Alii nomen parochi derivant à græco πάροικος, quod accolam seu incolam, uti & parœcia (quo nomine jam olim tempore D. August. in eodem sensu Ecclesiastico, quo modò usurpatur, usos fuisse Christianos ex eodem August. *l. 14. de civit.* testatur Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 10. n. 11.*) accolarum conventum seu habitationem significat, eò quòd tali habitato, suisque limitibus clauso districtui ad gerendam animarum curam præficiatur parochus. Zech. *de rep. Ecclesiæ. c. 28. n. 1.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 6. n. 39.* apud Barb. *loc. cit. n. 13.*

Quæstio 143. *An, & qualiter Episcopo nomen Parochi tribuatur?*

1. REspondeo primò: Ecclesiam Cathedralem esse Ecclesiam Episcopi, & hunc respectu illius dici propriè & immediatè parochum, non verò respectu aliarum parochialium. Barb. *l. 3. c. 26. §. 2. n. 13.* citans Abb. *in c. cum contingat. de off. ordinar. n. 7.* Rebuf. *de decim. q. 7. n. 7.* Monetam, &c.

2. Respondeo secundò: Dum juxta morem ferè generalem Hispaniæ (præcipuè diœcesis Toletanæ, & Hispalensis, teste de Luca *de regular. d. 1. num. 43.*) in diœcesi non sunt parochiæ distinctæ, nullusque parochus proprius in titulum, tota diœcesis dicitur unica parochia, cujus Rector seu parochus universalis est Episcopus, qui in singulis locis vel Ecclesiis curam exercet per Clericos ad nutū ab eo amovibiles, qui & propterea parochi non sunt, nec dicuntur. de Luca *de decim. d. 1. n. 4.* idem habet *d. 17. n. 10.*

3. Respondeo tertiò: de cetero, ubi sunt parochiæ distinctæ, & in qualibet adest proprius, Episcopus dici non potest Rector seu parochus totius diœcesis. Lott. *l. 1. q. 20. n. 61.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 6.* & Rotam *decis. 309. n. 4. p. 2. divers.* Parochia namque dicitur partitio curæ, ut patet ex assignatione limitum unicuique facta. Lott. *n. 62.* sed neque ullo modo dici potest Rector cujuslibet parochiæ intra suam diœcesin: sic enim obtineret plura curata contra juris dispositionem.

Lott.

Lott. *n.* 64. Unde etiam limitatâ ac sic efformatâ parochiâ Episcopus nullatenus pro se obtinere potest parochiam aliquam in titulum diversum à titulo sui Episcopatûs; Multóque minùs, si Ecclesia vacaverit sub prætextu, quòd sit Parochus totius diœcesis suæ, potest in se suscipere curam, ita ut per hoc videatur consumpta vacatio, quò minùs Ecclesia de alio Rectore sit providenda: ex illa namque partitione erectus est novus titulus, novumque & proprium jus ab omni alio titulo & jure sejunctum pro sacerdote, qui illius curam particularem subiturus est. Lott. *ibidem, n.* 67. & 68. His tamen non obstantibus jus habet Episcopus, quatenus cura totius diœcesis illi demandata est, ut se ingerere possit in cura cujuslibet parochiæ, & in ea pro libitu se occupare. Lott. *n.* 69. ex Præpos. *in c. quacunque* 10. *q.* 1.

Quæstio 144. *Quid sit parochia, prout est certa diœcesios pars; dicitur enim quandoque parochia tota diœcesis juxta* c. siquis ordinatus, & duo seq. dist. 92 *Azor.* loc. cit. q. 2.

Respondeo: est locus seu districtus, in quo degit populus alicui Ecclesiæ deputatus certis finibus limitatus. Barb. *cit. l.* 1. *c.* 26. *n.* 14. Bellamer. *cons.* 38. *n.* 8. Tusch. *lit. p. concl.* 94. *num.* 1. Mantic. *decis.* 48. *n.* 1.

Quæstio 145. *Quid sit Ecclesia parochialis?*

Respondeo: esse eam, quæ habet territorium ac populum certis limitibus Episcopi auctoritate distinctum, in quem jus consistens in cura animarum exercet sine prærogativâ vel prælatione. definitio hæc sumpta partim ex Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *q.* 14. Partim ex Barb. *loc. cit. n.* 17. citante C. Tusch. *lit. p. concl.* 93. *n.* 1. & Federic. de Senis *cons.* 49. & 86.

Quæstio 146. *Quænam requirantur essenvialiter, ut Ecclesia sit, & dicatur parochialis?*

Respondeo requiri sequentia: Primò: ut in ea sit potestas fori pœnitentialis, sive solvendi & ligandi in foro pœnitentiali. Corrad. *in pr. benef. l.* 3. *c.* 5. Barb. *cit. l.* 1. *c.* 20. *n.* 18. Secundò: ut hæc potestas exerceatur de necessitate, hoc est, ut non tantùm Rector in ea possit administrare Sacramenta circum habitantibus, & hi illa ab eo recipere; sed & is, & hi ad hoc teneantur; cùm in ista reciproca & vicissitudinaria necessitate administrandi & recipiendi Sacramenta potissimùm consistat ratio curati. Corrad. & Barb. *loc. cit.* referentes plures alios, uti & Rotæ decisiones. Tertiò: ut ei præpositus in illa exerceat curam nomine suo & non alieno. Corrad. *loc. cit.* & Barb. citans pro hoc & sequente Ricc. *in praxi Fori Eccles. resol.* 561. Rebuff. &c. Quartò: ut solus, & non cum aliis eam administret; quod ipsum ad rationem curati requiri, tenet Corrad. ita ut si eidem Ecclesiæ præficiantur duo, qui confessiones audiant, baptizent &c. non dicantur curati. citat pro hoc Gonz. *ad regul.* 8. *q.* 6. *num.* 35.

Quæstio 147. *An & qualiter distinguantur Ecclesia Parochialis & Ecclesia curata; beneficium parochiale, & beneficium habens curam animarum?*

Respondeo: hæc ita distingui, ut omnis parochialis dicatur & sit curata, non verò omnis curata sit parochialis. ita tenent Corr. *loc. cit. n.* 3. Barb. *loc. cit. n.* 20. *in fine.* citans Hojed. *de incompat. benef. p.* 1. *c.* 13. *n.* 2. Rebuff. &c. Laym. *ad c. licet canon. de elect. n.* 1. dum ait, per Ecclesiam parochialem, ad cujus regimen Trid. *sess.* 7. *c.* 12. requirit annos 24. completos, intelligi omne beneficium curatum, id est, cui cura animarũ per se incumbit, licet alioquin sit personatus vel dignitas. Pari modo beneficium habens curam animarum tanquam latiùs patens distingui à Parochiali beneficio, ex Innoc. *ad c. cum satis. de officio Archid.* docet Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 12. *q.* 5. eò quòd curam animarum habere præter parochos dicantur quoque ii, qui absque jurisdictione fori pœnitentialis jurisdictionem exercent in Clericos, vel etiam laicos, ita ut jure eos excommunicare, suspendere, similesque censuras & pœnas Ecclesiasticas infligere, & ab iis absolvere, aliáque quòad res Ecclesiasticas statuere possunt, absque eo, quòd per hoc habere dicantur beneficium parochiale juxta *c. dudum. de elect.* Gl. *ibid.* Nihilominus quòad Ecclesiam curatam & parochialem, nullum inter eas se agnoscere discrimen, ait Lott. *l.* 1. *q.* 20. *n.* 55. eò quòd, dum contigerit ad Ecclesiam aliquam v. g. ruralem populum circùm eam habitantem accedere, & in ea ab ejus presbytero recipere Sacramenta; vel presbyter tali Ecclesiæ ab Episcopo præfectus est cum constitutione certæ plebis per suos limites distinctæ, & jam illa Ecclesia sit parochialis, utpote in quam eo ipso modo, nempe per assignationem illam territorii (per hanc namque confertur jurisdictio ordinaria juxta Imol. quem citat Lott. *in Clem. dudum. de sepult. n.* 32.) inducta est reciproca illa necessitas administrandi Sacramenta, activè in presbytero, passivè in populo, in qua consistit substantia parochialitatis: vel simpliciter solùm presbyter ille approbatus est ad audiendum ibi confessiones, aliáque Sacramenta administranda, & jam Ecclesia nec parochialis nec curata dicetur; sed dicitur simpliciter in ea constituta gratiosa quadam ordinatio favore animarum, & presbyter ille, qui confluentes illuc ad Sacramenta admittit, non dicetur curatus, sed nudus & simplex minister alterius, à quo illuc confluentes ad recipienda inibi Sacramenta potestatem sunt consecuti. Ita ferè Lott. citans Imol. suprà. Oldra. *cons.* 67. *n.* 2. & alios, quos in hoc secuta fuerit Rota. De cetero tamen non diffitetur Lott. *n.* 57. posse esse curam animarum, hoc est, exercitium & nudum ministerium sine parochialitate, & in hunc sensum explicandam decisionem Rotæ 52. *p.* 2. *divers.* quam pro se citant AA. alii.

Quæstio 148. *Qualiter distinguantur Ecclesia parochialis habitu & actu curata à parochiali habitu tantùm curata?*

Respondeo: Parochias dici actu vel habitu tantùm curatas, prout vel actu vel habitu tantùm habent populum; contingere namque potest, ut populus locum & Ecclesiam deserat alio commigrando. v. g. ob pestem ibi sævientem, ob bellum diuturnum, ob soli sterilitatem, vel cœli intemperiem, in quibus casibus dicitur Ecclesia jure quidem & habitu habere populum, non actu; etsi propterea non desinat esse parochialis. Azor. *loc. cit. q.* 7. de cetero non desinit Ecclesia esse parochialis actu, si pa-

si parochiani, qui in parochia habitant, ex aliquâ causa vel culpâ ibi non percipiant divina; quia ad effectum ut curatus consequatur jura parochialia, sufficit, quod per illum non stet, quòd non ministret Sacramenta. Corrad. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 9. citans Abb. *ad cap. extirpandæ.* & Rebuf. neque enim parochiani percipiendo sacramenta in alienâ parochiâ efficiuntur alterius parochiæ. Quin etiamsi Parochus neglexerit ministrare sacramenta parochianis, qui ea de causa fuerint coacti ad ea percipienda alibi, hæc culpa curati non mutat statum Ecclesiæ. Corrad. *loc. cit.* citans Mareschot. *variar. resol. l.* 2. *c.* 95. *n.* 2. ubi ait, id procedere, si constet Ecclesiam habere limites, intra quos adsint habitatores, nec probetur illos recessisse, vel saltem remansisse 10. personas, quæ sufficiunt ad constituendam parochiam, multóque minus excluditur parochialitas, aut Ecclesia desinit esse parochialis actu ex eo, quòd de illa non residerint penes dictam Ecclesiam; cùm id potiùs sonet solum abusum; quemadmodum Ecclesia dicitur actu collegiata, dum sunt in ea Canonici, licet non resideant; culpa enim & abusus non operatur, ut Ecclesia desinat esse Collegiata. Corr. *loc. cit. n.* 11. citans pro hoc plures Rotæ decisiones; sed neque Parochialis habitu tantùm talis amittit sua jura & privilegia ex eo, quòd cesset in ea exercitium parochialitatis, sed ea semper reservantur, licet talis Ecclesia effecta jam beneficium simplex; unde videmus quandoque simplicibus beneficiis competere ea, quæ aliàs competunt parochialibus. Corr. *n.* 12. Porrò Ecclesiæ parochialis Rector habitualis & actualis aliud sonant juxta sæpe dicta; ille enim est Monasterium, Collegium vel Prælatus, aliusve, cui vel cujus beneficio unita est parochialis; hic verò est Vicarius illius actualem exercens curam. Card. Luca *in Miscell. d.* 1. *n.* 25.

Quæstio 149. *Ecclesia parochialis unde dignoscatur?*

1. Respondeo eam non dignosci ex eo, quòd fontem baptismalem habeat, & inibi aliqui baptizentur; vel etiam quòd simul cœmiterium habeat, in quo aliqui jus sepulturæ habent; quia hæc duo Ecclesiæ non parochiali ex consuetudine vel privilegio, vel concessione superioris Antistitis seu Episcopi competere possunt. Azor. *loc. cit. q.* 3. Corr. *loc. cit. n.* 5. citans Card. Anchor. Imol. *in Clem.* 1. *de baptismo.* Decium *in c. ad aures. de rescript. n.* 10. sed neque ex decimarum, oblationum & primitiarum receptione; cùm decimæ possint acquiri Ecclesiæ non parochiali ex alio titulo, quàm ex jure divino, ex quo Ecclesiæ parochiali debentur. Item etiam aliunde concedi primitiæ & oblationes, licet de cætero perceptio decimarum, oblationum & primitiarum, uti & actus baptizandi sint jura parochialia. Corrad. *loc. cit.* Barb. *cit. c.* 20. *n.* 20.

2. Respondeo secundò: dignosci parochialem ex eo, quòd habeat populum certis distinctum finibus loci seu territorii, vel aliter (quod addo, quia fieri potest authoritate Episcopi, ut parochiæ per certas tantùm familias, etsi promiscuè cum aliis habitent, distinguantur. Azor. *ibid.* C. Luca *de Paroch. d.* 24. *n.* 3. Barb. *loc. cit. n.* 22. qui etiam ea sacramenta recipere ipso jure compellitur, præsertim si in ea singuli ex assignato illi districtu annuè confiteantur & Eucharistiam in Paschate sumere consueverint. Azor. *ibid.*

Quæstio 150. *Quæ requirantur, ut Ecclesia probetur parochialis, dum fortè dubitatur, an in ea recipientes sacramenta ad id compellantur necessitate juris?*

Respondeo sequentia; quæ Barb. *loc. cit.* congerit ex Card. Tusch. *litt. P. concl.* 94. *n.* 3. & 4. Primò: quòd habeat populum sibi deputatum, distinctum certis limitibus. Secundò: quòd is ibi diebus festivis audiat missam; juxta Trid. *sess.* 23. *c.* 14. Tertiò: quòd ibi recipiant sacramenta. Quartò: quòd ibi passim sepeliantur, etiam non factâ aliquâ electione per defunctos, aut ibi existentibus sepulturis majorum. Quintò: quòd in ea asservetur Eucharistia; quæ aliàs in parochialibus debet retineri, ita ut in aliis non retineatur, nisi ex indulto Apostolico, quod habent regulares juxta notata *in Clement.* 1. *de privil.* & Piacef. *in praxi Episcop. p.* 2. *c.* 3. *n.* 7. Sextò: quòd ibi fiant oblationes. Septimò: quòd recipiat decimas.

Quæstio 151. *Quotuplices sint parochialium Ecclesiarum species?*

Respondeo, esse varias; aliquæ enim sunt unicæ in loco habentes alias inferiores Ecclesias tanquam adjutrices & membra subordinata: aliæ, ubi earum plures in civitate vel loco existunt juxta ordinariam ac regularem naturam inter se distinctos fines, distinctumque populum habent, ita ut unum ovile cum alio non confundatur; aliæ verò absque ista finium distinctione oves proprias sic distinctas habent per solam distinctionem familiarum; aliæ ne quidem istam distinctionem habent, sed jure cujusdam communionis universalis, quælibet pro suo posse universo populo, seu accedentibus promiscuè sacramenta administrat; hanc autem posteriorem speciem Trid. *sess.* 24. *c.* 13. parum commendat, jubetque per Ordinarios reduci ad secundam speciem (quo tamen Concilii decreto non comprehendi parochias tertiæ speciei; nimirum distinctas solâ familiarum distinctione, ait Barb. *cit. c.* 20. *n.* 22. etsi contrarium insinuet de Luca) ita ferè idem de Luca *in Miscel. d.* 1, *n.* 31. Porrò ratione præeminentiæ cujusdam quandoque Ecclesiæ parochiales sortiuntur diversas nuncupationes & qualitates; dum nimirum una vel tanquam in loco antiquior, vel in primævo statu unica, postmodum verò ex fidelium multitudine divisa major seu matrix dicitur; aliæ verò filiales. In quo casu omnes in jure parochiali sunt æquales, cum omnimoda independentia; una tamen ad instar Decani seu primæ dignitatis in Capitulo aliquam majorem habet prærogativam; ubi verò Ecclesiæ ab una aliqua dependent cum omnimoda subordinatione, tunc licet pro communi usu loquendi matricis quoque ac filiarum nomen adhibetur; impropria tamen est locutio; quia reipsa tunc unica tantùm est parochialis; aliæ autem dicuntur inferiores Ecclesiæ adjutrices tanquâ membra, pro commodioris juris parochialis & curæ exercitio. de Luca *loc. cit.* citans seipsum *de Parochis d.* 32. *& seq.* Similiter ubi Ecclesiarum ab invicem independentium una ratione antiquitatis vel alterius præeminentiæ est major seu prima in loco, ad eum scilicet effectum, ut ibi v. g. majores solennitates celebrari debeant, atque ad eam aliæ inferiores accedere, impropriè appellatur matrix comparativè ad aliam tanquam filiam, ex qua, seu ex cujus territorii & populi parte efformata est alia cum ere-

erectione formali sui in titulum distinctum, & omnimoda independentia à priore. de Luca *de decimis d.* 12. *n.* 12.

Quæstio 152. *Num Parochialis Ecclesiæ nomine veniant, quæ simul sunt collegiatæ?*

Respondeo: non venire in odiosis, adeóque strictæ interpretationis, idque ob specialem ejus qualitatem (quemadmodum dici solet in materiâ odiosâ, nomine *Clericorum* non comprehendi Episcopos vel regulares; eò quòd, licet & ipsi sint Clerici, tamen specialem qualitatem habeant, ob quam communi Clericorum nomine in materia strictæ interpretationis comprehendi non debeant) atque ita v. g. dum *c. licet canon.* statuit, ut nisi quis parochialem Ecclesiam consecutus intra annum fiat presbyter, ipso facto absque alia sententia eâ privatus existat. &c. non comprehenditur is, qui obtinuit parochialem, quæ simul collegiata est, ita ut Præpositus v. g. qui hoc ipso simul est Parochus ejusdem Ecclesiæ seu Rector plebis, teneatur fieri intra annum sacerdos, ni velit privatus existere istâ Ecclesiâ. Ita expressè ob prædictam rationem, nimirum ob specialem talis Ecclesiæ qualitatem statuit Bonif. VIII. *in c. statutum. de elect. in 6.* Laym. *ibid.* uti & ad *c. 3 de postul. n.* 1. vide de Luca paulò pòst citandum. Neque his obstat, quòd dum Ecclesiæ alicujus præpositus est etiam ibi Canonicus vel Capellanus, statuta pœnalia & onerosa loquentia de Canonicis vel Capellanis, cadant etiam in talem præpositurum; nam id verum est, si præpositura, Canonicatus, vel Capellanatus censeantur diversa beneficia, adeóque etiam in casu, si alicui Collegii Rectori dispensato super pluralitate beneficiorum parochialis Ecclesia de novo conferatur, statuta odiosa de parochis in talem quoque Rectorem cadent; secùs verò dum Ecclesia simul est collegiata & Parochialis, & Rector illius hoc ipso etiam est Parochus, absque eo, quòd per hoc duo beneficia habeat. hinc

Quæstio 153. *In genere; an dispositio loquens de parochis extendatur ad beneficia, quæ accessione habent parochialitatem, seu parochias unitas, & curam habitualiter?*

Respondeo negativè: semper enim habenda est ratio principalioris qualitatis, nempe Ecclesiæ collegiatæ, & secundùm hanc accessoria quasi qualitas, nempe parochialitatis, aliæque conditiones regulandæ sunt. Laym. *ad cit. c. statutum.* actus enim regulantur à principali & prædominante, non autem ab accessorio & consecutivo; & consequenter cura (intellige habitualis, secùs enim est, ubi Canonicatui fixè annexum est ejusdem curæ exercitium. C. Luc. *de benef. d.* 16. *&* 952.) accessoriè annexa dignitati, vel Canonicatui non alterat ipsius dignitatis naturam seu qualitatem, neque reddit beneficium verè curatum tam ad effectum formæ concursûs, ætatis, residentiæ requisitæ aliàs ad beneficium verè curatum, quàm expressionis curæ aliàs faciendæ in quacunque provisione beneficii curati. C. de Luca. *de benef. d.* 77. *n.* 3. & fusiùs *ibid. d.* 24. *n.* 6. *& seq.* sed potiùs parochialis Ecclesia amittit veluti naturam suam, & induit naturam & conditiones collegiatæ tanquam principalioris, dum ad eam evehitur, vel ei unitur. Laym. *ad cit. c. statutum.* De cetero notandum ex de Luca *de benef. d.* 14. *n.* 7. uti & ad Trid. *d.* 16. *n.* 4. quòd parochiales sæpe signa & denominationem collegiatarum habent, absque eo, quòd verè tales sint; sic præsertim in loco, ubi sunt unicæ matrices, habent Clericos & Capellanos nationales illi adscriptos pro illius cultu & Rectoris adjutorio, qui massam faciant, & vulgò capituli denominationem de facto habent, Syndicum constituunt, missam conventualem celebrant, aliáque similia iis, quæ in collegiatis fiunt, præstant. Sed hæc sunt signa æquivoca attendenda quidem pro adminiculis collegialitatis, habentis alias probationes univocas pro iis supplendis & corroborandis, non autem quòd se solis eam probent.

Quæstio 154. *Quæ sint, vel non sint sufficientes causæ constituendi novam parochiam, dismembrando antiquam?*

1. Respondeo esse sequentes. Primò: ubi ob locorum distantiam aut difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt. Barb. *loc. cit. n.* 23. citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 6. n. 96.* possúntque hoc in eo casu Episcopi etiam invitis Rectoribus (& addit Azor *p.* 2. *l.* 3. *q.* 7. etiam patronis) juxta *c. ad audientiam. de Ecclesiis ædif.* Assignando etiam pro arbitrio suo in sustentationem novi parochi fructus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentes, aut si necesse fuerit, compellendo populum Ecclesiæ noviter erectæ ad necessaria eidem sacerdoti subministranda juxta dispositionem Trid. *sess.* 21. *c.* 4. Corrad. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 1. Barb. *loc. cit.* qui tamen *l.* 2. *juris Ecclesiastici c.* 2. *nu.* 8. hoc ipsum sic limitat ex Menoch. & Riccio: nisi in loco minimè difficili, nec incommodo adesset oratorium vel Ecclesia cum fonte baptismali, & ceteris ad parochiam necessariis; ibique poneret Rector sacerdotem in sui adjutorem.

2. Secundò: ubi multitudo fidelium excrevit, & Ecclesia una evidenter non est sufficiens propter novarum habitationum distantiam; possunt tunc, etiam cum alterius Ecclesiæ præjudicio, ædificari & constitui novæ parochiæ. Barb. *l. ult. cit. n.* 11. Præjudicium enim, quod alteri Ecclesiæ inferri potest præter damnum ædificii cohærentis, est participatio sumptuum in constructione, aut impensarum pro sustentatione novi Rectoris, vel damnum in jurisdictione etiam oblationibus, quæ fieri solent Ecclesiæ. Barb. *ibid.* ubi multa de constructione aliarum Ecclesiarum.

3. Tertiò: licet *in cap. ad audientiam.* expressa non sit, expressis tamen ibidem æquipollens, adeóque sufficiens causa est dismembrandi antiquam, & constituendi novam parochiam, dum antiqua parochia, quæ priùs erat extra mœnia, ampliatâ dein urbe iisdem includitur, ita ut nocturno tempore ob clausas urbis portas parti parochianorum extra habitanti non pateat recursus ad parochum, aut hujus ad illos, ac ita maxima patiantur animarum pericula in repentinis casibus infirmitatis & mortis (dum tamen ut rectè hunc casum limitat C. de Luc. *de paroch. d.* 34. *n.* 6. neque in vicinia adest alius, cui pro istis casibus parochiani commendari possent) Corr. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 7. fusè ex Lapo *alleg.* 66. Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 26. qui etiam *nu.* 27. causam aliam similem addit; nimirum si existat medius fluvius vel torrens inter Ecclesiam & partem populi illi subjecti, qui sæpe exundans ita obsideret iter, ut aliquando infirmi cogantur sine Sacramentis mori.

4. Re-

4. Respondeo secundò: de cætero, ubi in Ecclesiis parochialibus, vel etiam baptismalibus, populus ita fit numerosus, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis sacramentis ministrandis, vel pluribus infirmis providendis, & divino cultui peragendo; non est causa sufficiens dividendi parochiam, aut constituendi aliam cum præcedentis præjudicio, neque etiam erigendi coadjutoriam; sed in vim Trid. *sess.* 21. *c.* 4. cogendi per Ordinarium Rectores, vel alios, ad quos spectat, ad adjungendum sibi tot sacerdotes, quot sufficiunt ad administranda sacramenta, & cultum divinum peragendum Lott. *loc. cit. n.* 28. Barb. *l. ult. cit. n.* 9. & 10. Corrad. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 1. & *c.* 2. *n.* 1. citantes desuper declarationem S. Congregationis; multoque minùs reputabitur pro justa causa constituendi parochiam novam, si Ecclesia non sit capax totius populi, ac ita deformis; tum, quia neque Trid. neque cit. c. *ad audientiam.* id consideravit; tum quia huic difficultati occurri potest per ampliationem Ecclesiæ, vel per exstructionem novæ capellæ in proprietate parochialis antiquæ; uti etiam inundationi, similibusque incommoditatibus per novam exstructionem vel situationem in loco commodiore. *Can.* enim citat: *ad audientiam*, uti & *cap.* 1. *de rebus Eccl. non alien. in* 6. (qualis alienatio intercurrit in tali dismembratione Ecclesiarum, ejusque jurium ac fructuum. Corr. *loc. cit. n.* 2.) non quamcunque distantiam, sed talem, quæ est cum magno incommodo; item necessitatem non quamlibet, sed evidentem, quæ est talis, ut ei aliud remedium aptari nequeat, pro causa sufficiente talis dismembrationis & novæ parochialis constitutione requisivit. Lott. *loc. cit. n.* 29. *& seq.* Corrad. *loc. cit. sub n.* 2. His tamen non obstantibus utiliter observandum, quod monet de Luca. *ad Trid. d.* 16. *n.* 2. *& seq.* certam generalem regulam circa hoc punctum statui non posse, ac errare illos, qui cum aliquibus S. Congreg. declarationibus, & Rotæ decis. aut DD. aliquorum traditionibus pro hujusmodi nova erectione faciendâ vel negandâ in sola literâ procedunt; cùm sit potius quæstio facti ex singulorum casuum particulari qualitate, ac individuis circumstantiis decidenda; quia simul stare possunt, ut in uno casu, eâdem populi multiplicatione, eâdemque distantiâ, vel itineris asperitate, aliisque causis accidentibus, id denegandum sit; in altero concedendum; eò quòd diversi mores regionis, vel minor prioris parochialis majestas & decor in uno casu permittant, in altero prohibeant. Sic v. g. fieri potest, ut ubi tanta est populi ac Cleri multitudo, ut in Ecclesia parochiali antiqua eædem functiones, cultusque divinus idem pari cum decore continuari, quin & pari modo in novâ exerceri possit; vel etiam ut sit distantia de se sufficiens ad istiusmodi dismembrationem; & tamen ex aliunde accidente illam fieri non expediat; nimirum, quia prudenter timentur hic & nunc, quæ ex hujusmodi parochianorum duplicitate nasci quandoque solent, scissuræ & factionariæ æmulationes inter utriusque Clerum & populum. è contra autem contingere potest, ut ubi minor est distantia, vel etiam minor populus, aut territorii amplitudo, adeoque facilùs occurri posset per destinationem Vicariorum & coadjutorum, vel exstructionem Ecclesiæ adjutricis, fieri tamen expediat & possit dicta dismembratio: nimirum ob parochianorum antipathiam, vi cujus pars prima alterius æmula non ferret istam sui, suæque Ecclesiæ adjutricis ad illam alterius partis Ecclesiam primariam subjectionem. unde concludit de Luca prudenti beneque regulato arbitrio, nempe Ordinarii, id commissum esse.

Quæstio 155. *Ad quos spectet erigere novas parochiales?*

1. Respondeo primò: id posse Ordinarios authoritate sibi desuper tanquam Sedis Apostolicæ delegatis impertitâ vi *cit. cap. ad audientiam.* & *c.* 4. *sess.* 21. Trid. Rebuff. *in praxi tit. de erectione in parochialem.* Mand. *in praxi sign. gra. tit. erectiones.* Leo *in Thes. fori Eccl. p.* 2. *c.* 2. *n.* 68. quos citat, sequiturque Corrad. *l. paulò ante cit.* Porrò quoties Papa, (ad quem quandoque recurritur, ubi de similium parochialium erectionibus ordinariâ authoritate factis dubitari contingit, ut parochialis ordinariâ jam authoritate erectæ confirmatio, seu nova erectio ab ipsa Sede Apostolica impetretur. Corrad. *ibid. sub n.* 4.) concedit similes erectiones, in quibus pro causa allegatur dicta locorum distantia & difficultas, semper rescribit Ordinario, ut authoritate Apostolicâ erigat, servatâ formâ *cit. c. ad audientiam.*

2. Respondeo secundò: dum parochialis jam erecta habet tamen Rectorem ad nutum amovibilem ex fundatione vel consuetudine, petitur ejusdem Ecclesiæ statûs mutatio, ut exinde Rector amovibilis fiat perpetuus; talis mutatio spectat ad Papam; cùm præter hunc nullus possit mutare conditiones in limine fundationis adjectas de consensu Ordinarii. Moneta. *de commut. ult. vol. c.* 10. *n.* 348. Ugol. *de off. Episc. c.* 52. §. 10. & alii, quos cit. & sequitur Corrad. *sub n.* 4.

Quæstio 156. *Qualiter præsumantur adhibitæ solennitates, causa sufficiens, & consensus seu authoritas potentis dismembrare?*

1. Respondeo ad primum: pro inducenda præsumptione solennitatis extrinsecæ, quam allegat possessor, sufficiet decursus temporis non minor 30. annorum. Lott. *cit. q.* 28. *n.* 38. citans Imol. *in c. pervenit. de emptione & vend. n.* 10. & 13. modò tamen probetur consensus illius, de cujus præjudicio agitur. Lott. *ibidem.* citans Menoch. *de præsump. l.* 3. *præsump.* 32. *n.* 64.

2. Respondeo ad secundum: pro inducenda præsumptione substantiæ ipsius actûs, & consequenter pro inducendâ præsumptione causæ, utpote à qua actus substantiatur, & mensuram justitiæ accipit, nullius temporis lapsum sufficere, adeoque, nisi causa sit evidens, nullius temporis lapsum sufficere ad dismembrationem sustinendam. Lott. *n.* 37. 39. & 40. & quamvis præsumenda sit veritas causæ, ubi versamur in dubio, & cæteræ solennitates sunt adhibitæ, ut Gemin. *cons.* 48. *n.* 6. & in ipsa hac materia dismembrationis decidit Rota apud Seraph. *decis.* 414. *nu.* 2. sublatâ tamen causâ actus clarè & evidenter manet minùs solennis, adeòque sublatâ causâ non admittit præsumptionem solennitatis ex tempore. Lott. *n.* 41. & 42.

3. Respondeo ad tertium: supposito defectu causæ ex lapsu temporis inutiliter præsumitur authoritas Episcopi, seu alterius inferioris Papâ, cum inferior Papâ non possit dismembrare, aut dismembrationem authorizare sine causa, resistente Concilio Turonensi relato in *c. Majorib. de Præb.* Lot. *n.* 43. & licet deficientibus quoque causis supradictis Papa possit adhuc cum dicta dismembratione constituere parochialem; pro inducenda tamen præ-

sumptione authoritatis papalis nullius temporis cursus sufficit, nisi probata ipsius Papæ scientia circa talem dismembrationem. Lott. *n.* 44. citans Menoch. & alios plures. unde quod Barb. *l.* 1. *juris Eccl. c.* 20. *n.* 19. ait, & pro hoc citat quàmplures: Superioris authoritate & consensu ex lapsu temporis præsumi erectam parochialem, quando in illa divina officia sunt celebrata, intelligendum ad summum credo de parochia erectâ absque tali dismembratione.

Quæstio 157. *An, & quæ solennitates aliáque servanda præter dictas causas requirantur ad constitutionem novarum parochialium cum dicta dismembratione?*

1. REspondeo primò: requiri certas solennitates, dum dismembratio & constitutio novæ parochialis fit per Ordinarium (secùs dum fit à Papa, ejusdem authoritate supplente solennitatem. Conrad. *n.* 4.) proceditur namque in tali negotio dismembrationis tanquam in specie formalis alienationis, rigorosè; ideoque requiritur copulativus concursus justæ causæ & solennitatis. Card. de Luc. *de paroch. d.* 35. *n.* 6.

2. Respondeo secundò: ex Conrad. *n.* 5. servanda esse sequentia, ob quæ & similia non servata sæpe hujusmodi erectiones pro invalidis declaratas esse, habet experientia eodem Conrado teste, primò: ut Episcopus inquirat, an dictæ causæ sufficientes hic & nunc verè adsint v. g. an prima Parochialis tam sit ampla, ut tempore hyemali ob inundationes & nives parochiani non possint sine magno incommodo congruis temporibus adire parochiam; nam ut addit Lott. *loc. cit. n.* 33. hujusmodi causæ veritas non debet dependere ex assertione partium vel etiam ipsius Episcopi, aut alterius dismembrationem authorizantis, sed de ea debet positivè constare ex processu desuper facto. de Luca. *de Paroch. d.* 35. *n.* 6. etsi non scrupuloso & juxta juris subtilitatem, sed simplice, ut dicitur *in una Tolet. parochialis. de Madrito* 19. *Novemb. an.* 1601. sufficiet tamen pro verificatione causæ accessus Ordinarii ad locum, illiusque inspectio. ut Lott. *n.* 36. ex Lapo *alleg.* 66. *n.* 7.

3. Secundò: ut hac inquisitione factâ Episcopus consentiat novæ parochialis exstructioni juxta *c. nemo. de consecra. d.* 1.

4. Tertiò: ut exquiratur & præbeatur consensus Rectoris prioris parochialis. Ab. *in cit. c. ad audient.* Card. de Luca. *de paroch. d.* 35. *n.* 6. Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 6. *& seq.* Secùs ac requiritur ejus vocatio & consensus in unione Ecclesiæ. Lott. *ibidem. n.* 7. citans Imol. *n.* 12. Anch. *n.* 5. Gl. *V. vocatus.* & alios *in Clem. si una. de rebus Ecclesiæ non alien.* unde & in literis expeditis super dismembratione à Cancellaria apponitur clausula: *vocatis vocandis*; vi cujus Rectori permissa appellatio, ita ut, si intra decennium datum ad appellandum procedatur ad executionem, ea sit nulla. Lott. *loc. cit. n.* 8. *& 9.* requiritur autem hæc vocatio non tantùm ob ejus interesse; quippe cui grave per talem dismembrationem seu alienationem partis infertur præjudicium. Lott. *ibidem.* cum communi; sed tanquam forma inducta ad rigorem juris observandum in favorem publicum, ne Ecclesiæ depauperentur, ut dicitur *in alia Tolet. parochialis. de Madrito. de* 1. *Febr. an.* 1602. apud Conrad. *loc. cit.* quod tamen postremum negat Lott. *n.* 11. *& 12.* cùm id non dicatur in *cit. c. ad audientiam*; & si id verum, Episcopus etiam cum causa non posset procedere ad dismembrationem Rectore invito. porrò sufficere pro validitate dismembrationis, si superveniat talis consensus, putat Lott. *ibid.* citans Innoc. *in c. dudum de rebus Ecclesiæ non alienandis. in* 6. *n.* 3. ac ita per supervenientem hunc consensum tractatui, si quis prærequiritur, in quo deliberatum, num oporteat fieri dismembrationem ob utilitatem Ecclesiæ, alienatio convalescat propter utilitatem Ecclesiæ ex nunc, non ex tunc. Lott *n.* 14. & 15. citans Gl. *in cit. c. dudum. V. tractatus.* sufficiet etiam hic consensus ex antè, vel ex pòst præbitus, etiamsi scripto expressus non sit; secùs ac contingit in decreto superioris alienationem necessariò præcedente, quod scripturam exigit. Lott. *n.* 13. citans Innoc. non tamen sufficiet hunc consensum esse tacitum & implicitum. Lott. *ibid. n.* 16. citans Glossam *in c. dudum.* & ita decisum à Rota. Denique Rector beneficii, cujus hic consensus requiritur, non est Vicarius, cui solum curæ exercitium commissum, sed penes quem residet cura habitualis. Lott. *n.* 18. *& seq.* Et ubi is est capitulum non sufficit consensus singulorum de Capitulo, sed requiritur consensus capitulariter. Lott. *n.* 21. citans Felin. *in c. cum omnes. de constit. n.* 24. *&* 28. Rotæ *decis.* 344. *p.* 1. *in recent. n.* 6. ubi verò vacaret Ecclesia dismembranda, debet in ordine ad hunc effectum illi deputari ab Episcopo defensor, qui corrumpi nequeat, cujus sit disquirere de legitimitate & veritate causæ. Lott. *n.* 22. citans Gl. *in c. dudum. v. defensore.* De cetero consensus patronorum minimè requiritur, vel curatur. Lott. *num.* 23. citans latè sic decisum à Rota.

5. Quartò: ut curato prioris parochialis compensetur id, quod illi detrahitur, ut commodè valeat in prima Ecclesia habere sustentationem juxta *c. ad audientiam.*

6. Quintò: ut curato prioris Ecclesiæ servetur jus patronatûs, seu jus præsentandi Rectorem novæ Ecclesiæ, idque quasi in recompensationem aliquam; quod tamen intelligendum ait Corr. secundùm Abb. *in cit. c. ad audientiam*; ubi Ecclesia antiqua contulit aliquid de suo pro dote Ecclesiæ noviter erectæ; ac ita acquiritur jus patronatûs Ecclesiæ matrici, ejusque Rectori, non verò hujus Rectoris consanguineis. Lott. *n.* 47.

7. Sextò: ut pro facultate loci competens honor matrici conservetur juxta *c. ad audientiam.* nimirum aliqua pensatio arbitrio Episcopi moderanda, prout etiam ait Conrad. ex Lott. *loc. cit. n.* 46. *& seq.* eidem matrici in signum subjectionis reservari possunt ea, quæ aliàs jure parochiæ in filialem transfunderentur, ut sunt jura sepulturæ, baptizandi.

8. Septimò: ut Rectori novæ Ecclesiæ pro illius sustentatione assignentur oblationes pro modo parochiæ dismembratæ, quo nomine etiam veniant decimæ, ita ut Ecclesia filialis habeat fundatam intentionem super perceptione decimarum contra Matricem, juxta Abb. *in c. cum contingat. de decimis. n.* 8. & plures Rotæ decisiones apud Conrad verùm hoc in defectu aliorũ redituum; dum enim dotata esset sufficienter nova Ecclesia, decimas deberi matrici maximè accedente observantiâ, dicitur *in una Mediolanensi decimarũ.* apud Conrad. cum certum sit, ut idé Conrad. *n.* 6. ipso jure non transferri in novam parochialem. Vide de hoc C. Luc. *de decimis. dis.* 12. *n.* 2. *& seq.* præclarè differentem.

Quæstio

Quæstio 158. *An sicut Episcopus erigere potest novas Ecclesias parochiales à fundamentis, ita etiam Ecclesiam simplicem jam constitutam erigere possit in curatam & parochialem; & econtrà parochialē reducere ad simplicem Ecclesiam, seu beneficium simplex?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: nimirum ob augmentum cultûs divini, aliâque legitimâ causâ subsistente. Corrad. *l.3.c.3.n.12.* Azor. *p.2.l.5.c.29.q.25.* & *c.30.n.3.* Garc. *p.12.c.5.num.3.* Barb. *de potest. Episc. alleg. 68.per totum.* qui quoque omnes asserunt, non obstare declarationem S. Congregationis, quam refert Garc. & inter cætera sic habet: *nec beneficia simplicia in curata converti ab Ordinario possunt.* eò quòd subintelligatur: cessante causâ & necessitate. Porrò parochialis Ecclesiæ erectionis formam vide apud Corr. *l.3.c.2.n.11.*

2. Respondeo ad secundùm negativè: sic enim cavetur expresè per Trid. *sess.25.c.16.* ne beneficia curata in simplicia convertantur, & si parochialis Ecclesia per Episcopum convertatur in simplex beneficium, ipsa conversio sit prorsus nulla, vide Corrad. *loc.cit.n.13.* intelligendúmque hoc ipsum est, ut habet Declaratio S. Congreg. *super cit. c. 16. Trid.* etiamsi fiat conversio in aliqua tantùm parte fructuum parochialis; item ut ne quidem dismembrare possit beneficium curatum, & unire beneficio simplici, etiam ex parte minore fructuum parochiæ, constituendo beneficium simplex, ut habet altera & tertia ejusdem S. Congregat. declaratio; ac denique ut nequidem separare possit ab Ecclesiis parochialibus beneficia simplicia sive oratoria iis unita; etiamsi iis separatis parochiales non egeant; ut habet quarta declaratio. Vide has declarationes apud Corrad. *loc. cit.* & Garc. *part.12.c.2.n.87.* Posse verò Papam reducere parochiales ad simplicia beneficia, præsertim ubi causa aliqua intercedit, dubium non est, & constat experientiâ. Corrad. *loc.cit.n.14.*

Quæstio 159. *Vnde, & quæ constituenda Ecclesiæ noviter erigendæ cum dicta dismembratione dos & congrua pro sustentatione novi Rectoris?*

1. REspondet ad primum Card. Luc. *de decim. d.12.n.8.* cum ad istiusmodi novas erectiones cum tali dismembratione procedi non soleat, nisi cum minimo, quo fieri potest, antiquæ Ecclesiæ præjudicio, adeóque ut patiatur quidem præjudicium illud diminutionis jurisdictionis populi, alterúmque hinc natum diminutionis emolumentorum parochialium; non verò illud diminutionis decimarum, in quo frequenter præcipua parochiarum dos consistit; hinc Ordinarios solere ad istas novas erectiones, quæ sunt cum formali dismembratione procedere; quatenus illa parochianorum pars vel communitas, quæ id petit, & cujus interest istam dismembrationem fieri ob dicta magna incommoda distantiæ accedendi ad antiquam parochiam, congruè dotet novam parochiam; adeò, ut antiquæ dos illud detrimentum saltem in hac parte non patiatur; possuntque, si necesse est, compellere ad hoc parochianos illos Ordinarii, ut dictum suprà. Quibus tamen non obstantibus possunt iidem Ordinarii, præsertim ubi proventus matricis copiosi sunt, & parochianorum pars illa avulsa egentior, ex fructibus quomodocunque ad matricem pertinentibus hanc novæ Ecclesiæ dotem, & novi Rectoris congruam desumere juxta dicta *ibidem.*

2. Respondet ad secundum in genere Azor. *p.2. l.3. c.12.* dotem parochialis Ecclesiæ debere esse tantam, ut ex ea unus presbyter cum altero Clerico ministro commodè sustentari possit, & quando opus sit, uti hospitalitate, juxta *c. 1. de præb. in 6.* & *c. quisquis, de vita & sanctitate Cleric.* Addit C. de Luc. *de paroch. d. 18. n. 2.* juxta mentem Trident. *sess. 7. c. 7.* & constitutionis Pianæ, de qua suprà, majorem esse debere dotem Ecclesiæ parochialis, quam congruam Vicarii cujusdam perpetui in parochiali. Porrò dum beneficii parochialis ab initio congruè dotati dos omninò, vel ex parte interierit, cujus sit redotare illud, vide dicta suprà.

Quæstio 160. *An, & qualiter parochiæ constituendæ habere separatum territorium, & quot familiis constare debeant?*

1. REspondeo ad primum: parochiam quamlibet regulariter loquendo (quod addo ob parochias distinctas tantùm certis familiis, aliàs promiscuè habitantibus) debere habere territorium suum separatum & divisum, in quo non est licitum alteri parochiæ aliquid facere. Barb. *l. 1. juris Ecclesiastici c. 20. n. 15.* & apud illum Tusch. *l.p. conclus. 95. n.7.* & alii.

2. Respondeo ad secundum: ad minus decem familiis constare debet. Barb. *ibid. n. 16.* Et licet Corrad. *l.3.c.5.n.10.* dicat sufficere 10. personas ad constituendam parochiam, id tamen intelligit de parochia semel constituta, quòd ea persistat, modò 10. personæ remaneant; nam in fine ejusdem nùmeri ait paucitatem istam domorum, vel personarum, nempe trium domorum, in quibus sunt Communicantes 15. vel quinque, in quibus sunt Communicantes 20. vix sufficere, ut parochia erigatur, juxta *cap. unic. 10. q. 5.* & Gl. *ibidem.*

Quæstio 161. *An, & qualiter fines parochiarum præscribantur?*

1. REspondeo primò: fines parochiarum (idem est de diœcesibus) dum clarè & manifestè distincti sunt, non præscribuntur. Barb. *loc.cit.n.28.* citans Menoch. *cons.* 147. *n.44.* cùm enim in utilitatem publicam authoritate publicâ sint constituti & distincti juxta *c. 1. d. 80.* & Trid. *sess.14.c.9.* & *sess.24.c.13.* sunt immutabiles, ne aliàs privatâ cujusque præscribentis authoritate sublatis antiquis passim novi constituti tam in jurisdictione, quàm reliquis ad publicam utilitatem spectantibus frequentem & maximam confusionis & incertitudinis pariant occasionem; secùs ac contingit in finibus prædiorum, utpote qui privati tantùm juris privatâ cujusque authoritate constituuntur & mutantur juxta *l. 1. c. finium regundorum.* Unde licet intra fines parochiæ vel diœcesis admittatur præscriptio ad effectum, ut præscribens intra illos obtineat jurisdictionem, vel jura Episcopalia, vel parochialia juxta *c. ad aures. de præscriptione*: fines tamen ipsi præscribi non possunt, ut desinant esse, qui antè erant, vel restringantur, & alii extendantur, & sint, ubi non erant. ita ferè Barb. *ibid.*

2. Respondeo secundò: si tamen fines diœcesium vel parochiarum non sunt certi, præscribuntur 30. annis, intra limites tamen tantùm ejusdem provinciæ. Barb. n. 29. citans Menoch. &c. si tamen Episcopus locum alterius diœcesis convertit

ad fidei Catholicæ unionem, præscribit spatio 3. annorum, nisi intra hunc terminum repetatur juxta *cit. c. 1. de præscriptione.* Barb. *n. 3.* porrò quot modis probentur hi fines, vide apud eundem Barb. fusè *loc. cit. n. 31. & seq.* vide etiam de hoc Card. Luc. *de paroch. d. 32. n. 2.*

Quæstio 162. *An, à quo, & qualiter parochiales inter se uniri possint?*

1. REspondeo ad primum, & secundum: possunt Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ legati, sine tamen præjudicio obtinentium (ita ut unio effectum non sortiatur ante eorum mortem, vel resignationem. Laym. *ad c. 4. de ætate & qual. præfic. n. 4.* & *Theologiæ moral. tr. 2. c. 9. n. 9.*) quarumcunque Ecclesiarum parochialium & baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum inter se; vel non curatorum cum curatis facere uniones propter earum paupertatem, & in ceteris casibus à jure præmissis (super quibus declarationes aliquas refert Zerol. *in praxi Episcopali p. 2. V. unio* etiamsi dictæ Ecclesiæ vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercunque affecta; quæ uniones etiam non possint revocari, nec quoquomodo infringi vigore cujuscunq; provisionis, etiam in causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis. Ita ferè ad verbum Trid. *sess. 21. c. 5.* porrò non comprehendi hoc decreto parochiales, quæ sunt juris patronatûs, habet declaratio S. Congreg. *sup. cit. cap.* Quòd si tamen in casu denegati pro unione consensûs patroni necessitatibus talium parochialium succurri non potest remediis positis *c. 13. sess. 24.* compelli possunt patroni illarum Ecclesiarum ad præstandam congruam sustentationem Rectoris, vel permittendam unionem, ut habet altera ejusdem S. Congreg. declaratio. vide Laym. *loc. cit.*

2. Respondeo ad tertium: ad validitatem unionis talis, dum ea fit per Ordinarium, requiri copulativè solennitatem & causam; siquidem tam suppressio vel unio non secùs ac dismembratio redolent speciem prohibitæ alienationis bonorum ac jurium Ecclesiæ de Luc. *de benef. d. 47. n. 6.* & *de paroch. d. 10. nu. 5.* item ad *Trid. l. pòst citando,* cum hac tamen differentiâ solennitatis, quòd in hujusmodi unionibus & dismembrationibus non requiratur beneplacitum Apostolicum, sicut illud requiritur in vera & formali alienatione bonorũ Ecclesiæ; sed sufficiunt solennitates ad normam antiquioris juris Canonici, nempe consensus capituli, prioris Rectoris, populi aliorúmque interessatorum. C. de Luc. *ad Trid. d. 8. n. 11. & 12.* cùmque juxta generalem regulam alienationum causa consistat in necessitate, vel magnâ utilitate; in præsente quoque generalem regulam, quæ sit causa sufficiens ad istiusmodi uniones, statui non posse; cum pendeat ex facti ac singulorum casuum circumstantiis, ait idem C. de Luc. *loc. cit. n. 13.* Porrò dum unio fit per Papam, authoritas Apostolica supplet consensum patroni, aliásque solennitates, sine quibus Ordinarius, etiam accedente causâ, ad hujusmodi actus procedere nequit. Non tamen authoritas Apostolica supplet causam. C. de Luc. *de benef. d. 47. n. 12.* quòd postremum, credo, intelligit, dum Papa non procedit ex certa scientia; hâc enim scientiâ deficiente corruit unio ex mentis defectu. Lott. *l. 1. q. 28. num. 162.* De cetero namque dum ex certâ scientiâ (nempe præjudicii, quod per hoc patrono vel collatori infertur) etiam absque causa, & cum præjudicio alterius id potest. Lott. *ibid. n. 160* citans Bald. *l. 1. cons. 1. n. 2.* Rotam *decision. 506. p. 2.*

Quæstio 163. *An igitur absolutè, & qualiter requiratur vocatio & consensus patroni & Rectoris ad talem unionem Parochialium inter se?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: cùm enim per unionem Ecclesia minuatur quodammodò capite, ejus defensio in hoc casu competit patrono, cùmque per unionem perdatur patronatus, agitur de ejus præjudicio. Lott. *l. 1. c. 28. n. 167.* citans Zabor. *cons. 96. sub n. 3.* videtur autem Lott. *ibidem* agere in genere de Ecclesiis & beneficiis quibuscunque juris Patronatûs.

2. Respondeo ad alterum affirmativè juxta paulò antè dicta ex C. de Luc, dum autem Lott. *loc. cit. n. 171. & seq.* ait: omnes consentire, vocationem & consensum Rectoris non esse necessarium, cùm nullum ei fiat præjudicium ex eo, quòd de ratione unionis sit, quòd suspendatur ejus executio, donec qui beneficium unitum obtinet, cedat vel decedat juxta *c. consultationibus. de donat.* Calder. *de reb. Eccl. non alien. cons. ult. n. 2.* Vera est ejus doctrina, modò juxta morem aliorum beneficiorum dicta unio parochialium non consequatur suum effectum ante mortem Rectoris.

Quæstio 164. *An & à quo Ecclesia parochialis alteri non parochiali, puta Monasterio, Abbatiæ, Collegiatæ, vel etiam dignitati, Canonicatui, &c. uniri possit?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: sic enim docet praxis & experientia plures parochiales uniri dictis Ecclesiis non parochialibus, & beneficiis non curatis: quod si factum post Trid. referendum est ad authoritatem Apostolicam. de Luc. *ad Trid. d. 8. n. 19.* unde

2. Respondeo ad secundum: tametsi olim cum Capituli consensu posset Episcopus loco alicui alteri pio seu religioso donare jura & reditus Ecclesiarum parochialium cum Patroni consensu juxta *c. pastoralis. de donat.* nunc autem per Trid. *sess. 24. c. 13.* prohibitum esse Episcopis, parochialem Monasterio, Abbatiæ, dignitati, Canonicatui, vel alteri beneficio simplici unire. Laym. *ad c. 2. de suppl. negl. præl. n. 3.*

Quæstio 165. *Quot modis Ecclesia parochialis alteri non parochiali conjungi, & uniri dici possit?*

REspondeo: potissimum tribus: vel enim ita conjungitur alteri, ut ei subjecta sit, & illa altera sit principalis, & tunc sequitur naturam principalis; quippe quod accidit ad alterum, sequitur naturam illius ad quod accidit, si illud sit principale. vel ita conjungitur alteri, ut hæc sit parochiali subjecta tanquam principali & superiori, & jam hæc altera sequitur conditionem parochialis. v. g. ut qui ad eam promovetur, debet fieri intra annum sacerdos: vel denique Parochialis conjungitur alteri non parochiali, ita ut ei subjecta non sit, sed æquè principalis ac illa, ita ferè Azor. *p. 2. l. 6. q. 8.* Verùm non omnes hi modi conjunctionis veram unionem sonant seu continent.

Quæstio

Quæstio 166. *Quotupliciter Monasterium, Collegium vel dignitas jus habere possit in annexam ei parochialem?*

1. REspondeo tripliciter: primò ob merum jus patronatûs, quod variis modis acquiri potest Monasterio, puta, quia vel Ecclesiam ædificavit, dotavit, ejusve ædificationi fundum suum donavit; vel quia hoc jus ei donatum, vel cum rerum universitate. v. g. per emptionem castri aut dominii ad illud transiit; & in hoc sensu loquitur *Clem. 3. cap. 2. de supplenda neglig. præl.* dum ait, quòd Monasterium præter præsentationem Rectoris faciendam Episcopo neque reditus ex parochia recipere, neque jus ullum in Presbyterum sibi usurpare possit. Laym. *ad cit. c. 2. n. 7.*

2. Secundò: ob jus liberè conferendi; etsi enim jus commune refragari videatur; potest tamen jure aliquo singulari Monasterium hoc jus nanciscì. *Clem. unic. c. de suppel. negl. Præl.* cùm jus conferendi neque sit jurisdictionis, neque ordinis Episcopalis. Lott. *l. 2. q. 12. num. 5.* sed neque hoc jus conferendi adhuc incorporationem vel unionem dicit, aut infert, potéstq; esse absque ea de institutione collativa & authorizabili, quando ea competat Monasterio vide utiliter Lott. *l. 2. q. 12.* & *l. 1. q. 33. n. 107.*

3. Tertiò: ob factam incorporationem parochiæ, quæ duplici modo fieri potest Monasterio, Collegio, Canonicatui; imò quoad temporalia tantùm, quales incorporationes, uniones vel potius donationes parochialium ita ut relictâ portione congruâ presbytero, reliqui perventus, vel eorum pars pertineret ad Monasterium facere solebant Episcopi juxta *c. pastoralis. de donat.* Abb. & Innoc. *ibid.* eâ lege, ut Monasterium, Collegium &c. nihil omnino juris seu in presbyterum, seu in curam populi sibi vendicet: & in hoc casu necesse non est, ut præsentatio presbyteri ad Monasterium spectet, dum solùm reditus temporales donati sunt, & non simul etiam jus præsentandi. Laym. *ibid.* Secundò, quòad temporalia & spiritualia simul, in quo casu dicitur fieri propriè unio & incorporatio pleno jure, & parochialis spectare ad Monasterium, eíque subjici jure pleno. Laym. *ibid.* & tunc extinguitur veluti beneficium curatum, ita etiam, ut patronus talis curatæ Ecclesiæ juspatronatûs amittat. Lott. *l. 1. q. 28. n. 165.* factâque unione censeatur esse Rector principalis talis beneficii, qui Collegium, Monasterium, seu is, qui Abbatiam, Canonicatum, cui unitum est beneficium curatum, obtinet, isque præsentare debeat Vicarium. Laym. *ibid. nu. 4.* citans Barb. *de off. Episcopi q. 3. alleg. 72. num. 189.* Garc. *p. 11. c. 2. n. 3.* Quòd si insuper tunc non solùm Monasterium secundùm se, sed & ratione populi exemptum est à jurisdictione Episcopi, ita ut Abbas Monasterii jurisdictionem quasi Episcopalem habeat in populum, possítq; sine ullâ dependentiâ ab Episcopo instituere & destituere Vicarios in dicta Ecclesiâ, hæc dicitur spectare ad Monasterium jure plenissimo. Laym. *ibid.* citans Rodriq. *tom. 1. qq. reg. q. 36. a. 1.* Abb. *in c. 3. de privil. n. 1.* Alvinum *de potestate Episcopi.*

Quæstio 167. *Vnde dignoscendum Ecclesiam verè, vel etiam pleno jure unitam Monasterio, vel alteri collegio aut beneficio?*

1. REspondeo primò: quòd Ecclesiæ parochiales prope Monasterium ædificatæ sint in illius fundo, aut etiam ab eo dotatæ, non arguit eas unitas vel subjectas curæ Monasterii, juxta *c. 2. de suppl. negl. præl.* (ubi Urbanus III. vetans regi tales Ecclesias per monachos. de iis solùm loquitur monachis, qui hoc solo titulo curam sibi deposcebant. Laym. *loc. cit.*) etsi enim qui Ecclesiam pro cura populi Episcopi subjectâ fundat, ædificat vel dotat, jus Patronatûs acquirat; non tamen acquirit curam, aut reditus talis Ecclesiæ, nisi id ultro concessum ab Episcopo; qualiter id olim frequenter concedebatur monasteriis, ædificare in fundo suo, vel dotare Ecclesias eo pacto, ut ipsorum curæ subjectæ essent, atque ita parochiales ab initio seu origine sua regulares per Vicarium Regularem regerentur; quamvis etiam interdum parochiales per propríos seculares Rectores administratæ postèa incorporatæ sint monasteriis pleno jure. Ita ferè Laym. *loc. cit.* pro hoc igitur dignoscendo inspiciendas esse ante omnia literas unionis, & quidnam eò usque observatum fuerit; quia status Ecclesiarum non facilè est immutandus. Laym. *ibid.* dein videndum, num deputetur pro ista Ecclesia à Monasterio Vicarius temporalis, an verò perpetuus nominetur: plus enim juris in Ecclesiam parochialem habet monasterium, si deputatus Vicarius est temporalis, quàm dum is est perpetuus: cùm enim Vicarius temporalis jus nullum seu titulum habeat, omne jus parochiæ est penes principalem seu Monasterium. Laym. *loc. cit. sub n. 10.*

2. Secundò: principaliter inspiciendum, penes quê resideat universitas bonorum ac juriũ Ecclesiæ, illorum præsertim quæ sunt magis propria & peculiaria juris parochialis: si enim ea residet penes eum, cui unio facta prætenditur, penes eum dicitur verè residere jus totum parochiale & cura. C. de Luc. *de par. d. 10. n. 6.* & dum è contra monasterium vel alius consequitur solùm emolumentum aliquod, cùm id referri possit ad pensionem perpetuam, vel ad censum, vel ad quandam patronalem præsentationem in recognitionem Dominii vel protectionis, potiùs arguit jus aliquod patronatûs similisvé servitutis. C. de Luca. *ibid. n. 7.* quàm unionem perfectam seu incorporationem: dum autem constat Ecclesiam esse de jure patronatûs Monasterii, rectè arguitur non esse ei verè unitam; cum jus patronatûs dicatur servitus, quæ non datur respectu Domini in re propria, qualis est Ecclesia; utpote quæ per formalem unionem dicitur effecta nudum prædium alterius Ecclesiæ seu Collegii, cui facta est unio. C. de Luc. *ibid. n. 8.*

3. Tertiò: inter alia signa Ecclesias pleno jure, id est, etiam quòad spiritualia spectare ad Monasterium, numeratur illud ab Alvino *de potest Episc. c. 14. n. 3.* apud Laym. *loc. cit. n. 9.* si Abbates illius teneantur iis suppeditare calicem, missale, altaris paramenta, aliaque hujusmodi, obligentúrque ad conservationem fabricæ totius vel partis Ecclesiæ.

Quæstio 168. *Quid Monasterium, Collegium &c. cui unitur etiam quoad spiritualia, seu pleno jure parochialis, præstare debeat?*

REspondeo primò: debet assignatâ congruâ reditúum portione præsentare idoneum Vicarium ab Episcopo examinandum, & instituendum temporalem, vel perpetuum; regularem, vel sæcularem respectivè ad dicta superiùs circa hoc punctum de Vicariis. vide Laym. *loc. cit. n. 8.* Secundò: debet sarta tecta Ecclesiæ parochialis con-

conservare, idque in defectum redituum, qui pro fabricâ assignati esse solent. Argumento *c. de his. de Eccles. ædif.* Laym. *n.* 9. Tertiò: reparare paramenta altaris. Laym. *ibid.* Quartò: suppeditare calicem, missale, juxta paulò ante dicta; dum enim Monasterium in tali Ecclesia percipit commoda, annuos proventus, etiam onera sustinere debet; neque enim, ut ait *l. unic. de caducis tollendis.* ferendus est, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem eidem annexum contemnit.

Quæstio 169. *Cujus sit unionem factam dissolvere?*

REspondeo: dum unio duarum Ecclesiarum facta est per Ordinarium, cessante causâ depauperationis, ob quam facta erat unio, posse ab Episcopo denuò fieri divisionem; eadem siquidem manus, quæ ligaverat, solvere potest, atque Ecclesias ad primævum statum reducere. C. de Luc. *de paroch. d. 35. n.* 8. De cetero materiam hanc unionis & dismembrationis Ecclesiarum etiam parochialium vide fusius & ex professo tractatam *p. 3. sect. ult. c.* 1. ubi de unione beneficiorum.

Quæstio 170. *Ad quem spectet collatio Ecclesiarum parochialium non unitarum seu incorporatarum Monasterio, Collegio &c.*

REspondeo: tametsi Episcopus in tota diœcesi suâ intentionem fundatam habeat super provisione & collatione Ecclesiarum inferiorum Cathedralium, sicque ab initio statutum. Abbas *in c. cum venissent, de instit. n.* 10. Gl. *in c. quanquam. de elect. in 6.* Staph. *de lit. gratiæ. in prælud. n.* 3. apud Lott. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 2. Originetúrque hoc jus in Episcopo à jure communi juxta *c. cum olim. de præscrip.* Parisius. *de resig. l.* 8. *q.* 9. *n.* 15. Ugol. *de off. Ep. c.* 50. §. 2. *n.* 1. Bellam. *decis.* 69. *n.* 3. Rota *decis.* 381. *n.* 1. *p.* 2. *recent.* apud Lott. *loc. cit. n.* 3 potest nihilominus de jure speciali conferendi beneficia etiam privativè spectare ad alium inferiorem Episcopo. Lott. *loc. cit. n.* 54. *& seq.* quin & nominatim illud jus conferendi beneficia sæcularia, & Ecclesias parochiales sæculares hâc ratione competere potest etiam Monasterio. Lott. *l.* 2. *q.* 12. *num.* 5. etiam absque eo, quòd eæ illi incorporentur juxta dicta superiùs.

Quæstio 171. *An Ecclesiæ parochialis collatio sede Episcopali vacante spectet ad Capitulum, vel saltem ad illud spectet ponere tantisper Ecclesiæ œconomum, aut commendare eam ad tempus?*

1. REspondeo ad primum negativè: tametsi eæ aliis conferri nequeant, quàm magis idoneis ex concursu approbatis. Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 115. testans sic sentire Congregationem in quocunque demùm mense hæ vacent. Corrasius *Tr. de beneficiis p.* 2. *c.* 7. *sub nu.* 4. quem citat & sequitur Lott. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 27. aitque sententiam Corrasii canonizatam à Rota *in una Abulensis Parochialis* 1. *Febr.* 1593. coram Millino contra Rebuff. *in tractatu de nominatione. q.* 8. *n.* 49. docentem in genere, ne diuturna vacatio contingat, posse Capitulum constituere administratorem, qui provideat de beneficiis, quorum collatio est necessaria: quod idem est, ut rectè Lott. *n.* 23. ac affirmare, quòd quæritur. Ratiò responsionis tamen non est, quam affert Corras. quòd nimirum sede vacante in Capitulum non transeant nisi ea, quæ à jure nuncupatim ei permissa, inter quæ non est ista beneficiorum parochialium vel etiam aliorum provisio (per istam enim expressionem aliquorum curatorum non excluditur potestas Capituli circa ea, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ; ea enim omnia generaliter & universaliter lex ipsa, seu jus nominatim transfert in Capitulum. Pavin. *de off. & potest. Capituli sede vac. p.* 1. *q.* 1. *n.* 3. Navar. *de temp. ordin. concil.* 44. *n.* 1. Paris. *de resignatione l.* 7. *q.* 22. *n.* 26. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 4. & alii, quos citat Lott. *n.* 29.) sed ea, quam idem Lott. *num.* 30. *& seq.* affert; nimirum quòd ex una parte collatio beneficiorum non pertineat ad jurisdictionem illam ordinariam Episcopalem, ut dictum aliàs, etiamsi provisio facienda sit ex necessitate, seu sit collationis necessariæ; ex altera verò parte etiam ista collatio ei nominatim permissa non sit; tum etiam, quòd, ubi electa est industria persona Episcopi (uti ea electa censetur à jure, dum ejus judicio remittitur prælectio unius præ alio, qualis contingit in casu provisionis parochialium per concursum) non transit ea potestas ad alium; unde etiam seclusâ reservatione, quâ aliàs beneficia omnia pertinentia ad collationem Episcopi post mortem Episcopi durante sedis Episcopalis vacantiâ reservantur Sedi Apostolicæ; ut fusè Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 50. *& seq.* adhuc Capitulum sede vacante collationem parochialium, in quocunque eæ vacaverint, facere non poterit. Corr. *loc. cit. n.* 51. ex Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 115. attestante sic sentire sacram congregationem.

2. Respondet ad secundum & tertium quoque negativè Lott. *n.* 2. *& seq.* & ex eo Corrad. *loc. cit. n.* 53. eò quòd, licet id posset in terminis juris communis secundùm juris Regulas ad Capitulum sede vacante transeunt omnia jura Episcopalia tam temporalia quàm spiritualia juxta *c. ult. & penult. de suppl. negl. prælat. in* 6. hodiedum tamen *per reg.* 2. *Cancell.* omnia beneficia vacantia sede Episcopali vacante, sint reservata Papæ; ubi autem Papa habet providere ipsi soli seu ministris ejus competit hoc jus custodiæ, ac ideo non videtur permissa Capitulo deputatio œconomi, aut etiam temporaria commenda, quòd collatio tunc non pertineat ad successorem in Episcopatu; ita ille *num.* 40. citans Abb. *in c. bona memoriæ. de appel. n.* 13. *&* 12. id omnium meliùs declarantem; dum autem AA. alii potestatem illam deputandi œconomum, vel ad tempus commendandi parochialem, astruunt Capitulo sede vacante, id ait Lott. procedere cessantibus reservationibus & affectionibus Apostolicis, & nominatim sic intelligendos esse Rebuff. *de nominatione q.* 8. *n.* 50. & *in praxi n.* 77. *&* 8. & Azor. atque ita generalem de beneficiis omnibus, adeóque etiam parochialibus, quorum libera collatio spectat ad Episcopum, docet Laym. *ad c. cum vos. de off. Jud. Ordinarii. n.* 3. quòd licet Capitulum sede vacante ea conferre nequeat, possit tamen interim, dum Rector constituitur, œconomum constituere, sicut & beneficium ad 6. menses commendare, citátque pro hoc Abb. *ad cit. c. cum vos, n.* 2. & seipsum *Theol. Moral. tr.* 4. *c.* 7. *num.* 13.

* * *

Quæstio

Quæstio 172. *Ad quem sede Apostolicâ vacante spectet collatio vacantium parochialium, aliàs eidem sedi reservatarum ex eo, quòd vacent in Curia?*

1. REspondeo primò: posse eas liberè conferri ab Ordinariis. *c. si Apostolica. de præb. in 6.* quod verbotenus recitat Corrad. *loc. cit. n.* 58. ubi etiam additur hæc ratio: ne ipsarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre. Habetur quoque *ibid.* idem esse de iis parochialibus, quæ apud sedem Apostolicam, seu in Curia, vivente adhuc Pontifice, vacant, si de iis per eum ante obitum non fuerit ordinatum: adeó que regula Cancellariæ disponens, quòd beneficia reservata, quæ tempore obitûs Papæ manserunt vacantia & non provisa, censeantur reservata, non habet locum in vacatione parochialium, quæ ante obitum Papæ vacarunt in Curia, & de quibus in vitâ non disposuit, ita Gonz. *loc. cit. n.* 133. *& seq.* sed neque derogatum dispositioni hujus textûs per *c.* 2. *de præb. in 6.* ubi dicitur: *omnia beneficia vacantia in Curia sint Papæ reservata*: aut per ullum textum alium, ut testatur Gonz. *ad reg.* 8. §. 5. *in Proœm. n.* 128. apud Corrad. *loc. cit.* Neque obstat, ut contra obmovet Vasconcell. *de divers. Jur. argum. l.* 1. *c.* 2. apud Garc. *in addit. ad p.* 5. *c.* 1. *num.* 789. quòd beneficia vacantia in mensibus reservatis non possint conferri per Ordinarium; quia sunt affecta; id enim non procedit in parochialibus; cùm hæ vi textûs excipiantur; quin & signanter & expresè hæ excipiuntur in constit. Pauli V. reservantis collationem beneficiorum Ecclesiæ vacantium sede Apostolicâ vacante apud Corrad. *loc. cit.* Neque sufficit quòd de novo fiat lex vel constitutio disponens, quòd quæcunque beneficia vacantia in Curia, etiam curata, sint reservata, ita ut nullo casu liceat Ordinario de iis disponere, nisi specialiter exprimeretur de parochialibus vacantibus in curiâ sede Apostolicâ vacante, ita ut Casus citati *c. si Apostolica.* specialiter comprehendatur. Corrad. *ibid.* Neque denique ut responsum etiam ex mente Pauli V. à Lancellot. tunc Auditore Rotæ, Episcopus mox conferens talem parochialem, etiam in Curia vacantem, contravenit Tridentino statuenti, Episcopum debere statim habitâ notitiâ vacationis Ecclesiæ parochialis idoneum in ea constituere Vicarium, donec ei de Rectore provideatur; cùm non disponat hoc modo contra Concilium, sed solùm utitur jure suo, & sic nemini facit injuriam. Gonzal. *ad reg.* 8. §. 1. *Proœm. n.* 42. Pariſ. *l.* 3. *q.* 18. *n.* 4. ac præcipuè Mareschot. *variar. resol. l.* 2. *c.* 95. *n.* 7. apud Corrad. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: pari modo posse in dicto casu parochiales etiam à quolibet inferiore collatore, dum aliàs ad eum spectat earum collatio, conferri; modò fiat collatio sive ab Episcopo, sive alio inferiore intra 6. menses, & examine prævio juxta præscriptum Trid. *sess.* 24. *n.* 18. Mareschot. *loc. cit.* Massob. *in praxi habendi concursum. requisito.* 7. *dub.* 43. apud Corrad. *in fine num.* 58. insuper requiritur, ut collatio sive ab Ordinario, sive ab alio inferiore facienda fiat sede Papali adhuc vacante ante diem creationis novi Pontificis. C. de Luc. *de benef. d.* 25. *n.* 4.

3. Respondeo tertiò: contrarium dicendum de aliis Ecclesiis curatis nõ parochialibus. Corr. *n.* 59. citans Franc. *in cit. c. si Apostolica n.* 1. Itê de Ecclesiis parochialibus collegiatis, & de Ecclesiis habitu tantùm, & non actu parochialibus; in his enim cessat ratio expressa in *cit. c. si Apostolica*; nimirum ne ipsarum vacatio diuturna creet periculum animabus; nec non quia dicta constitutio est correctiva, & propterea strictæ interpretationis. Franc. *loc. cit. n.* 2. Item de parochialibus unitis dignitati alicui, sive cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ: dum enim hæc unio facta est accessoriè tali dignitati, accessoriumque reguletur secundùm suum principale, eadem in hoc casu habetur ratio talis parochialis, quæ ipsius dignitatis, cui unita; adeoque cùm prima dignitas collegiatarum & cathedralium per *regulam* 4. *cancellariæ* sint & remaneant reservatæ seu affectæ, etiam mortuo Papâ, per futurum summum Pontificem providendæ; idem dicendum de parochialibus iis accessoriè unitis. Corrad. *loc. cit.* Verùm hæc tertia responsio procedit in casu, quo istiusmodi Ecclesiæ vacant in Curia, & hinc præcisè reservatæ sunt: dum enim sede vacante vacant extra Curiã, etsi reservatæ aliàs ob reservationem mensium non secùs ac alia beneficia conferri poterunt ab Ordinariis, juxta dicta *ad q. præcedentem.*

Quæstio 173. *Incidenter utiliter, tum etiam in ordine ad dicenda* part. seq. *quid intelligatur per Curiam Romanam & Sedem Apostolicam, in qua, vel apud quam vacare dicuntur beneficia.*

1. REspondeo cum Lott. *l.* 2. *q.* 27. primó: valdè diversa esse Urbem Romanam, & Curiam Romanam; ista enim continentibus ædificiis finitur *l.* 2. *de verbo signif.* hæc motu locali ita est circumferibilis, ut ibi esse intelligatur unà cum Apostolorum liminibus, ubi est Papa. Lott. *loc. cit. num.* 1. *&* 2. citans Gonz. *ad reg. de mensibus. gl.* 13. §. 1. *n.* 2. Mandos. *ad reg.* 5. *Cancel. q.* 2. *n.* 2. & apud hunc Abb. & Innoc. *in c. ego N. de jure jurando.* Baldus verò in Rub. ff. *de rerum divis. in* 26. dicens: Romam esse, ubi Papa est, etiamsi esset inclusus in aliquo tuguriolo; Romam pro Romana Curia quasi per metonymiam accipit. Lott. *ibid.* atque ita de hac ipsâ transferibili Curia, & non de alia, intelligitur prærogativa illa, quòd quivis conventus apud illam, teneatur adversariis suis respondere juxta *c. ult. de foro comp.* ita ut privilegium illud minimè competat urbi Romanæ absente ab ea cum sua Curia pontifice. Lott. *num.* 3. citans Barb.

2. Respondeo secundò: non tamen ibi esse Curiam Romanam, ubi est Papa cum solis suis domesticis, vel etiam Officialibus, cúmque ipsa contradictarum audientia, ut Vitalin. *in Clem. ne Romani. de elect. n.* 2. *&* 3. sed ubi est cum sacro Cardinalium senatu, atque ita cum ipsa sede in tota majestate sua repræsentata. Lott. *n.* 8. *&* 9. sicque sumitur Curia non pro ipso loco, in quo senatus cogitur, sed pro ipso senatu, cujus quia princeps est membrum nobilius seu caput juxta *l. jus senatorum. c. de dignit.* is in eo, seu in Curia sumpta pro senatu, & non alibi, dicitur habere sedem suam regiam. Lott. *n.* 6. & absque eo senatus esse non potest; quemadmodum dum Cardinales in unum coëunt ob defectum personæ principis, nempe Papæ, Congregationem simplicem, non verò dicuntur habere senatum, seu consistorium. Lott. *n.* 7. citans Paleot. *de sacro consist. consult. p.* 5. *q.* 3. Hinc

3. Respondeo tertiò: Curiam Romanam separati

rari quidem posse ab urbe Romana, non tamen ab ipsa sede Apostolica, neque sedem ab ipsa Curiâ, ita ut sicut Curia Romana ibi censetur esse, ubi est sedes, ita sedes dicatur esse, ubi est Curia, & pro curia Romana sæpe ponatur sedes Apostolica. Lott. *n.* 10. citans Gemin. *in c. præsenti. de præb. in 6. n.* 4. Jo. And. *in c.* 2. *tit. eod. in 6.* Gl. *in caput statutum. de præb. in 6. notab.* 2. atque ita malè à Barb. reprehendi Covar. dum *in pract. qq. q.* 4. *n.* 10. censuit sedem Apostolicam non intelligi, ubi est Papa simpliciter, sed ubi est Papa cum suis consiliariis, id est, cum sacro senatu. Lott. *n.* 11. hinc infero, &

4. Respondeo quartò: idem esse vacare in Curia, & vacare apud sedem; seu eandem esse vacationem in curia, quæ apud sedem. Lott. *n.* 14. cit. Gl. *in c. statutum. notab.* 1. Simonet. *de reservat. q.* 30. *n.* 2. Mandos. *ad reg.* 5. *q.* 1. *n.* 16. contra Gomes. *ad reg. de triennal. q.* 31. Covarr. *in pract. q.* 36. (etsi is *ibidem* quoque dicat contrarium esse opinionem communiorem) Gonz. *loc. cit. n.* 49. & Rotam *in una Cordub. Capellaniæ.* 25. *Octobr.* 1596. quos citat Lott. *n.* 15. & quibus adhæret Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 16. *n.* 2. sentientes omnem vacationem apud sedem dici vacationem in Curia, sed non contra. Sic namque etiam *c.* 2. *de præb. in 6.* textus eandem, quam priùs dixerat vacationem apud sedem, postmodum vocat vacationem in Curia, ut etiam observat Jo. Andr. *loc. cit.* apud Lott. *n.* 17. Minus autem rectè dicitur ab adversariis, eam solam vacationem, quæ contingit per obitum in Curia, vel in alio loco intra duas diætas (intellige legales, quarum una continet 20. leucas, ut Gl. *in c. præsenti. de præb. in 6.* seu 20. milliaria juxta *l. vicena millia. ff. si quis cautionib.* Castrop. *loc. cit.*) dici propriè vacationem apud sedem; omnem autem aliam vacationem in Curia, quæ non fit per obitum, impropriè dici vacationem apud sedem. Ex eo namque non diversificantur hæc duo: vacare in curia, & vacare apud sedem; sed solùm diversificantur ipsæ vacationes, seu modi vacandi in curia, nempe per obitum & aliter, tendentes ad diversimodas reservationes. Lott. *n.* 18. sed & minùs bene opponitur: sede Apostolicâ vacante esse adhuc existentiam ipsius sedis, & consequenter vacationem apud illam, & tamen non dari Curiam deficiente personâ principis: nam mortuo Papa non moritur, vel extinguitur jus principis, sed illud remanet vivum, nempe quòad radicem in sacro senatu; quòad authoritatem verò in ipso Christo. Lott. *n.* 21. & 22. Minús etiam bene opponitur, sedem ab Urbe moveri non posse, ut ipse Lott. dixerat *p.* 1. *q. ult.* & tamen moveri posse ab Urbe Curiam. Sedes namque Apostolica alia est spiritualis & immobilis, de qua intelligitur, quòd creditur sedem Romanam seu Ecclesiam Romanam esse Ecclesiarum omnium magistram: alia visibilis & transferibilis, nimirum sedes & thronus Principis, quem is in senatu, tanquam ejus caput habet, secundùm dicta ad initium hujus q. Lott. *n.* 24. apud quem numeris sequentibus fusè tractatum vide, an ex qualibet vacatione in Curia, vel apud sedem emergat reservatio; & num, & qualiter omnis reservatio emergens ex vacatione in Curia, vel apud sedem dicatur clausa in corpore juris, de quo nos infra *p.* 3.

Quæstio 174. *Ad quem sede Papali vacante spectet collatio parochialium reservatorum aliàs Papæ ex eo, quòd vacent in mense Pontificio?*

1. Respondeo primò: per concordata Germaniæ ibidem Episcopi, aliíque Collatores provident de beneficiis omnibus, quæ sede Papali vacante vacare contigerit, & ad eorum aliàs collationem propriè spectant. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 347. citans Chockier *in reg.* 2. *Cancellariæ n.* 9.

2. Respondeo secundò: vacante sede Papali etiam absolutè & ubique cessare omnem reservationem mensium, ita ut Episcopi (idem est de aliis collatoribus) possint liberè conferre omnia beneficia vacantia in omnibus mensibus, idque donec novus Pontifex fuerit electus, isque regulas Cancellariæ denuò publicârit, quod facere solet postridie suæ electionis. Pirrh. *ibid. n.* 354. citans Chockier, *in reg.* 8. *n.* 18. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 643. His consentit Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 57. ubi ait provisionem factam ab Ordinario de beneficiis sede Apostolicâ vacante in quolibet mense vacantibus validam esse, nisi ipsa beneficia sint aliàs affecta, & *num.* 58. ubi expresè: parochiales Ecclesiæ in mensibus reservatis vacantes sede Papali vacante validè conferri possunt per Ordinarium, testaturq; pluribus exemplis (utpote quæ sunt de parochiis etiâ extra Curiam vacantibus in mense Pontificio, & huic aliàs tantùm reservatis) passim sic practicari approbante Datariâ Apostolicâ, & variorum Pontificum Auditoribus; quin & ipso Clem. VIII. etsi fortè ad hoc malè applicet textum *c. si Apostolica. de præb. in 6.* utpote qui non loquitur, nisi de parochiis vacantibus in Curia, & vel hinc unicè aliàs in quocunque mense vacent reservatis, adeóque tantùm liberat ab hac reservatione, quæ resultat ob vacationem in Curia. de Luc. *de benef. d.* 24. *n.* 5. citans Barb. *in collectan. ad c. si Apostolica. in fine.* Gasp. de Perusio *de reserv. q.* 5. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 103. contra Zerol. *in praxi p.* 1. *V. beneficium.* §. 3. Gonz. *ad reg.* 8. §. 5. *pröem. n.* 137. Pax Jord. *de benef. l.* 10. *tit.* 2. *n.* 57. (quibus reipsa consentire videtur Corrad. *loc. cit.* ut patet ex exemplis ab eo adductis) credentes dictam decretalem intelligendam generaliter & indefinitè in quibuscunque parochialium vacationibus, sive in Curia sive extra curiam, sive sede Papali vacante, sive plenâ vacent; sive reservatæ ob mensem Pontificium, in quo vacant, sive ob vacationem in curia, sive ob aliam affectionem: unde etiam negat de Luc. in genere beneficium (adeóque & parochiale) quod vacavit in mense Papali, Pontifice adhuc vivente mansit improvisum, ob mortem Papæ supervenientem, posse per Ordinarium conferri eadem sede adhuc vacante (secùs si vacare cœpisset in mense pontificio Pontifice mortuo, seu sede vacante) eò quòd beneficium semel reservatum vel affectum sit & maneat tale eâdem sedis vacatione durante, ita ut Ordinarius in ejus provisione se ingerere nequeat; quamvis per mortem Papæ exspirent regulæ Cancellariæ reservatoriæ, quibus fuerat reservatum, citátque pro hoc Anchar. *cons.* 138. *n.* 3. Gemin. *cons. q.* 3. *n.* 16. Gonz. *cit.* §. 5. *pröem. n.* 85. Rotam *decis.* 12. *de præbendis in novis.*

Quæstio 175. *Quæ sit praxis impetrandi parochialem reservatam Pontifici, seu cujus collatio spectet ad Pontificem, qui de ea providet Oratori præviâ Ordinarii attestatione*

tione de illius idoneitate, cujus attestati formulas vide apud Corrad. l. 3. c. 5. n. 1.

1. REspondeo primò: dum verè parochialis est habitu & actu, id exprimendum in supplica (cujus pariter vide formulam *ibid.*) dicendo: *cùm Ecclesia Parochialis* (neque enim idem erit dicere: *cùm Ecclesia curata*; quia etsi omnis parochialis sit curata, non tamen omnis curata est parochialis, juxta dicta suprà) absque expressione tamen qualitatis curæ, cùm qualitas parochialis necessariò implicet curam (quamvis dum cura animarum exercetur per parochum in Cathedrali, quæ simul parochialis est, necessariò dicendum sit; *cùm beneficium cathedralis Ecclesiæ. N. quæ etiam parochialis existit &c.*) sicque habere stylum Datariæ & Cancellariæ, testatur Corrad. *loc. cit. n.* 4. atque ita etiam in quibuscúnque impetrationibus beneficiorum, quibus cura animarum incumbit, hujus curæ incumbentis necessariò faciendam esse mentionem, cautum est *regula* 57. *Cancell.* juxta expressum textum *c. cum illis, de præb. in* 6. secùs tamen, ubi est cura tantùm jurisdictionalis; non enim tunc vitiatur impetratio per non expressionem illius. v. g. si impetretur Archidiaconatus, non expressâ ab oratore curâ fori contentiosi; cùm eam de jure habeat, & quod de jure certum est, expressione non egeat. *c.* 1. & *c. ad hæc. de offi. Archid.* Felin. *in c. super literis. de rescript. n.* 8. apud Corrad. *loc. cit.*

2. Secundò: dum Ecclesia est solùm habitu parochialis, non est opus in ejus impetratione facere mentionem de curâ (utpote quam quis propriè habere dicitur secundum Abb. *in cap. dudum. de elect. notab.* 6. & Decium, *in c. ad aures. de rescrip. n.* 6. ad quem pro administratione Sacramentorum parochiani coguntur accedere, & ipse ea ex necessitate administrare; qualis non est, ubi Ecclesia Parochianis destituitur) Corr. *loc. cit. n.* 6. & 7. citans Felin. *in c. postulâsti. de rescrip. nu.* 1. habentur enim & regulantur istiusmodi parochiales juxta hodiernam Datariæ, Cancellariæ & Rotæ praxin, ut beneficia simplicia teste Corrad. *num.* 6. unde & compatibiles sunt cum aliis beneficiis personalem residentiam requirentibus, vel etiam cum aliis curatis habitu & actu simul. Corrad. *n.* 7. citans Gl. *in c. licet, de elect. in* 6. Bursat. *cons.* 152. Marcum. Anton. *variarum resol. l.* 1. *resol.* 53. *n.* 4. Hojed. *de incompat. benef. p.* 7. *c.* 13. *n.* 58. & in similibus ex mente Cancellariæ locum non habet *c. de multa. c. in cunctis. c. sicut canon. de electione.* de quibus vide Corr. *n.* 8. Neque in iis locum habet decretum Trid. *sess.* 24. *c.* 12. quo præcipitur, ut provisi de quocunque beneficio habente curam animarum intra 2. menses à die adeptæ possessionis emittant professionem fidei, & jurent in manibus Episcopi, se mansuros in obedientia Romanæ Ecclesiæ; id enim intelligitur tantùm de cura actuali. Corrad. *sub n.* 9. Quin etiam gratia non est obreptitia, si in supplica narratum fuit Ecclesiam esse sine cura. Felin. *loc. cit.* apud Corrad. *n.* 7. maximè, cùm per annos plures caruit parochianis, & verisimiliter nulla spes est, ut Ecclesia talis parochialis ad actum revocetur. Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 111. apud Corrad. *loc. cit.* (in quo casu locum non habet declaratio Gregorii XIII. declarantis Parochialem tantùm habitu habentem curam comprehendi verbis *c. de multa. de præb.* sed solùm in casu, ubi probabilis spes est recuperationis actûs, Garc. *loc. cit. num.* 121. apud Corrad. *num.* 9.) & multò maximè, si lapsi essent anni 40. sine parochianis; tunc enim status beneficii esset immutatus, & beneficium erit simplex juxta *c. cum beneficio. de præb. in* 6. Patis. *de resig. l.* 10. *q.* 2. *n.* 87. apud Corrad. *sub n.* 9. Imò in hoc casu dici potest: *cùm simplex beneficium*; & absque eo, quòd necesse sit dicere: *parochialis habitu, & non actu*, quamvis tamen & in hoc casu contrarium requirant Dataria & Cancellaria teste Corrad. *sub nu.* 9. nimirum in supplicâ Papæ porrigendâ debere exprimi, quòd Ecclesia sit parochialis habitu, & non actu; licet enim habeatur tanquam simplex, non tamen secundùm Datariam Apostolicam amittit nomen parochialis. Gonz. *gl.* 6. *nu.* 89. & licet nunc sit beneficium simplex, potest tamen dari recuperatio actûs, si revertantur parochiani; in quo casu tenebitur ejus Rector mox promoveri. Corrad. *n.* 9. cùm per reditum parochianorum ipsa Ecclesia recuperet statum suum pristinum quasi jure postliminis. Maresch. *variar. resol. l.* 2. *c.* 95. *num.* 2. nisi interim Ordinarius illi subtraxerit limites, eosdem alteri parochiæ attribuendo. Corrad. *ibid.* citans Host. *in c. quia nonnulli. de clericis non resid.* & Lott. *l.* 1. *q.* 20. *num.* 153. unde in supplica dici non poterit: *cùm perpetuum simplex beneficium*; sed dici debet: *cùm parochialis Ecclesia habitu, non tamen actu.*

3. Tertiò: si spes est probabilis, Ecclesiam talem recuperaturam actum per reversionem parochianorum (v. g. in casu, ubi causa recessûs parochianorum fuit incursus latronum; quia adhibito huic malo per superiores remedio, probabile est, parochianos in patriam & locum suum redituros) & facta non fuit mentio curæ in supplicâ, gratia est subreptitia. Corrad. *sub n.* 9. testans sic resolutum *in una Firmianâ parochialis.* 16. *Decemb.* 1558. multóque magis, si narratum fuit, esse beneficium sine cura. Corrad. *ibid.* citans Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 112. Rebuff. &c. Felin. *in c. postulâsti.* Card. &c. sed & Dataria & Cancellaria ob spem reductionis de habitu ad actum nunquam dispensat ad unum curatum habitu, & alterum actu. Corrad. *ibid.* Porrò hic dicta de Ecclesiæ qualitate & statu narrando in supplica juxta adhibitas distinctiones locum quoque habent circa similes Ecclesias jam obtentas, nimirum in Ordine ad impetrandum aliud beneficium habendum unà cum illis. Corrad. *sub n.* 9.

4. Respondeo secundò: exprimendum quoque in supplica nomen sancti, sub cujus invocatione est parochia, sicut etiam servatur de quocunque alio beneficio, nisi illud curatum esset intus Ecclesiam Cathedralem; nimirum dum incumberet cura ipsi cathedrali; tunc enim necessaria non est ista expressio nominis sancti invocationis ipsius Cathedralis simul parochialis; uti etiam id necesse non est, quando parochialis in aliquo loco est unica: tunc enim sufficit dicere: *cùm parochialis Ecclesia loci seu oppidi N.* ac ita, etiamsi ipsa parochialis fuerit matrix illius loci. Corrad. *loc. cit. num.* 15.

5. Respondeo tertiò: exprimendum quoque modum Vacationis, ut si vacaverit per obitum; sed quia hoc commune omni beneficio, hac de re alibi. Vide tantisper (qualiter nimirum idipsum exprimendum) apud Corr. *num.* 16. *& seq.*

* * *

Quæstio

Quæstio 176. *Sub qua formula impetretur à sede Apostolica parochialis vacans, ob non servatam formam in ejus provisione præscriptam servari à Trid. & Pio V.*

REspondeo: Etsi non prohibeatur, quin & consultius fortè sit; non tamen opus est in supplicatione Papæ porrigendâ exprimere distinctè ac præcisè causam, propter quam, vel in quo forma dicta servata non fuerit, sed sufficit Pontificem in genere intellexisse istius formæ non observantiam, ut usus Datariæ habet. Corrad. *loc. cit.* quin etiam *n.* 28. exhibet istiusmodi supplicæ formulare. Requiritur tamen postmodùm coram judice Executore verificare defectum prædictæ formæ, qui primo & ad amussim erit verificandus per impetrantem. Corrad. *cit. num.* 28. citans pro hac re decis. plures rotæ. Anchar. *cons.* 254. *n.* 3. Innoc. *in c. super his. de accus.* & alios cit. à Paris. *de resign. l.* 11. *q.* 14. *num.* 9.

Quæstio 177. *Num Ecclesiæ parochiali non unitæ constitui possit Parochus amovibiliter?*

REspondeo negativè, etiam non obstante consuetudine quâcunque contrariâ. Corrad. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 39. citans Gonz. *gl.* 5. §. 6. *n.* 60. & ab hoc relatam S. Congreg. declarationem *ad cit. c* 18. *Trid. sess.* 24. ubi sic declaratum fuit in præsentatione communitatis alicujus, allegantis consuetudinem amovendi Rectorem; testaturq; ipse Corrad. *n.* 41. à Cardinal. conc. Trid. interpretibus sic responsum Cardinali Caraffæ Archi Episc. Neapolit. 11. Aug. 1618. ut in parochiali Ecclesia S. Petri & Pauli nationis Græcorum ab ejusdem nationis hominibus nominetur parochus ad eorum nutum amovibilis, nullatenus ab Amplitudine Vestra illustriss. est permittendum, &c. Quin etiam videtur id verum, non obstante fundatione fundatoris laici sic statuentis; Nam in hoc, quòd fundator non possit constituere, ut Rector præsentetur amovibilis ad nutum Patroni, teste Gonz. *loc. cit. n.* 6. inclinavit Rota *in una Toletana juris nominandi, de* 29. *Novembr.* 1585. *coram Blanchetto*; in parochialibus enim Ecclesiis difficile admitti consuevit (vel etiam, ut ait Corrad. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 1. non debet admitti) manualitas; eò quòd sicut matrimonium carnale ad tempus non contrahitur, ita nec spirituale. Corrad. *loc. cit. n.* 36. & 39. Nihilominùs etsi de jure communi status beneficii curati sit status perpetuitatis, non manualitatis; ut Ægid. *decis.* 203. Abb. *in c. constitutus. de elect. n.* 2. apud Corr. *n.* 41. posse tamen hunc statũ mutari 40. annis completis cum possessione, & statu manualitatis, insinuat Corrad. *ibid.* citans *c. cum de beneficio. de præb. in* 6. Franc. Gemin. prob. *ibidem.* Porrò qualiter parochiæ unitæ Monasteriõ, Collegio, alterive beneficio provideri possint per Vicarios non perpetuos, vide *suprà c.* 2. *q.* 26 item C. de Luc. *ad Trid. d.* 9. *n.* 1.

Quæstio 178. *Num parochialis vacans, donec de illius Rectore provideatur, hodiedum adhuc possit interim ab Ordinario alicui dari in Commendam, nempe usque ad* 6. *menses, juxta* c. nemo deinceps. de elect. in 6. c. commissa. eod. tit. & c. quanto. de divortio, *in quibus duobus posterioribus cap. dicitur, quòd Episcopus non possit commendam talem factam ad* 6. *menses prorogare iterum ad alios* 6. *menses, ne inde fiat fraus?*

REspondeo negativè: supra dicta enim jura hodiedum correcta sunt per Trid. ut ipsa S. Congregatio declaravit his verbis: *commendæ, quæ ad* 6. *menses in Ecclesiis curatis fieri poterant ab Ordinariis* juxta *c. nemo. de elect. in* 6. *amplius post Trid. locum non habent, cum debeat in iis deputari Vicarius ad formam c.* 18. *sess.* 24. Corr. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 20. Garc. *p.* 4. *c.* 4. *n.* 15. quin & specialiter non poterit Parochialis dari in commendam illi, qui per examen magis idoneus judicatus fuerit & electus; interim, dum is bullas à Papa obtineat, uti nec is constitui potest tantisper in ea Vicarius; siquidem habitâ notitiâ vacantis Parochiæ mox debet in ea constitui Vicarius, adeòque non exspectandum tempus, quo dignior nominetur isti Ecclesiæ præficiendus. Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 21. & 22. citans pro hoc declarationem apertam Cardinal. de anno 1593. ad Episcop. Placent. quam se in forma authentica vidisse testatur.

Quæstio 179. *Quæ sit forma provisionis Ecclesiarum parochialium non unitarum monasterio, Collegio, &c.*

REspondeo, hanc formam fuse præscribi à Trident. *sess.* 24. *c.* 18. quam dein ampliavit, seu magis declaravit Pius V. *constit.* 47. sub decreto annullativo provisionis, ubi dicta forma servata non est. Hujus formæ compendiosam expositionem & elucidationẽ dat C. de Luc. *de Paroch. d.* 37. *per totum*, qui eam amicorum suorum alicui provisò de Episcopatu instructionis loco submisit, dictorumque ibi breve compendium repetit ad Trid. *d.* 32. *n.* 2. his ferè verbis: Forma igitur est, ut secutâ vacatione in quocunque demum mense sive Papali & reservato, sive Ordinario nullâ habitâ temporis distinctione, vel etiam ratione præsentis; vel non præsentis; realis vel personalis affectionis alicujus Apostolicæ illicò Ordinarius aut ejus Vicarius generalis Vicarium provisionalem, qui sacramenta ministret, aliásque functiones parochiales peragat, donec provisio sequatur, cum honesta congrua constituat. Dein quando Episcopo opportunum videbitur infra 6. vel respectivè 4. menses concursum indicat mediante affixo in Ecclesia parochiali, aliisque locis consuetis desuper edicto, in quo statuto termino decem dierum (aut plurium, modò non excedatur terminus dierum 20. prohibetur enim Episcopus in constit. Pii V. terminum ultra alios 10. dies prorogare) invitentur pro certo loco, die, horâ concurrere volentes ad subeundum examen coram Ordinario aut ejus Vicario, ab Examinatoribus synodalibus, hoc est, in ultima diœcesana synodo (intellige verâ & formali; quæ est Congregatio legitima, quam facit Episcopus cum Clericis sibi subjectis in sua diœcesi, ad tractandum de his, quæ curæ parochiali incumbunt, & spectant ad reformationem, & bonum regimen Episcopatûs. Henr. Bottæus *de Synodo Episc. p.* 1. *n.* 3. & 5. apud Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 6. non verò ea, quæ fortè ad hunc solùm effectum nominandi examinatores synodales fuisset congregata. Garc. *ibid. n.* 68.) ad hoc deputatis (ex quorum numero ad examinandum pro concursu ab Episcopo seligi & designari non possunt pauciores quàm tres) absque mixtura seu interventu aliorum non synodalium, hoc est, unà examinantium ferentiumque votum deci-

decisivum super approbatione, vel reprobatione examinatorum, ita ut sic formaliter interveniente, vel uno non synodali (secus est de interveniente solùm materialiter, verbi gratia, pro assistentia Episcopi absque examine, & qualiter frequens praxis docet, quod ipso Episcopo præsidente, interveniat quoque ejus Vicarius generalis, ac etiam Cancellarius, aliique officiales vel familiares; quin & interventum hunc, nam dum ab iis ad majorem aliquam Episcopi satisfactionem fiunt interrogationes aliquæ examinandis, & peracto quoque examine eorum judicium in forma discursiva, vel consultiva profertur, prodesse potiùs experientiâ suâ testatur de Luca *ad Trid. d. 32. n. 13.* ad occurrendum nimirū aliquando collusionibus & machinationibus examinatorum etiam hi audeant tam facilè reprobare, quos constat se bene gessisse) vitietur actus, vide & hoc punctum fusè roboratum à Corr. *l. 3. c. 3. à n. 32.* Habito examine super literatura (cujus examinis varius est stylus pro examinatorum arbitrio, laudabiliorem & frequentiorem Card. de Luc. *de paroch. d. 32. n. 18.* dicit illum, ut singuli separati interrogentur super iisdem) & inquisitione ac ponderatione super vita, moribus, prudentiâ, aliisque muneri parochiali congruis referendum Episcopo, quos dignos seu idoneos approbent, quos indignos reprobent, ut ex iis, qui cum majore suffragiorum parte inter candidatos seu approbatos fuerint adscripti, Episcopus illum præeligat, quem magis idoneum credit; ac demum ubi ad ejus liberam provisionem collatio spectat, faciat illam præelecto; ubi verò spectat ad Papā ex reservationis alteriusvè affectionis causâ, testimoniales literas det præelecto ad obtinendam in vi earum provisionem Apostolicam; vel etiam, ubi provisio ad alium inferiorem spectat, similes literas ad hunc directas concedat præelecto, ita ut provisio ad dictum præelectum restringatur. Ita ferè citatus C. de Luca. Advertit circa hæc Less. *l. 2. c. 34. n. 85.* multa ex his passim non esse recepta; quamvis meritò omnia recipi deberent, unde ibi irritæ non sunt collationes, non factæ secundùm hanc formam. Advertendum etiam est ad ipsa postrema verba *cit. c. 18. Trident.* licebit etiam synodo provinciali, si quæ in suprà dictis circa examinis formam addenda, remittendáque esse censuerint, providere. Atque cùm ex his constet provisionis parochialium formam consistere, potissimùm in concursu ritè instituendo pro majore dictorum elucidatione.

Quæstio 180. *An nominatio & vocatio plurium ad examen sit de forma concursûs, ita ut si de uno tantum facta sit quantumcunque idoneo, concursus sit nullus?*

Respondeo affirmativè: requiri enim pluralitatem pro forma, satis indicant verba illius Concilii: Idoneos Clericos nominet. Lott. *loc. cit. n. 52.* ubicunque autem pluralitas pro forma requiritur, nunquam resolvitur in singularitatem; juxta Tiraq. *ad l. si unquam, l. de revocat. donat. num. 252.* & Bald. *l. 5. consil. 403. n. 3.* unde etiam ut Lott. *n. 56.* si ex pluribus oppositoribus unus tantùm fuerit examinatus, & approbatus, concursus redditur suspectus juxta decis. 1148. *n. 5.* apud Seraph. Porrò si plures se opposuerint & descripti sint, omnes debere examinari, vel saltem ad examen singulariter vocari, ait Lott. *n. 54.* eò quòd ubi est certus, vel certi oppositores, non sufficit vocatio per edictum, sed exigitur singularis vocatio.

Quæstio 181. *An necessarium, & de forma per edictum publicum fieri vocationem omnium, quotquot examinari volunt?*

Respondeo: hanc vocationem per edictum publicum esse in arbitrio Episcopi aut synodi provincialis pro more regionis. Lott. *l. 2. q. 31. n. 46. & 47.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 36. & seq.* contra Zerol. *in praxi Ep. p. 1. V. parochia. §. 2. d. 2.* & Zechum *de rep. Eccl. c. 28. de paroch. num. 6.* putantes edictum publicum esse de forma ex constit. Pii V. cùm tamen dicat Conc. *cit. c. 18.* expressè: Episcopus verò, qui jus patronatûs habet, intra 10. dies vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquos Clericos coram deputandis examinatoribus nominet: liberum tamen sit etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre &c. Et dein subditur: etsi Episcopo aut synodo provinciali videbitur magis expedire per edictum publicum vocentur, qui volunt examinari, &c. Unde jam liberum est Episcopo absque tali edicto nominatos à se vel ab aliis delatos singulatim vocare; & hæc est vis dictæ clausulæ: si videbitur. Menoch. *de arbit. l. 1. q. 8. n. 2.* porrò, si synodus provincialis ita statuit, servandum est, & vocatio facienda per edictum publicum. Garc. *n. 36.* & sic habet declaratio S. Congreg. apud illum *ibidem n. 37.*

Quæstio 182. *Quinam in specie ad concursum admittendi, aut ab eo excludendi?*

1. Respondeo primò: Episcopus admittere nequit ad concursum habendum pro parochialibus vacantibus per resignationem factam in manibus suis, consanguineos, affines vel familiares, tam suos aliorumque collatorum, quam resignantis, idque vi Bullæ Pii V. editæ super resignatione beneficiorū: sic habet declaratio S. Congr. quam vide apud Corr. *cit. l. 3. c. 4. n. 10.* Et Garc. *c. 20. n. 207.* contrarium est, dum parochiæ vacant per obitum; sive vacent in mense Ordinario sive Apostolico. Garc. *loc. cit. n. 212.* Corr. *loc. cit. n. 11.* citans quoque desuper Rotæ decisionem, ac testans, se vidisse desuper literas Card. Lancellotti tunc præfecti S. Congreg.

2. Respondeo secundò: Rector Ecclesiæ alicujus parochialis, aut alterius beneficii curati de jure non impeditur, quo minùs possit admitti ad concursum pro altera parochia vacante; nec est in potestate Episcopi illum non admittere. Lamb. *p. 1. l. 2. q. 7. a. 5.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 207.* Corrad. *loc. cit. n. 12.* citantes pro hoc clarā S. Congreg. declarationem. Quin etiam valere non videtur constitutio synodi Diœcesanæ vel provincialis, quâ statueretur, ne habens beneficium curatum, admittatur ad concursum pro alio curato intra 3. vel 4. annos Corrad. *ibid.* Garc. *n. 209.*

3. Respondeo tertiò: qui elapso termino edicti re adhuc integrâ, hoc est, examine pro concursu necdum habito, comparet, petitq; admitti ad examen, potest & debet admitti. Corr. *l. 3. c. 4. n. 23.* Garc. *n. 206.* citatque uterque claram desuper declarationem S. Congreg. manu Card. Matthæi subscriptam, quâ adductâ, idem resolvit Rota *in una Calguritana portionis 22. Aprilis anno 1602. coram Ortembergo* apud Garc. additque insuper rationem; quod nimirum

mirum id æquitas & favor Ecclesiæ suadere videatur, cujus interest, plures oppositores concurrere: quâ ratione etiam eliditur ratio in contrarium petita à jure, quòd videtur jam quæsitum oppositoribus intra tempus præfixum jam descriptis, ne post præfixi temporis lapsum describantur amplius alii; nam cùm principaliter agitur de utilitate Ecclesiæ, hæc est attendenda. Corr. & Garc. *ll. cit.* Sed neque terminus præfigitur, ut postea nequeant alii admitti, sed ut sciatur, non esse amplius exspectandum. AA. iidem. Idem resolvit Rota *in una Firmiana parochialis 6. Martii 1592. coram Pamphilo*, in qua non solùm agebatur de potestate, sed & necessitate admissionis: ubi etiam dicitur non obstare *consiliũ 3.* Oldradi, eò quod is agat ibi de accusatione & oppositione criminum vel objectuum, quæ statum hominum respiciunt, ideoque lapsus temporis à judice præfixi omnibus viâ claudit, ut amplius audiri non debeant. Garc. *loc. cit.* neque etiam in provisionibus beneficiorum edictum circumducitur, sicuti in judicialibus. ut Gl. *in cap. Ecclesia. de elect.* & alii apud Riccium *in praxi fori Eccl. decis. 423.* Porrò tenet responsio, etiamsi (ut quandoque fit) additum non fuit in edicto, quod etiam illius termino elapso possint admitti, qui volunt. Corrad. & Garc. *ibid.* Item etiamsi alii oppositores sive denominati ab Episcopo descripti jam intra tempus præfixum contradicant, & de novo comparens docere nequeat de impedimento & ignorantia. Gonz. *ad reg. 8. gl. 9. §. 1.* apud Corrad.

Quæstio 183. *Quid circa terminum pro habendo concursu statuendum vel prorogandum possint, vel non possint Episcopi?*

1. REspondeo primò: quamvis tam productio, quàm restrictio hujus termini videatur à Trident. relicta Episcopis arbitraria vi istorum verborum: *vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum*: nihilominus per subsequentem Pii V. constitutionem productio istius termini constringitur 20 diebus, ut dictum, ita ut si ultra 20. dies extendatur, concursus habitus post 20. dies ab edicto sit nullus propter decretum irritans dictæ constitutionis. Lott. *l. 2. q. 31. n. 41.* testans sic sæpissimè responsum in Rota.

2. Respondeo secundò: quamvis terminum semel constitutum Episcopus prorogare non teneatur Corr. *l. 3. c. 3. n. 28.* citans Barb. id tamen poterit, non tantùm semel, sed & pluries, donec compleatur totum spatium 20. dierum: non enim consumitur facultas prorogandi per unicum actum. Lott. *l. 2. q. 31. n. 42.* Quod si tamen Episcopus præfigeret terminum 10. dierum, & pateretur illum prorsus elabi, Lott. *n. 44* ait, se credere, non posse tunc concursûs ab eo alium præfigi terminum; eò quòd constitutio illa Piana concedat facultatem prorogandi, non autem noviter statuendi; prorogatio autem non fiat de termino elapso, sed de eo, qui adhuc durat, juxta *l. sed etsi manente. ff. de precar.* & Tiraq. *de retract. convent. §. 1. gl. 7. sub n. 24.*

3. Respondeo 3. quòd si nemo comparuerit intra præfixum terminum, non prohibetur Episcopus edicta renovare toties, quoties ei videbitur durante termino 6. mensium ei competente ad providendum, eò quòd tunc nemini præjudicet. de Luc. *ad Trid. d. 32. n. 29.*

4. Respondeo quartò: de cetero intra hujusmodi terminum, seu currente adhuc tantùm, & nondum elapso, fieri nequit examen, ita ut si secùs factum, concursus, factaq; in eo approbatio, & secuta provisio sit nulla; eò quòd exspectatio lapsûs termini sit de forma & substantia, sic decisum à Rota referens Corrad *n. 24.* recitat desuper ex Barb. declar. S. Congr. Cessaret tamen hæc nullitas, si stineretur; (quasi ex hoc ipso convalescens examen, nullo deinceps intra eum terminum comparente ad concurrendum. Corrad. *n. 25.* Lott. *n. 50. & 51.* citans Lamb. *de jurep. l. 2. p. 2. q. 6. a. 25. num. 1.* Calder. *cons. 1. de elect.*

Quæstio 184. *Intra quot dies ab elapso termino præfixo in edicto, necesse sit fieri examen concursûs.*

REspondeo: cùm hac de re nihil determinârit Trid. videtur id relictũ arbitrio Episcopi, cui sic videbitur, poterit juxta Corr. *l. 3. c. 4. n. 25.* id differre ad 3. 4. vel sex dies, cùm per hanc dilationem cura animarum non patiatur detrimentum; supponitur namque provisum Ecclesiæ parochiali de idoneo Vicario.

Quæstio 185. *Quid faciendum, ubi intra præfixum terminum nemo, vel unicus tantum ad concursum comparuerit? quid ubi ex oppositoribus descriptis aliqui non comparuerint ad examen in die pro examine & concursu deputato, neque etiam se excusent? Quid ubi edicto semel proposito nullus comparet, vel ex oppositoribus nemo reperitur idoneus?*

1. REspondeo ad primum: tunc posse Episcopum liberè conferre parochiam, vel etiam, dum collatio spectat ad inferiorem collatorem, liberè eligere illum ab inferiore collatore providendum. C. Luc. *ad Trid. d. 32. n. 35.* Posse etiam (& hoc laudabiliter) de novo edicta proponere, cùm vel sic nemini, nisi sibi ipsi, libertatique suæ, quam per istam non comparentiam acquisivit, præjudicet. C. Luc. *ibid. n. 28.*

2. Respondeo ad secundum casum: in eo opus non esse edictum aliud proponere, aut propositum prorogare (vel ut habent verba declarat. S. Congreg. apud Garc. *cit. p. 9. c. 2. n. 215.* non esse proponendum aliud edictum) sed illum, qui comparuit, examinandum, & idoneus si repertus fuerit, eidem beneficium esse conferendum, nisi qui descripti sunt, excusent se, legitimo impedimento detineri, quò minùs valeant ad concursum accedere: tunc enim poterit Episcopus legitimè terminum prorogare. ita ferè S. Congreg. Prosp. de S. Augustt. *ad summam Bullarii Quarantæ V. parochialium benef. collatio.* apud Garc. *loc. cit.* & Corrad. *cit. l. 3. c. 4. num. 24.*

3. Respondeo ad tertium: etsi concilium præcipiat, ut omnes adscripti examinentur, subsistere nihilominus, si v. g. duo solùm ex 4. adscriptis comparentes examinati & idonei reperti fuerint, cùm dicta Concilii verba subintelligant: quatenus veniant ad examen: esset enim alias in potestate unius adscripti nolentis venire die ipso pro examine concursûs indicto impedire, ne ulterius procederetur. ita fere his verbis S. Congregatio apud Garc. *n. 217.*

4. Respondet ad quartum & quintum casum: eadem S. Congregatio *super cit. sape c. 18. sess. 24.* Trid.

Trid. binis inter alias (quas quoque legere est apud Garc. *n.* 219. & 220.) declarationibus. Prima sic habet: *beneficia curata, quorum reditus adeo exigui sunt* (specificatur hæc tenuitas in alia ejusdem congregationis declaratione. *ad cit. c.* 18. nempe fructus non excedentes 24. ducatos auri de camera) *ut ea nullus idoneus requirat (& vel hinc nullus compareat) vel comparent in concursu presbyteri, ita rudes, ut neque vulgarem linguam calleant, Sanctiss. D. N.* (scil. Gregor. XIII.) *ex sententia Congregationis dixit (potius quàm ut permittantur* diu vacare) *esse conferenda illis, quos inter omnes majoris literaturæ esse cognoverit Episcopus, eosdemque amplius erudiri curabit; ubi verò ob Dominos temporales, vel aliam justam causam concursus non esset liber, & fructus parochiales essent pingues, dixit, ponendos Vicarios, donec conferri possunt magis idoneis servatâ formâ* Trid. Secunda declaratio sic habet: *Si Episcopus semel edictum proposuit per concursum, & ex multis examinatis nullus repertus sit idoneus, licet Concilium non videatur necessario requirere edictum per concursum, fuit tamen tutius judicatum aliud edictum proponi, ut supra, & si nemo comparuerit idoneus, tunc alicui prævio examine sine concursu beneficium conferatur.*

Quæstio 186. *Circa numerum examinatorum synodalium, quot eorum esse debeant?*

REspondeo: in synodo constitui possunt plures, non tamen nimis multi, v. g. plures quàm 20. Corrad. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 29. citans Barb.) ad minimum autem 6. constitui debent, ita ut si pauciores deputati sint, non solùm hujusmodi deputatio, sed & deinceps examen concursûs habitum, etiam ab eorum tribus vel quatuor, sit nullum, quia vel hoc ipso factum contra formam à Tridentino præscriptam. Corrad. *ibidem.* Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 66. Quin etiam licet Examinatores maneant, donec in subsequente synodo deputentur novi, etiamsi hæc synodus ultra annum differatur. Garc. *n.* 73. (neque enim pro forma requiritur, ut Examinatores singulis annis deputentur in synodo, modò post annum maneant saltem 6. Garc. *n.* 75. hoc ipso tamen, quo interea tot moriuntur, vel alio commigrant, ut non maneat amplius numerus senarius, aliorum quoque superstitum munus exspirat. Corrad. *loc. cit. n.* 35. citans pro hoc Barb. & claram S. Congreg. declarationem. Proinde non solùm eligendi in synodo alii loco mortuorum, sed etiam de novo eligendi illi, qui supererant, vel alii loco illorum. Garc. *n.* 74. ubi etiam indicare videtur, satis esse, quòd qui super erant, relinquantur, non sufficiendo alios in illorum locum, uti videntur relinqui, si solùm in locum mortuorum sufficiantur alii.

Quæstio 187. *Quid igitur faciendum, ubi intra annum à celebrata synodo mortui, vel aliò commigrârint omnes* 6. *illi examinatores, aut eorum aliqui; interea verò vacet parochia aliqua per concursum conferenda intra eundem annum?*

1. REspondeo: in primo casu posse Episcopum per seipsum absque celebratione synodi, adhibito tamen consensu Capituli, deputare alios Examinatores, non tamen pauciores quàm sex, & ex iis dein eligere tres ad minimum ad examen concursûs secum perficiendum. Corrad. *lo. cit. sub n.* 35. Lott. *l.* 2. *q.* 31. *n.* 71. Relaxatur enim rigor juris, ubi ob impossibilitatem (qualem in dicto casu facit necessitas illa præcisa, seu cui aliter opportunè succurri non potest, dum ex una parte collatio parochiæ moram non patitur; ex altera verò Episcopus non teneatur, ut Lott. *n.* 72. vel etiam non possit intra eundem annum bis habere synodum, ut Garc. *n.* 71. & Corrad. *n.* 35. & etiam tantisper, donec synodus habeatur, alium examinatorem synodalem substituere nequeat, ut habet S. Congreg. apud Garc. *n.* 81.) servari non potest, & ubi forma exacta impleri nequit, sufficit. actum fieri eo modo, quo potest. Tiraq. *de legibus connub. gl.* 16. *n.* 6. Paris. *l.* 7. *q.* 5. *n.* 19. apud Garc. *num.* 71. ac per consequens jam non servatâ formâ illâ aliàs per Trid. præscripâ, quoad assumendos Examinatores non nisi ex iis, qui in synodo ab Episcopo electi, & ab eadem synodo approbati, nõ vitiat secutum examen. Corrad. *loc. cit.* Paris. *l. c. n.* 17. allegans alios. Illud nihilominus vi decreti Clem. 8. quod per modum responsi & rescripti datum Episcopo Civitatensi recitant Corrad. *loc. cit.* Leo *in thes. fori Eccl. p.* 2. *c.* 3. *n.* 25. Massob. *in praxi habendi concursum requisito.* 12. *d.* 3. servandum Episcopo, ut Examinatores illos desumat ex antiquis examinatoribus synodalibus, sive qui in anterioribus aliquando synodis fuêre deputati Examinatores, si supersint; & si non supersunt, amplius sex eorum, sumat quotquot eorum supersunt, addendo illis de novo tot alios, ut numerus senarius compleatur; & si nulli ex illis antiquis supersint, omnes novos assumat. Porrò si post annum à celebrata synodo defectus est Examinatorum synodalium, id jam imputabitur Episcopo, agétque is jam formaliter contra formam à Tridentino decretam, & consequenter irritus erit concursus, cum elapso anno à celebrata synodo, Episcopus mox possit & debeat habere novam synodum, & in ea constituere Examinatores. Lott. *cit. q.* 31. *n.* 73. Garc. *loc. cit. n.* 92. Corrad. *loc. cit.* citans Barb. *de potest. Episc. in addit. ad alleg.* 60. *n.* 49. proceditque idipsum, etiamsi elapso anno isto Episcopus novus primò advenisset, cùm tempus, nimirum annus, habendi synodum non currat à die obtenti Episcopatûs, sed habitæ ultimò synodi. Corrad. *ibid.* Garc. *n.* 93. Unde jam, licet Examinatores semel deputati in synodo, quamdiù eorum adhuc supersunt 6. maneant, munúsque suum exercere possint, donec synodus alia celebretur, etsi hæc ultra annos aliquot differatur, contra quod præcipit Tridentinum, Corrad. *loc. cit.* si tamen deficiente eorum numero senario elapso anno, Episcopus assumat reliquos de novo redintegrando, etiam dictum numerum per subrogationem aliorum novorum, absque habitâ nova synodo, in qua isti confirmati, & hi de novo deputati, concursus foret nullus. Corrad. *loc. cit.* citans Barb. verùmtamen dicta Episcopi culpa & negligentia nullum præjudicium creat patronis laicis Ecclesiarũ parochialium, præsentatisq; ab ipsis legitimè, quoad jus ad rem per legitimam præsentationem iis quæsitum, dum hi examinati per Examinatores non synodales instituti sunt: etsi enim, ut habet resolutio Rotæ *in una Casalensi parochialis 9. Novembr.* 1597. *coram Seraph.* quam vide apud Garc. *n.* 95. & Corrad. *loc. cit.* invalida sit talis institutio ob non servatam formam Trid. præsentatio tamen valida fuit, præsentatóque verè quæsitum jus ad parochiam; quod ipsum censetur ei præservatum per clausulam: *modò non sit alteri*

jus quæsitum. sed neque præsentatio talis annullatur per constit. Pii V. utpote quæ non loquitur de patronis præsentantibus, sed de provisione facta ab Episcopis aliisque inferioribus. ac proinde Rota talem præsentatum instituit servatis servandis per *Clem. Auditor. de rescript.* ut ait Garc. *n.* 95. ex sententia DD. *in c. si confirmationes. de elect. in 6.* Neq; obstat, quod talis præsentatus institutus ab Ordinario sine examine facto ab Examinatoribus synodalibus se ingesserit in administrationem ante validam institutionem, & sic inciderit in pœnas. *c. avaritiæ. de elect. in 6.* quia cum esset in possessione vigore institutionis Ordinarii, cessat pœna *cit. cap.* tum ratione bonæ fidei, tum quia in materia pœnali quælibet causa colorata excusat. Decius *consil.* 452. *n.* 12. & Gloss. *in c. fin. de elect. in 6.*

2. Respondeo nunc ad secundum: quamvis si ex 6. Examinatoribus aliqui intra annum mortui aut aliàs absentes sint, totam facultatem examinandi unà cum Episcopo & Vicario (Garcias habet: *vel Vicario*) spectabit ad superstites eo anno durante, etiamsi tantum unus supereset. Corrad. *loc. cit. n.* 34. Garc. *loc. cit. n.* 69. qui etiam ait id conforme Concilio. Elapso tamen isto anno, cum, qui supersunt infra numerum senarium juxta dicta *quæst. præced.* non sint amplius synodales Examinatores, fieri legitimè examen non poterit, nisi in nova synodo, seu Examinatores novi deputentur, sive ii omnes sint novi, sive partim sint ex iis, qui jam olim fuerunt Examinatores. Sequitur ex dictis *respons. præced.* Estque contra Lott. *cit. q.* 31. *n.* 84. ubi ait: si adhuc supersunt tres ex deputatis in priore synodo examinatoribus, etiam anno elapso á priore synodo, cum his habendo examen videri satisfactum formæ præscriptæ à Concil. Tridentino.

Quæstio 188. *Quid in dictis casibus possit capitulum sede Episcopali vacante?*

1. Respondeo posse capitulum seu ejusdem Vicarium sede Episcopali vacante, dum post annum elapsum ab ultima synodo habitâ adhuc remanent 6. Examinatores in ultima synodo deputati, legitimè habere concursum cum illorum tribus. Neque etiam teneri post dictum annum elapsum habere synodum (uti ad id vi Tridentini tenetur Episcopus) si hanc habere non potest, nisi pro casu necessitatis, cui aliter provideri nequit, ut vult Lott. *cit. quæst.* 31. & 83. siquidem non est necessitas talis habendi synodum in ordine ad deputandos Examinatores pro habendo concursu, si hunc, existentibus eorum adhuc sex, cum eorum tribus habere potest.

2. Respondeo secundò: si verò elapso anno isto non amplius extent dictorum Examinatorum sex, legitimè habere concursum nequit, nisi prius in synodo ad hoc congregata, 6. constituerit Examinatores, quia in hoc casu, cum ex una parte non extent amplius Examinatores synodales (ii enim qui fortè adhuc supersunt, non sunt jam amplius hoc ipso Examinatores synodales juxta dicta paulo ante ad quæstionem) ex altera parte capitulum potestatem habeat celebrandi synodum (ut absolutè docet Garc. *loc. cit. n.* 64. & docere videntur plerique, qui tenent synodum diœcesanam cogere, esse de Lege jurisdictionis Pavin. *de off. & potestate Capituli sede vacante p.* 1. *q.* 7. *n.* 3. Henr. Bottæ. *de synodo Episcopali p.* 1. *q.* 4. *n.* 40. apud Lott. *n.* 77. aut certè si non ad effectum decernendi statuendique generaliter & universaliter super statu diœcesis, saltem pro casu necessitatis alicujus præcisæ occurrentis, & in specie deputandorum hic & nunc necessariò Examinatorum synodalium, ut Lott. *loc. cit. à n.* 80.) imputabitur jam ipsi Capitulo, agiturque ab eo formaliter contra formam à Trid. præscriptam, adeoq; nulliter, si non ilico curaverit convocari synodum, vel ex hac præcisè causa deputandi novos Examinatores, ut Lott. *n.* 84. (à quo tamen in hoc postremo dissentit Garc. juxta relata ex eo supra, quod censeat necesse deligi legitimos Examinatores in synodo formali & vera, quam ait non esse illam ex dicta solùm causa congregatam) & in ea Examinatores delegerit. Est quoque in tantùm responsio nostra contra Loterium, in quantum is *loc. cit.* tenet, si ex antiquis Examinatoribus etiam post elapsum annum à celebrata ultimò synodo superfuerint adhuc tres, posse cum iis solis legitimè adhuc haberi examen concursûs.

Quæstio 189. *An, & qualiter præstatio juramenti, quæ Examinatoribus injungitur vi verborum Tridentini* cit. c. 18. jurentq; omnes ad sancta Dei Evangelia, se quacunq; affectione postpositâ fideliter munus suum exercturos, &c. *cum attactu Evangeliorum, sit de forma, ita ut si omittatur, examen & concursus per eos habitus sit omnino nullus?*

1. Respondeo ad primum affirmativè. Card. de Luc. *de paroch. d.* 3. *n.* 4. Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 354. Lott. *l.* 2. *q.* 31. *n.* 92. Corrad. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 26. conformiter ad plures S. Congreg. declarationes.

2. Respondeo secundo: hoc juramentum præstari solere publicè in synodo, dum mox, ut electi & denuntiati Examinatores præsentes, singuli à Magistro cæremoniarum vocati & deducti in manibus Episcopi illud emittunt. Corrad. *loc. cit.* apud quem, uti & apud Garc. *loc. cit. n.* 357. vide hujus juramenti formulam. Lott. *num.* 95. dicto loco & tempore præstandum illud probat ex eo, quòd Concilium immediatè post requisitas in Examinatoribus qualitates illud adjiciat, adeoque sicut illæ sunt excutiendæ in ipso deputationis actu, ita eodem tempore præstandum juramentum, virtutè copulæ, sub qua est continuata oratio. Garc. verò *n.* 356. censet id expedire quidem, non tamen esse necessarium. idem tenet Corrad. *loc. cit.* nimirum tempus, quo præstari debeat, non esse de forma, sufficereque ut præstetur, antequam fiat concursus, etiam extra synodum, & in manibus Notarii, per cujus attestationem illud probari sufficit, cum consilium solum dicat: *Examinatores jurent.*

3. Respondeo tertio præstandum juramentum illud tactis Evangeliis, ita ut hoc non facto, non servetur forma Concilii. Garc. *num.* 358.

4. Respondeo quarto sufficere juramentum illud semel & generaliter de fideliter exercendo munere Examinatoris esse præstitum, & opus non esse, ut præstetur in quolibet concursu. Card. Luc. *ad Trid. d.* 32. *n.* 8. Lott. *n.* 94. Garc. *n.* 359.

* * *

Quæstio

Quæstio 190. *An ad formam adeoque ad valorem concursûs spectet, Episcopum aut ejus Vicarium interesse examini?*

REspondeo affirmativè; ait enim Concil. *examinentur ab Episcopo, sive eo impedito ab ejus Vicario.* quod idem dicendum, etsi collatio spectet ad alios etiam exemptos. Lott. *l. 2. q. 31. n. 57.* insinuat tamen Card. de Luc. *ad Trid. d. 32. n. 12.* concursum haberi posse coram alio præsidente ad id ab Episcopo deputato. Sed neque per Concilii verba tollitur, quò minùs coram seu à Vicario haberi possit examen concursûs, etiam Episcopo non impedito; posita namque sunt admonitionis causâ, & ad insinuandum, convenire, ut ab Episcopo ipso non impedito habeatur concursus & examen. Garc. *p. 9. c. 2. n. 119.* Non tamen potest Vicarius absque speciali mandato facere ipsam collationem parochialis judicato & electo magis idoneo Garc. *p. 5. c. 8. n. 109.*

Quæstio 191. *Qualiter peracto examine referre debeant Examinatores?*

1. REspondeo primò: debere illos simpliciter referre qui sint idonei; non verò quis ex examinatis sit magis vel minùs idoneus; majoris enim vel minoris idoneitatis æstimatio, non secus ac ipsum eligere ex idoneis magis idoneũ ad Episcopũ vel ejus Vicarium spectat. Lott. *cit. q. 31. n. 98.* referens sic decisum à Rota *in Barcin. paroch. 29. Novemb. 1613.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 112.* dicens hanc sententiam esse certam ex Conc. & declar. S. Congreg. contra Ledesm. *tr. 7. c. 1. concl. 7. difficul. 13.* qui etsi fateatur sententiam nostram probabilem, probabilius tamen ait esse, Examinatores ex officio, & sub gravissimo peccato teneri non solùm dignos, sed etiam digniores nominare. Item contra Navar. apud eundem Garc. qui dicit teneri ad hoc Examinatores ex justitia commutativa. ubi tamen notandum ex Garc. *n. 114.* quod dum AA. alii uti Zech. *de rep. Eccl. c. 28. de paroch. n. 7.* simpliciter dicunt, Examinatorum esse renunciare, qui magis sint idonei, intelligere magis idoneos respectu eorum, qui non sunt idonei. rationem quoque subdit Lott. *n. 101. & 102.* quòd major idoneitas constare possit ex aliis, quàm ex literatura, circa quæ cùm canones plurimum deferant judicio Ordinarii, utpote quæ ei magis nota esse possunt, ex quo gregis cura & indagatio præficiendorum ad eum pertinet, cura discernendi habiliorem ipsi sit relinquenda. Ait nihilominus *n. 99.* se non credere, vitiandum ex eo examen ipsamque relationem, si fiat de uno tanquam magis idoneo, cùm, quia superlativum perpetuo supponit positivum, adeóque ubi unus dicitur magis idoneus, ibi alii quoque dicuntur idonei, videatur hac in parte satisfactum Trid. ex eo, quòd Episcopus non propterea arctetur in hoc sequi judicium Examinatorum. sicque responsum testatur *in una Nicien si parochialis 19. Martii 1628. coram Durano.* Addit etiam Garc. *n. 110. & seq.* posse tamen Examinatores, privatim præsertim Episcopo petente, renuntiare, quis ex indicatis idoneis sit magis idoneus: Et nisi Episcopo de hoc constet, poterit, & debebit se privatim informare de hoc ab Examinatoribus. Quin & si in hoc casu nolit scire, quis sit dignior, sed solùm qui sint digni, peccare Episcopum mortaliter, censent Medina & Lud. Lopez, apud Garc. *loc. cit.*

2. Neque opponas contra responsionem nostram, quòd si Examinatores juridicè non nominent digniorem, sed solùm dignos, nunquam posse esse locum appellationi à relatione Examinatorum tanquam irrationabili judicio, quæ tamen appellatio conceditur ut *in Ripana parochialis 23. Jun. 1608. coram Pamphilo* apud Lott. *n. 103.* sed neque constare posse, quòd Episcopus elegerit dignum, digniore præterito. Nam ad primum dico, gravamen non deduci ex eo, quòd Examinatores renuntiarint cooppositores æquè vel non æquè dignos, sed quia vel renuntiarunt idoneos, qui idonei non erant, vel è contra non idoneos, qui idonei erant, ita ut defectus examinis & vitium hujusmodi relationis semper influat in ipsam prælectionem Episcopi. Lott. *loc. cit.* Ad secundum dico non debere de hoc constare ex Actis primæ instantiæ, neque ex examine habito coram Episcopo, sed ex examine faciendo coram judice appellationis, ejusque Examinatoribus, ut dicitur in constitutione Pii V. Garc. *n. 113.*

3. Respondeo secundò: debere relationem fieri ab omnibus Examinatoribus, non autem ab aliquibus tantum, juxta quod dicitur de sententia plurium, quibus causa comissa est. *c. prudentiam de officio deleg.* Gl. *ibid. V. circa formam datam.* apud Lott. *n. 104. & seq.*

4. Respondeo tertiò: debere collegialiter in eodem ipso loco & actu, nimirum mox à peracto examine proferri vota, sive scripto sive oretenus pro diversis locorum stylis. C. de Luc. *ad Trid. d. 32. n. 9.* ita ut non attendantur vota, quæ in diverso loco vel tempore singulariter præstantur juxta regulam, quam in electionibus aliisque actibus collegiativis habemus Luc. *ibid. n. 11.*

5. Respondeo quartò: licet Concilium non expresserit, an vota Examinatorum palam, an secretò fieri debeant; magis tamen expedit, ut palam inter se sua vota conferant, dein Notario jubeant, ut in actis simpliciter scribat Titium approbatum idoneum, Cajum vero reprobatum. sic habet S. Congregatio *ad cit. c. 18. Trid.* apud Garc. *n. 107.*

Quæstio 192. *De quibus disquirere, & de quibus peracto examine referre debeant Examinatores?*

1. REspondeo ad primum in hoc examine disquirendum est Examinatoribus, non simpliciter tantùm de doctrina; mandatur enim etiam ipsis Examinatoribus à Concilio excussio aliarum qualitatum, puta morum, prudentiæ &c. adeóq; inquisitio ab illis facienda super omnimoda idoneitate, evadente aliàs concursu nullo. Lott. *cit. q. 31. nu. 97.* sic responsum referens à Rota *in Barcinon. parochialis. 29. Novemb. 1613. coram Buratto,* etsi *n. 101.* insinuet officium Examinatorum esse, impensiùs agere de literatura; eò quòd major Episcopo incumbat cura, & supponatur notitia ceterorum.

2. Respondeo ad secundum primò: ab Examinatoribus debere fieri relationem de omnibus repertis idoneis, & non de eo tantum, qui ipsis videtur magis idoneus, constat ex verbis Concilii: *renuntientur, quotquot idonei judicati.*

3. Secundò debere fieri relationem, non tantùm de literatura seu scientia, sed etiam de moribus, doctrina, prudentia aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; nam hoc quoque habent verba Concilii *cit. c. 18.* ita ut si se-

si fecerint relationem solùm quoad literaturam, relinquendo reliqua Episcopo, etiamsi hic ita velit, imprimis juxta Garc. *cit. c. 2. n. 106.* peccent mortaliter, quia non implent suum officium, dein etiam ipsa provisio parochialis subsecuta sit nulla, cum Concilium clarè loquatur, dicens contrarium & dans formam cum dicto irritante. Garc. *p. 6. c. 2. n. 239. & seq.* ubi ait, proinde non valere quod dictum *in una Casalen. parochialis 2. Martii 1584. coram Robustino.* sed tenendum à Rota resolutum *in Casalen. paroch. Anno 1586. coram eodem Robustino.* censet tamen Lott. *cit. q. 31. num. 107. & seq.* opus non esse explicare singula singulatim, sed sufficere implicitam relationem per universalem, vel saltem indefinitam orationem, veluti si enuncientur tales idonei, cùm hoc sensu intelligatur facta relatio respectu omnium necessariorum & requisitorum de jure, argumento *c. super inordinata. de præb.* ac proinde etiam de moribus, ætate &c. testatur Lott. sic resolutum ex mente S. Congreg. à Rota in *Albigan. concursus 28. Aprilis 1614. coram Cavalerio.* Nihilominus ut addit Lott. *n. 110.* Generalis relatio contraheretur propter specificationem aliquorum ex prædictis, ita ut tunc quoad alia posset videri facta relatio negativè, seu non idoneitatis, ac proinde Examinatores sic perperam referendo non fecisse officium suum. Porro reperitur forma præscripta per Clem. VIII. sub dato 8. Aprilis *1596.* tam respectu parochialium quàm simplicium, nimirum ut teneantur Examinatores, absoluto examine, referre omnes repertos idoneos ratione scientiæ ad curam animarum, licet in iis legitima ætas desit, etsi nullus repertus idoneus ad curam, teneantur referre, quotquot idonei ad beneficium simplex. Quod tamen intelligendum ait Lott. *n. 128.* dum agitur de provisione beneficii simplicis, non verò si de curato, dum enim extat aliquis idoneus ad curam animarum, non esse jam opus referre de aliorum idoneitate ad simplicia, citátque pro hoc decisionem Rotæ 505. *n. 1. in recent. p. 2.*

Quæstio 193. *Quot vota referre quis debeat, ut censeatur approbatus vel reprobatus?*

REspondeo tam approbatum quàm reprobatum pendere à conclusione majoris partis votorum juxta regulas generales electionum, præsentationum &c. quæ universitatis vel collegiativo jure fiunt, ut scilicet major pars dicatur illa, quæ medietatem congregatorum etiam in uno vel in dimidio voto excedit, habitâ comparatione omnium Congregatorum; non autem comparativè ad minorem partem in diversas sententias abeuntem v. g. ut dum 3. vel 5. sunt examinatores, 3. vel respective duo concludant, de Luca, *ad Trid. d. 32. n. 9. de paroch. d. 1. n. 18.*

Quæstio 194. *An, & qualiter ab Examinatorum aliquo occasione hujus muneris commissa simonia noceat approbato?*

1. REspondeo Examinatorum horum munus juxta Tridentinum omnino gratuitum esse debet, omneque emolumentum sub quovis prætextu simoniacum reputatur.

2. Si tamen hæc turpitudo ab iis, vel eorum aliquo committeretur, id præjudicare non debet concurrentibus aliàs idoneis, quibus de justitia approbatio debita erat, ubi hi conscii & participes non sunt, dum nimirum ab eorum conjunctis vel benevolis ipsis ignaris id factum est ad evitandam injustam reprobationem. Adhuc tamen, quando de hoc habetur aliqua diffamatio, quæ scandalum saltem de facto præbere valeat, reputatur hoc ipsum justum motivum in præelectione postponendi illum, qui aliàs magis dignus præeligi debebat. C. de Luc. *cit. d. 32. n. 16.* citans seipsum *de benef. d. 70. & de paroch. d. 8.*

Quæstio 195. *An, & qualiter Episcopus voto suo accedere possit ad Examinatores, habeatque votum decisivum?*

1. REspondeo primò: accedere potest Episcopus ejusvé Vicarius, quibus magis videbitur, dum Examinatores sunt 4. vel sex, vel singularia, sic habet in terminis Trid. *cit. c. 18.* & in eo solùm casu votum decisivum habet Episcopus ejúsve Vicarius, ut habet S. Congregatio ad *cit. c. 18.* Parisius *de resign. l. 8. q. 9. n. 105.* Garc. *n. 55.* dicuntur autem vota tunc singularia, cum ex tribus Examinatoribus unus approbat unum, quem alter reprobat, & tertius nec reprobat nec approbat. Garc. *n. 62.* Hinc dum Examinatores singuli approbant unum diversum, quem reliqui reprobant, hæc accessio Episcopi locum non habet, nec is censetur approbatus, pro quo cum uno Examinatore stat Episcopus, reliquis Examinatoribus eum reprobantibus; hic enim vota nec sunt pària, nec singularia. Corrad. *l. 3. c. 4. n. 13.* Garc. *n. 63.* contra Ledesm. tenentem posse accedere Episcopum parti cui voluerit, si Examinatores tres singuli divisi in suis votis, vel eorum duo pro uno, & tertius pro altero. Sic v. g. Examinatores sunt Cajus, Titius, Sempronius: examinati Petrus, Paulus, Joannes; Cajus approbavit Petrum, reprobatum à Titio & Sempronio, Titius approbavit Paulum reprobatum à Cajo & Sempronio. Sempronius approbavit Joannem reprobatum à Cajo & Titio. Episcopus accedendo suo voto v. g. ad Cajum, & per hoc faciendo, ut jam pares sint approbantes & reprobantes Petrum, non censetur vincere; adeóque adhuc nullus istorum trium videtur approbatus similiter dum unus solus examinatus à tribus Examinatoribus, ab uno eorum approbatus, à reliquis duobus reprobatus, accedente Episcopo ad illum approbantem, adhuc iste examinatus dicetur reprobatus. Item dum Examinatores sunt 5. & quilibet eorum approbavit unum ex examinatis, quem ceteri 4. reprobarunt, Episcopus accedens ad unum illorum, non vincet ceteros 4. reprobantes eundem, nullusque ex examinatis erit approbatus, tametsi unus jam per accessum Episcopi pro se habeat duo vota, & ceterorum singuli non nisi vota singularia. è contra 4. existentibus Examinatoribus, dum singuli examinati dimidiam tantum votorum partem habent pro sua idoneitate; Episcopus potest ad partem, ad quam voluerit, accedere, & sic reddere approbatum, qui à duobus erat reprobatus, adeóque necdum per reliquos duos votantes pro ejus idoneitate approbatus. Sic censuit S. Congreg. apud Garc. *n. 57.* Potest etiam Episcopus ejúsve Vicarius, dum quidam ex examinatis ultra dimidiam partem votorum consecuti sunt, & hoc ipso jam approbati, unus verò ex examinatis tulit omnium examinatorum suffragia, hoc omisso eligere unum ex aliis. Sic habet declaratio S. Congregationis, quam recitat Garc.

cit. p.

cit. p. 9. c. 2. n. 109. Quod si tamen duorum Examinatorum unus à trium examinantium uno solo fuit approbatus, alter ab omnibus tribus, nequaquam poterit Episcopus illum ab uno solo approbatum præeligere ; quia hic nequidem censetur approbatus idoneus. Vide declar. S. Congreg. *ad cit. c. 18. Trid. in prætermissis solitis apponi ad calcem Tridentini.*

2. Respondeo secundò: hanc Episcopi seu Vicarii accessionem debere fieri in ipso actu, atque in forma collegiativa, tanquam per speciem electionis vel actus Capitularis, hoc est, in ipso examine seu coram ipsis Examinatoribus simul congregatis, & non separatim; nam approbatio & reprobatio eorum, qui examinantur, non potest fieri separatim, sed Examinatoribus simul cum Ordinario congregatis. C. de Luc. *ad Trid. d. 32. n. 11.* Garc. *n. 58.* Quamvis electio ex approbatis facienda ab Episcopo ex post facto & separatim fieri possit, cùm ad ipsum solum spectet. Garc. *n. 58.* modo id fiat intra statutum terminum 6. mensium, ne aliàs devolutioni sit locus, atque ita praxis frequens docet, in magnis præsertim diœcesibus, ut vota approbatorum absenti ab urbe, in qua habetur concursus, vel etiam extra diœcesim, transmittantur, ut præelectionem faciat ad effectum propriæ vel alienæ provisionis. C. Luc. *loc. cit. n. 12.* fieri enim potest, ut concursus habeatur coram Vicario generali & Examinatoribus simul congregatis, præelectio autem ab Episcopo absente. Luc. *de par. d. 1. num. 2*

Quæstio 196. An, & qualiter præeligere unum ex judicatis idoneis solius sit Episcopi ejúsve Vicarii ?

1. Respondeo ad primum: affirmativè juxta verba Concilii, & desuper repetitas sæpe S. Congregationis declarationes, quas vide apud Garc. *p. 9. c. 2. num. 108.* & Corrad. *l. 3. c. 4. num. 8.*

2. Respondeo secundo, Episcopus non ex votorum calculo, numero & collectione potest eligere, sed debet suo judicio eligere magis idoneum, seu eum, qui sibi videtur magis idoneus, sic censuit S. Congreg. apud Garc. *n. 109.* unde non tenetur in hac præelectione Episcopus, vel alter superior, ad quem pertinet, sequi majorem numerum suffragiorum; sed sufficit, quod eligat unum ex jam approbatis juxta dicta *in responsione 1. ad quæstionem præcedentem.* C. Luc. *ad Trid. d. 32. num. 25.* quinimò sufficit præelectum esse illum, cujus approbatio ex Episcopi vel Vicarii adhæsione resultârit, dum nimirum vota Examinatorum erant paria C. Luc. *ibid. n. 26.* testans se scribente, non sine magna tamen discrepantia, sic fuisse à S. Congreg. decisum. Atque hujus resolutionis probabilia fundamenta à se recenseri in *suis parochialium adnotationibus. d. 1.*

3. Respondeo tertiò: sed neque Episcopus præeligere potest illum ex idoneis, quem maluerit, sed quem magis idoneum reputabit, cùm ejus judicium bene regulatum esse debeat, idque etiam secluså illâ formâ conciliari vi juris communis, cùm beneficia curata liberæ etiam collationis non nisi dignioribus conferri debeant. C. Luc. *loc. cit. n. 17.* Quamvis idem *de paroch. d. 1. n. 25.* dicat secluso isto conciliari decreto, attentâque dispositione juris communis, etiam in parochialibus, Episcopum habere liberum arbitrium eligendi eum, quem reputat idoneum, absque illa forma vel restrictione ad approbandos vel reprobandos ab Examinatoribus, remanente solùm quæstione concernente forum internum, an teneatur conferre digniori, vel sufficiat conferre digno; ac proinde dictum decretum Conciliare remanere à jure exorbitans & correctorium, adimens Episcopis facultatem aliàs competentem. Vide dicenda q. ult. hujus sect. & citatum ibi D. Thom.

Quæstio 197. Quid in præelectione spectare debeat Episcopus, & unde ab eo æstimanda major idoneitas ?

1. Respondeo observanda esse sequentia: primò, etsi Concilium in æstimanda majore idoneitate, quicquid est, totum deferat arbitrio Episcopi, debet tamen ipse illud non ex proprio affectu, sed judicio rationis restringere, ne etiam facta ab ipso præelectio revocetur tanquam irrationabilis Lott. *l. 2. q. 31. n. 135.*

2. Secundò, morum gravitatem & honestatem in promovendis tantùm fieri per Sacros Canones, ut imprimis ubique præferatur nobilitati generis. *c. nos, qui præsumus. dist. 40.* denique in *c. in cunctis. de elect. n. 5.* apud Lott. *n. 140.* Item literaturæ. Decius *n. 9.* non quod ea in promovendo quemcunque bene morigerato non sit necessaria, sed quia illa usque adeò non attenditur, ut in prælatione major ratio bonorum morum haberi non debeat, modò tamen literatura suam mensuram obtineat. Ægid. *in c. ex multis. q. 3. n. 11.* Lott. *n. 142. & seq.* referens sic pluries resolutum à Rota, præcipuè *in una Benevent. paroch. 13. Maji 1590. coram Orano.* Econtra eidem Canones ita exosos habent ineptos mores in promovendo, ut eum etiã repellant, cujus opinio gravata ex sola denuntiatione vel inquisitione Abb. *in c. cum in cunctis. de elect. n. 4.* Lott. *n. 145.* imò ex sola & simplici fama seu diffamatione; eò quòd facilè inde oriri possit scandalum aliquod inter parochianos. Lott. *n. 146. & 147.* citans Calder. *de prob. consil. 9.* & quod amplius est, repellunt quoque eum, qui ex defectu probationum absolutus esset à crimine sibi impacto; eò quòd sub hac forma absolutus vexari iterum posset supervenientibus novis indiciis. Lott. *nu. 148. & 149.* qui etiam *n. 150.* alt: in isto articulo prælationis in concursu ad parochialem se credere, vix prodesse sententiam absolutoriam, etiam tanquam de innocente; eò quòd remaneat semper macula quædam in absoluto: unde si alius concurrat similem aut aliam maculam non habens, debeat is præferri. citat pro hoc Lamb. *de jurep. l. 2. p. 3. q. 6. a. 1. n. 4.* & Rotam. Idem tenet C. de Luc. *ad Trid. d. 32. num. 22.* nisi tamen liqueret per sententiam fuisse talem delatum & accusatum per calumniam. Lott. *n. 151.* ex Goffredo. Multóque magis *n. 152.* ait, hanc repulsam locum habere in eo, qui accusatus, denuntiatus, inquisitusque composuit se cum Fisco, ut Rota *in Ripana paroch. 23. Junii 1608.* etsi enim inde non videatur resultare confessio delicti (nisi versemur in delicto, super quo habita fuit translatio, ut post alios Farinac. *de inquisit. q. 5. nu. 18.*) remaneat tamen semper maculata hominis fama; cùm etiam ea pecunia succedat loco pœnæ juxta *l. senatus, de jure Fisci.* Atque ex his demum infert Lott. *n. 153.* contra Gl. *in c. fideliorem. dist. 50. V. gratiam,* criminosum pœnitentem correctumque in concursu innocentis huic præferendum, eò quòd

talis sciet magis compati aliis, infirmusque fortior resurgat tum ob præsumptionem contra hunc, juxta c. *qui semel malus. de reg. juris in 6.* tum ob honorem Ecclesiæ conservandum, & scandalum evitandum: frustraque adducitur à Glossa exemplum D. Petri, quia id peculiarem rationem habuit fundatam in judicio ejus, qui errare non poterat, & in cessatione omnis scandali ob claritatem vitæ & miraculorum. Abb. *in c. dubium. de elect. n.* 24. Addit C. de Luc. *ad Trid. loc. cit. nu.* 23. cessante etiam positiva diffamatione ponderanda esse adhuc alia, quæ licèt positivè criminosa non sint, præbent tamen de facto scandalum aliquod, aut saltem modicam ædificationem.

Quæstio 198. *An facta ab Episcopo ejusve Vicario electio minùs idonei ex approbatis, præterito magis idoneo, provisióque parochialis inde secuta, sint ipso jure nulla, ob decretum Trident.* sess. 24. c. 18. *& constitutionis Pianæ?*

REspondeo negativè. Lott. *cit. q.* 31. *n.* 116. citans Ægid. Gonz. Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 225. *& seq.* citans D. Thom. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad dub.* 3. Abbatem. Imol. Franc. Decium *in c. de constitutis. de appell.* Molinam *de Hispanorum primog. l.* 2. *c.* 11. *n.* 15. Covar. Ledesm. & plures decis. Rotæ (in quarum etiam una resolvitur, quòd decretum Concilii Tolet. quatenus annullabat provisionem factam, digno omisso digniore, erat contra jus, & sic egebat confirmatione Apostolicâ) contra Paris. *de resig. l.* 5. *q. ult. n.* 226. Staphil. *de lit. gratiæ in præfat. n.* 15. Joannem Gutierez, & plures alios apud eundem Garc. tenentes clausulam decreti irritantis, qualis adjicitur in Trid. & constit. Pianâ, inducere formam, adeoque actum contra illam factum esse nullum: referuntur quoque pro hac sententia *ibid.* plures Rotæ decisiones. Verum rectiùs Garc. *n.* 235. ait, dictum decretum Concilii & Pii V. irritans non respicere electiones & provisiones factas minùs dignis, sed factas non servatâ aliàs formâ ibi præscriptâ, eo quòd si referendum esset ad tales electiones & provisiones, sequeretur provisiones à collatoribus inferioribus factas electis ab Episcopo minus dignis, propter hanc malam Episcopi electionem esse nullas, cùm tamen tales collatores & institutores nullam habeant culpam, nullámque, ut habet *num.* 237. ferè electionem & provisionem fore certam & securam, adeoque dari locum mille scrupulis, & hinc sententiam nostram esse usui & sensui communi conformiorem. Patétque etiam vel ex hoc ipso, dictum decretum irritans non inducere formam respectu talium electionum factarum minus dignis, adeòque eas minimè ipso jure annullari. quod in ipsa constit. Pii V. specialiter provideatur magis idoneo de remedio appellationis, ubi Episcopus delegerit minus dignum, ut nimirum, dum constiterit de hoc eligentis irrationabili judicio, illud retractetur, ex quo fit, ut interim electio & provisio mero jure teneant, habeántque effectum, usque dum per judicem revocetur. Garc. *n.* 236. Lott. *cit. n.* 116. *& seq.* citans Gonz. *ad reg. mensium gl.* 4. *n.* 139. & Rotam *in Niceensi paroch.* 19. *Martii* 1618. *coram Durano.* Ac denique si talis electio & provisio minus digni ex hoc capite esset nulla vi formæ non servatæ, jam etiam, magis idoneo præterito non appellante, posset ac deberet retractari, ac nulla declarari. Garc. *loc. cit.* Atque ex his jam sequitur talem electum & provisum facere fructus parochiales suos, donec ejus electio & provisio per judicem appellationis revocetur & rescindatur, & consequenter non esse condemnandum in fructibus, nisi ad summum à tempore primæ sententiæ revocatoriæ: ad illud enim usque tempus possidet justè cum justo & legitimo titulo. Garc. *n.* 238. citans Felin. *in c. cùm accessissent. de constit. n.* 33.

Quæstio 199. *An si magis idoneus ex examinatis desistat, nec amplius ad parochiam, in ordine ad quam instituitur concursus, aspiret, Episcopus possit ex ceteris oppositoribus magis idoneum eligere, an verò alius de novo instituendus concursus?*

REspondeo: si desistant ante factam ab Episcopo electionem de magis idoneo, ex ceteris eligendus est melior intra eundem terminum absque novo concursu; nondum enim secutâ dictâ electione finitus est concursus. Si verò cedat vel decedat post factam dictam electionem, non potest eligi alius ex ceteris oppositoribus ejusdem concursûs, utpote qui per dictam electionem semel factam finitus, adeóque opus est novo concursu, novo proposito edicto, in quo Ordinarius habet novum terminum, qui incipit currere à die desistentiæ vel mortis Ordinarii notæ. Ita ferè statuitur per textum *c. si Clerico. de elect. in* 6. Garc. *num.* 222. *& seq.* Conrad. *l.* 3. *c.* 4. *num.* 22. Zerol. *in praxi episc. p.* 2. *V. concursus.*

Quæstio 200. *An si semel examinatus non reperiatur idoneus, possit iterum examinari, & illi tunc reperto idoneo beneficium conferri?*

REspondeo, quamvis affirmativa videatur probabilis, præcipuè quoad beneficia non parochialia, modò in primo examine non fiat declaratio, quâ declaretur examinatus non esse idoneus; quamdiu enim res est integra, nihil prohibet, illi reperto idoneo conferri beneficium, cùm vel sic verificetur illa conditio adhuc apponi solita, & dirigi ad executores gratiæ & literarum Apostolicarum: *Si per examinationem illum idoneum esse repereris.* vide Garc. *p.* 6. *c.* 9. *n.* 253. *& seq.* Contrarium tamen tenendum, ut ait idem Garc. *n.* 255. circa beneficia parochialia, tum quod verba illa; *si per diligens examen illum idoneum esse repereris,* juxta *l. Boves ff. de verb. signif.* ubi latè Tiraq. intelligenda videantur de primo examine: tum quòd in parochialibus, in quibus examen fieri debet à 3. Examinatoribus synodalibus, eo peracto, hi renunciare debeant, an examinatus sit idoneus juxta *cit. c.* 18. vide Garc. *cit. c.* 2. ubi plura utilia de idoneitate exploranda per examen ante institutionem ad parochialia beneficia.

Quæstio 201. *An, & qualiter, dum non apparet vitium in ipsa relatione, secutáque est præelectio Episcopi, hæc inducat præsumptionem majoris idoneitatis in præelecto, donec ea excludatur per probationes contrarias?*

1. REspondeo ad primum affirmativè. Lot. *l.* 2. *q.* 31. *n.* 111. citans Greg. *decis.* 11. *n.* 5. *& 6.* sic *c. in præsentia. de renuntiat.* dicitur

pro

pro judicio Episcopi præsumendum. Vide hanc in rem fusam decisionem Rotæ, quam refert Garc. *p. 9. c. 2. n. 250.*

2. Respondeo ad secundum: non cessare hanc præsumptionem etiamsi appelletur, & per sententiam Metropolitani (à qua iterum appellet præelectus ab Ordinario) revocetur præelectio facta ab Episcopo; nam etsi Metropolitanus per novum concursum certior fieri possit de doctrina, ac sic deprehendere hanc fortè esse majorem in appellante; adhuc tamen per ejus sententiam dicta præsumptio non eliditur, cùm Ordinarius judicare potuerit præelectum à se ex vita & moribus magis sibi notis. Lot. *ibid. n.* 112. *&* 113. Etiam ut C. Luc. *ad Trid. d.* 32. *n.* 22. licèt appellans docuerit, non solùm de majore literatura, sed etiam de aliis qualitatibus in se existentibus, & deficientibus in præelecto, adhuc judicium Episcopi convinci nequeat de irrationabilitate; eò quòd licèt generaliter, & in abstracto habentes ejusmodi qualitates magis digni reputandi sint, quàm carentes illis, hic tamen & nunc adhuc alius iis carens præligi possit ex alio capite, v. g. quia prudentior, populo magis gratus, vel magis proficuus futurus, de nullo crimine diffamatus, &c. Unde etiam rectè Lott. *n.* 114. monet, hanc in rem præ oculis perpetuò habendum, quod docet D. Thom. *22. q. 63. art. 2. ad 3.* nimirum quod etsi eligendus sit magis idoneus, nihilominus quantum ad hoc, ut electio impugnari nequeat in foro judiciali, satis esse bonum eligere, neque oportere eligere meliorem, cùm alias omnis electio habere posset calumniam, ac proinde necessitatem eligendi meliorem referendam esse ad conscientiam eligentis. Unde etiam est, quòd dum appellatur ab Ordinario, admittatur appellatio ad effectum devolutivũ tantùm, non autem ad suspensivum, ut disponit constitutio Pii V. dum verò metropolitanus revocat sententiam, seu factam ab Episcopo præelectionem, ab ejus sententia datur appellatio ad utrumque effectum; non enim censetur dicta constitutio voluisse tollere appellationem ab hac sententia suspensivam; cùm neque id expresserit, neque etiam subsit eadem ratio. Lott. *n.* 119. citans Beltram. Gregor. & Rotam sic latè id explicantem *decis. 537. p. 1. recent. n. 2. & 3.*

Quæstio 202. *An, & quando appelletur à mala relatione Examinatorum, & hinc à provisione parochialis?*

1. Respondeo: non dari appellationem, etiam ad sedem Apostolicam à relatione Examinatorum, nec per eam impediri, aut suspendi quo minus ea executionem habeat, ut dicitur *cit. c. 18.* nec prædictorum Examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio aut appellatio, etiam ad sedem Apostolicam, interposita impediat aut suspendat, quod ipsum etiam intelligendum de appellatione devolutiva ex citato Trid. textu, procedereque tantùm in beneficiis curatis, utpote de quibus solis ibi agit Trident. Rectè ait Garc. *n.* 242.

2. In simplicibus verò, licet electi seu nominati, à quibuscunque personis Ecclesiasticis non debeant institui, nisi prius ab Ordinario examinati & reperti idonei, nullusque se tueri possit appellationis remedio, quominus examen subire teneatur, à relatione tamen & reprobatione Examinatorum, ut dicitur *c. 13. sess. 7.* relinquitur locus appellationis suspensivæ, non obstante *c. 9. sess. 25.* quippe quòd, quatenus se refert ad alia statuta, respicit *citatum cap. 18.* adeoque de beneficiis curatis intelligendum Garc. *num. 243. & seq.* Lott. *l. 2. q. 31. n.* 120. qui etiam *n.* 125. addit circa hæc beneficia non parochialia dubium non esse provisum eorundem cum omnibus inde secutis esse & haberi attentatum, etiamsi de facto non fuerit appellatum, si intra decendium (quod ad appellandum conceditur) processum fuerit, juxta *c. non solum. de appellatione in 6.*

3. Nihilominus tamen etiã in parochialibus juris patronatûs laici concedi appellationẽ (intellige etiam suspensivam) præsentatis, dum unus solus est præsentatus, adeoque concursus locum non habet, à reprobatione Examinatorum, quia talis ex præsentatione habet jus ad parochiam. putat Garc. *n.* 245. Contrarium tamen sentit Lott. *num.* 127. nimirum neque in his (etiamsi necessarius non sit concursus) providendis non admitti appellationem, intrare que rationes prohibitæ appellationis per constitutionem Pii V.

Quæstio 203. *An, qualiter, & quando appelletur à mala Ordinarii electione?*

1. Respondeo ad primum affirmativè: ita enim habet constitutio Pii V. quæ incipit: *In conferendis &c.* & sic censuit S. Congreg. Garc. *n.* 240. & de hac appellatione, non verò de appellatione à reprobatione Examinatorum accipiendus, Paris. *l. 8. q. 9. n.* 104. Zerol. &c.

2. Respondeo ad secundum: hanc appellationem esse solum ad effectum devolutivum, non verò suspensivum, ea namque interposita non impedit aut suspendit, quo minùs executioni detur præelectio Episcopi; neque etiam provisus pendente hâc appellatione est amovendus à parochiali, ut dicitur in constit. Pii V. Garc. *n.* 246. citans Zerol. *ubi supra.* Zech. Genuens. &c. proceditque hoc ipsum, etiamsi contra præelectum, & Episcopi præelectionem per judicem appellationis sit lata sententia, à qua præelectus appellavit; nam hæc secunda sententia non est mandanda executioni pendente appellatione, cum hæc habeat utrumque effectum devolutivum & suspensivum juxta dicta paulo ante Garc. *n.* 247. citans Gonz. *gl. 6. n.* 163. *& seq.* & Gutierez. *l. 2. qq. canon. c. 11. n.* 25. Procedit item, etiamsi Examinatores in approbatione fuerint discordes; supposito enim, quòd tam electus quàm appellans sint de approbatis, nil refert, sive in concordia, sive discordia sint approbati; sed neque ab Examinatorum approbatione aut reprobatione appellatur, sed ab electione Episcopi, in qua non attenditur, an Examinatores fuerint concordes, an discordes in approbatione, sed num ex approbatis electus sit magis idoneus. Garc. *sub num.* 247. contra Gonzal. *gl. 9. in annot. num.* 209. qui pro se citat Paris. *l. 8. q. 9. n.* 104. sed hic solùm ait, *in una Vincent.* resolutum à S. Congreg. quòd detur appellatio à mala Episcopi electione, quoties Examinatores sunt discordes, quod Garc. ait intelligendum de appellatione devolutiva tantùm, non secus, ac si etiam Examinatores fuissent concordes, cum constit. Pii loquatur generaliter & indistinctè. Nihilominùs tamen latâ primâ sententiâ contra possessorem apud Curiam, sequestrandam parochialem juxta *Clem. unic. de sequestratione*

possessionum & fruct. non obstante constit. Pii V. prohibentis, pendente appellatione, provisum amoveri, utpote quæ loquitur in prima sententia Ordinarii.

3. Respondeo ad tertium: tunc dari appellationem à mala Ordinarii electione, quando de cetero servata est forma Concilii, illâ enim non servatâ, electio & provisio est nulla, & parochialis manet Papæ reservata, juxta constit. Pii V. Garc. *num.* 249.

3. Respondeo ad tertium secundò, ad hoc, ut appellare quis possit, appellánsque possit in secunda instantia provocare ad novum examen, necesse non est, ut prius doceat de fumo læsionis, seu gravaminis, deque dolo & irrationabili judicio Episcopi. Garc. *n.* 252. licet enim, ut ait Gonz. *gl.* 4. *n.* 114. citatus à Garc. *n.* 157. dixerit semel Rota, quòd ad hoc, ut appellans possit in secunda instantia provocare ad novum examen, debeat prius docere de fumo gravaminis, & aliàs audiri non debeat. S. tamen Congreg. Tridentini postmodùm *in una Pistorien.* sensisse contrarium; eò quòd aliàs ligarentur manus appellanti, ne docere possit de gravamine, cùm acta examinis primæ instantiæ ita sæpe componantur, ut ex iis de dicta irrationabilitate, adeóque gravamine apparere nequeat: nec non redderetur frustranea constitut. Pii V. illiusque litera & mens violaretur, quæ id non dixit, nec intendit (cum clausula in illa adjecta: *constituto de prioris eligentis irrationabili judicio:* id solùm velit, & operetur, ut irrationabilitas hæc antè non justificetur, quàm sit bene liquida. Lott. *l.* 2. *q.* 31. *n.* 118. quin & quæ ita disponit, concedendam appellationem, ut in examine secundæ instantiæ liqueat de rationabili vel irrationabili judicio Episcopi: multum enim, ut Menochius *de arbit. cas.* 67. *n.* 3. *& cas.* 69. *n.* 4. & alii, ad judicandum, an electus sit magis idoneus, valet judicis superioris arbitrium pensatis & consideratis omnibus. Observandum tamen, quod prudenter monet Card. Luc. *ad Trid. d.* 32. *n.* 24. ut non nisi pro facti qualitate & circumstantiis prudenti arbitrio pensandis circumspectè hujusmodi provocationes, etiam dum fiunt apud Curiam ad novum examen admittantur; cum sæpe istiusmodi animosæ provocationes sint affectatæ, ut nimirum præelectus, cui ratione ætatis vel valetudinis, aut aliunde difficile est adire Curiam pro novo examine, cogatur sic indirectè cedere jure suo, ac ita parochiam assequatur rejectus.

5. Sed neque opus est, ut appellans priùs, aut etiam absolutè doceat de dolo Episcopi, sed satis est, ut per examen factum coram judice appellationis & ejus Examinatoribus constet de mala electione. Garc. *loc. cit. n.* 252. Appellatio namque conceditur ad corrigendum gravamen, non solùm ex dolo & intentione, sed reipsa illatum. Abb. *in c. suggestum de appellatione n.* 3. Franc. *ibid. not.* 2. cum aliis. neque Examinatores secundæ instantiæ, attento examine ab iis facto de literatura, & visis informationibus super moribus & vita, prudentiâ, aliisque qualitatibus appellantis & appellati renuntiare debent, num Episcopus dolosè egerit; sed solùm, quis eorum sit magis idoneus (secùs quam Examinatores primæ instantiæ, quorum, ut dictum, est, judicare tantùm, an examinati sint idonei, judicio de majore idoneitate relicto Episcopo.) ad hoc enim coram illis fit novum examen, quo facto, judex appellationis debet parochiam adjudicare judicato magis idoneo à dictis suis Examinatoribus. revocatâ priore ab Episcopo factâ electione. Garc. *loc. cit.* ubi etiam subdit, quod si vota horum Examinatorum secundæ instantiæ sint paria v. g. duo judicent, appellatum esse magis aut æquè idoneum, & duo judicent, appellantem esse magis aut æquè idoneum: vel si sint singularia, judex appellationis accedere possit, quibus magis videbitur arbitrio boni viri, quod tamen videtur mihi durius, cum præelectus ab Episcopo sit in possessione præelectionis suæ factæ ab Episcopo.

6. Observat insuper Garc. *ibid.* primò, qualitates v. g. doctoris, sacerdotis, diœcesani, pauperioris, senioris ætate &c. quas ex processu primæ instantiæ constat inesse appellanti & non appellato, dum aliàs essent judicati æquè idonei, adhuc non sufficere, ut appellanti absque novo examine sit adjudicanda per judicem appellationis parochiæ, cùm Episcopus ex aliis potuerit judicare appellatum esse magis idoneum.

7. Observat secundo juxta constitutionem Pii V. à relatione Examinatorum secundæ instantiæ, in effectu dari appellationem etiam suspensivam, ex quo jam possit appellari à sententia lata per judicem appellationis, utpote quæ fundatur in relatione Examinatorum.

8. Observat tertiò: *n.* 253. ex Gonz. *Gl.* 31. *n.* 51. quod Auditor Rotæ, cui commissa est causa appellationis vi *Clem. auditor. de rescrip.* non possit appellanti in causa obtinenti, seu judicato magis idoneo conferre parochiam vacantem mense Apostolico; seu aliter reservatam, nisi ad hoc habeat specialem à Papa commissionem, eò quòd Auditor Rotæ in casu *dictæ Clem.* succedat in locum Ordinarii juxta Cæsar. de Graf. *decis.* 14. *de præb. n.* 9. adeóque sicut is in hoc casu reservationis eligere solùm poterat, ita & ille.

9. Observat denique *n.* 254. quòd etiamsi appellatus cedat vel decedat, seu obtineat aliud beneficium incompatibile, antequam coram judice appellationis sit factum Examen, perseveret adhuc jus appellantis, possitque illud prosequi, eò quòd licet in hoc casu electus non possit provocari, & vocari ad novum examen, cùm jus ejus jam exspirârit per dictam ejus cessionem, possit tamen per Examinatores aliter explorari major minórve appellantis respectivè ad appellatum idoneitas v. g. per testes, habentes notitiam literaturæ, aliarúmque qualitatum utriusque, ubi enim forma præcisè servari & impleri nequit, sufficit actum facere eò modò quo fieri potest. Quin &, si verum est, quod tenuit aliquando Rota apud Garc. *n.* 233. (cujus tamen contrarium supradictum à nobis) nimirum electum teneri restituere appellanti in causa obtinenti fructus, saltem perceptos post motam litem, posset (nisi illis cederet) ratione illorum vocari in novum examen.

Quæstio 204. *Quo fructu fiant similes appellationes?*

REspondeo: raros esse casus, in quibus speratus fructus obtineatur, hoc est, irritatâ præelectione Episcopi, parochia decernatur appellanti, & ab eo adeatur; eò quòd istiusmodi appellationes, quæ ex fervore exclusionis de facili interponuntur, difficillimam habeant prosecutionem, non solùm ob præsumptionem, quæ stat pro Episcopi judicio, quod difficillimum, ut dictum, convincere irra-

irrationabilitatis; sed etiam, quia, dum non causant effectum suspensivum, impediuntque prælectum, quo minùs is possessionem beneficii adipiscatur, & in eo ministret, necesse est prosequi causam appellationis in judicio ordinario per tres sententias conformes, & frequenter etiam per quartam executoriam, quod magnam temporis & pecuniæ jacturam requirit, magnáque secum trahit incommoda. ita ferè C. Luc. *ad Trid. d. 32. n. 20.*

Quæstio 205. Cujus sit habere & indicere concursum?

1. REspondeo primò, indubitatò hoc esse Episcopi ejus diœcesis, cujus sunt parochiæ, pro quibus instituitur concursus, ut constat ex Trid. *cit. sæpe c. 18.* indubitatoque hæc potestas habendi concursum respicit ipsam potestatem Episcopalem, à qua animarum cura dependet. Lott. *l. 2. q. 31. nu. 44.*

2. Respondeo secundò esse etiam hanc potestatem faciendi concursum, & consequenter ex approbatis eligendi digniorem penes Vicarios generales Episcoporum. Corrad. *l. 3. c. 3. sub num. 10.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 117.* Et quidem ex generali commissione sine speciali mandato; regulariter namque potest Vicarius ex generali commissione ea, quæ sunt jurisdictionis, nisi specialiter excipiantur, qualiter non excipitur celebratio concursûs. Garc. *ibid. & p. 5. n. 8.* procedítque idipsum etiam, ubi esset locus gratificationi inter plures approbatos æquè idoneos. Garc. *ibid. & cit. c. 8. n. 88.*

3. Respondeo tertiò: esse quoque penes capitulum sede Episcopali vacante potestatem indicendi & habendi concursum, cùm hæc potestas sit jurisdictionis, qualia sunt omnia concernentia ordinationem Ecclesiarum, quæ proinde sede vacante transeunt ad Capitulum (quicquid sit respectu ponendi œconomi, de quo vide Lott. *l. 2. q. 2. n. 30.*) Idem Lott. *l. 2. q. 31. num. 66. & seq.* C. de Luc. *ad Trid. d. 32. n. 30.* ubi tamen advertit juxta S. Congreg. declarationes, debere id facere Capitulum per Vicarium à se pro tempore sedis vacantis deputatum: nec posse id sibi reservare, ac per se capitulariter, vel etiam per aliquos Canonicos ad id deputatos hujusmodi actum celebrare.

4. Respondeo quartò: esse etiam hanc potestatem penes Abbates, qui præterquam, quòd nullius sint diœcesis, habeantque proprium distinctumque territorium, omnimodamque in eo jurisdictionem quasi Episcopalem (ad quam proinde etiam jus synodum convocandi spectat, hoc enim ipsum est jus Episcopale. Corrad. *loc. cit.*) privativè, ita ut Episcopus ibi jurisdictionem nullam exercere possit, nulli nisi sedi Apostolicæ immediatè subjecti (quos vel ex hoc ipso, quod eis competant omnia, quæ Episcopo in suo territorio, exceptis, quæ sunt ordinis, non malè vocari diœcesanos, ait Lott. *loc. cit. n. 36.* juxta Gl. *in Clem. unic. de foro competente V. diœcesanis*) habent usum insuper congregandi synodum, dum constat hanc ab iis legitimè celebratam, & in ea Examinatores synodales constitutos, prout declarat S. Congreg. *ad cit. c. 18. Tridentini.*

5. Respondeo quintò: indubitatò etiam, ut ait Lott. *loc. cit. n. 39.* facultas hæc pertinet ad eum, qui lite pendente inter Episcopum & alium talem prælatum inferiorem super hac ipsa jurisdictione subrogatur tantisper per Papam.

6. Respondeo sextò: quòd si Parochialis nullius sit diœcesis, nec in diœcesi, ut tamen servetur forma Tridentini, Episcopus vicinior concursum indicet & habebit. Ita responsum à S. Congreg. testatur Lott. *loc. cit. n. 63.*

7. Respondeo septimò: hanc potestatem non esse penes Patriarchas, respectu parochialium existentium in diœcesi Episcopi provinciæ suæ, etiam dum earum collatio ad eos spectat, sed debet tum quoque haberi concursus per istum Episcopum, in cujus diœcesi sunt istæ parochiæ, & dein conferri à dictis Patriarchis non nisi illis, qui approbati & examinati per concursum fuerunt ab Examinatoribus synodalibus istius Episcopi, qui & ipse jus habet tantisper constituendi in illis Vicarium cum congrua, donec provideantur de Rectore. Eadem S. Congregatio *ibidem.*

8. Respondeo octavò: Abbati multo minùs, alterive ulli collatori inferiori competit hæc potestas, aut ullam hujus Officii partem attingere licet, eadem S. Congreg. *ibidem*, recitátque has ipsas declarationes & alias plures Paris. *de resign. l. 8. q. 9. num. 93.* & ex eo Corrad. *loc. cit.* Porrò dum circa collationes hujusmodi parochialium locus est præventioni inter Ordinarium & alium quempiam collatorem inferiorem, per hoc, quòd solius Ordinarii sit, habere concursum, non aufertur, nec impeditur jus illud præveniendi in altero; poterit siquidem juxta suggestam ei à sacra Congregatione cautelam hac ratione jus suæ præventionis tueri: nimirum coram Notario, declarando, se velle dictam parochiam conferre, & ideo rogare Episcopum, ut edicta pro concursu proponat: vel curando fieri instrumentum publicum, in quo sit assumptus certus dies, & in quo protestetur, se in ea ipsa Ecclesia conferenda Ordinarium seu Episcopum prævenire, ipsamque illi conferre, quem Episcopus ideoneum elegerit, ex iis, quos Examinatores approbârint, ac ideo se ei denuntiare, ut edicta proponat, curetque examen fieri suo tempore. Has Congregationis declarationes ex Paris. *loc. cit. n. 102.* refert Corrad. atque se ita vidisse & audivisse pluries practicari.

Quæstio 206. In quibus casibus ritè provideatur parochialibus absque concursu?

1. REspondeo in sequentibus: primus, dum resignatur parochia in favorem alicujus coram Papa, seu in manibus Papæ, admittitúrque ab eodem; sufficit enim tunc resignatarium ab Examinoribus synodalibus probari idoneum. Corrad. *l. 3. c. 3. n. 5.* Paris. *l. 10. q. 7. n. 15.* testantes sic quotidie practicari, hunc esse notissimum stylum, ac ita sæpe respondisse S. Congregationem, cujus quamplurima responsa clarissima ex Parisio recitat ad fusum Corrad. Sed neque in hoc casu dicitur propriè vacare beneficium. Barb. *de potest. Episc. alleg. 60. n. 21.* Cassad. *de renunc. decis. 3.* Corrad. *loc. cit.* qui pariter pro hoc citat binas S. Congreg. declarationes claras. committuntur autem in hoc casu provisiones Ordinariis, qui examinatis resignatariis & repertis idoneis parochiales hujusmodi conferant, ut quoque habet S. Congreg. apud Corrad. *loc. cit.* dum enim resignatarius neque est in Curia Romana præsens, neque ad eandem transmisit testimonium suæ idoneitatis, expediuntur literæ in forma *dignum*, quas acceptas resignatarius præsentet suo Ordinario, ut examinetur tantummodò ab Examinatoribus synodalibus cum Ordinario citra omnem concursum. Contrarium verò est, & exigitur concursus, dum parochiale beneficium resigna-

signatur simpliciter, seu ad nullius favorem, atque ita vacat etiam in ipsa curia. Mareschot. *variarum resol. l. 1. c. 52. n. 6.* Corrad. & Barb. *loc. cit.* & de hac resignatione simplice intelligendum est Trid. dum ait & vult, parochiali, quæ vacaverit, etiam in ipsa Curia, providendum de Rectore per concursum Barb. *loc. cit. n. 22.* quamvis Corradus tamen asserat, citetque pro hoc Gonz. *Gl. 6. nu. 116.* Piacef. *in praxi Ep. p. 2. c. 5. n. 9.* quòd quando parochialis Ecclesia vacat, in Curia seu apud sedem, sive per obitum, sive per resignationem simplicem aut cessionem, vel dimissionem, ex stylo Datariæ conferri talia beneficia sine concursu, præmisso solo examine super sufficientia. Secùs etiam est, dum collator est inferior Papâ; tunc enim resignatione factâ in ejus manibus, fieri debet examen per concursum, & nisi resignatarius in eo judicatus fuerit ceteris aptior, vel certè non minùs aptus, ei fieri non potest collatio, eò quòd sic colligatur ex Concilio, in quo collator inferior non potest dispensare. Less. de jure & just. *l. 2. c. 34. n. 84.* sed quomodo hæc subsistunt; dum coram inferiore collatore fieri nequit resignatio in favorem, seu designari resignatarius.

2. Secundus, dum per Papam Romæ præsenti providetur de parochia vacante in partibus Sedi Apostolicæ reservata; sufficit enim talem examinatum & idoneum repertum ab Examinatoribus in Urbe deputatis; quia dum ex Papæ commissione quis examinatus & approbatus fuit Romæ, debet haberi tanquam si fuisset examinatus & approbatus per concursum, ut tenent & referunt ex declar. S. Congreg. Garc. *p. 9. c. 2. nu. 160.* Zerol. *V. parochia §. 2. dub. 5. p. 1.* Riccius *in praxi fori Eccl. decis. 416. n. 2.* ad Corrad. *lo. cit.* qui testatur passim videri, & diu observatum Romæ, sic fieri, idque non obstante Trid. absolutè mandante fieri examen per concursum circa parochiales vacantes per obitum vel resignationem, etiam in Curia, nec non, etiamsi ipsa parochialis sit reservata vel affecta; congruum esse clementiæ Pontificis; eò quòd si in hoc casu opus concursu in partibus, Curiales beneficia parochialia sic vacantia in partibus obtinere vix unquam possent, etsi essent eximiæ doctrinæ ac morum integerrimorum, utpote qui non sine magnis incommodis & sumptibus frustra ferè impensis ob locorum distantiam venirent post habitum concursum.

3. Tertius, dum providentur etiam ab Ordinario resignantes parochialia beneficia permutandi gratiâ; non tantùm ubi ambo beneficia sunt curata & paria, sed etiam dum unum est simplex aut curatum disparis conditionis cum alio curato. Garc. *p. 9. c. 2. n. 61.* citans Zechum *de rep. Eccl. c. 8. de paroch. n. 6.* Paris. *l. 8. q. 9. n. 95.* contra Less. *l. 2. c. 34. n. 85.* docentem opus esse examine per concursum, si fiat permutatio parochialis cum simplice, vel cum alio parochiali dispari, seu requirente majorem industriam. Sed neque opus est in hoc casu permutantes subire novum examen absque concursu coram Examinatoribus synodalibus, dum ambo beneficia sunt curata & paria: secùs dum simplex mutatur cum parochiali; vel etiam si essent curata inæqualia notabiliter ob numerum parochianorum, vel simile quid: aut etiam, si dum antea parochiales adepti examen non subierunt Zech. Paris. Corrad. Garc. *loc. cit.* qui postremus etiam hanc in rem præter eam S. Congreg. declarationem, quæ habetur de hoc ad *cit. c. 18. Trid.* recitat plures alias, & *n. 166.* addit, quòd valdè probat Corrad. expedire, dum in similibus permutationibus requiritur ob dictas causas novum examen, id fieri ante resignationem, ne fortè postea inveniantur non idonei. Porrò in permutationibus factis coram Papa, semper committitur in forma *dignum*, nisi mittatur approbatio Ordinarii cum Examinatoribus synodalibus ad parochias, quæ permutantur, aut ad parochias in communi, aut nisi permutantes sint Romæ examinati. Garc. *n. 167.* & ex eo Corrad. *loc. cit.*

4. Quartus, præsuppositio, quòd alicubi à tempore, cujus initii non est memoria, Parochi Ecclesias parochiales pro tempore vacantes optare consueverunt, respondit Congregatio, non esse per Concilium sublatam ejusmodi consuetudinem, & in illis parochialibus, quæ optantur, non esse necessarium examen per concursum, ut in decreto de permutationibus, quia omnes sunt examinati per concursum cum ultimis, & qui de novo admittitur per concursum sit examinandus. ita verbotenus aliqua declaratio S. Congreg. apud Garc. *cit. c. 2. n. 165.*

5. Quintus providetur parochiali absque concursu, dum ob non servatam in ejus provisione ab Ordinario formam Trid. vel constit. Pianæ parochia reservata fuit Papæ juxta ipsa verba *cit. constit.* Corrad. *l. 3. q. sub n. 5.* qui tamen observat, id tenere, dum parochialium istiusmodi institutio, dum sunt juris patronatûs, non spectat ad inferiorem Episcopo, si enim institutio facienda est ab alio quàm Episcopo, vult Concilium, ut Episcopus solus eligat digniorem, quem dein patronus præsentet illi, ad quem spectat institutio, relinquiturque eisdem inferioribus libera conferendi facultas in casibus non observatæ prædictæ formæ, possuntque disponere in dictis casibus de parochialibus absque concursu; non enim ipsis ob culpam Episcopi, qui dictam formam servare tenebatur & non servavit, inferri debet præjudicium. ita ferè Corrad. citans Gonz. *Gl. 6. n. 126.*

6. Sextus: dum per Papam, vel etiam alium inferiorem Episcopo collatorem providetur alteri ab eo, qui in concursu habito fuerat approbatus & ab Ordinario electus, nimirum dum is intra quadrimestre à die vacationis non exhibuit Papæ aut alteri, ad quem collatio spectat, testimonium Ordinarii de sua approbatione in ordine ab obtinendam collationem, adeóque propter hanc formam, quæ exprimitur in *cit. constit.* Pii V. non servatam, collatio fieri potest alteri. Corrad. *loc. cit.* Gonz. *n. 131.* Vivian. *in praxi jurispat. l. 10. c. 1. n. 57.* quamvis, ut ait Corrad. sæpe visum, ut nihilominus non obstante dicto lapsu temporis facta adhuc fuerit collatio personæ eidem electæ, priùs post quadrimestre elapsum exhibenti dictum testimonium, refertque pro hoc exemplum, uti & testimonium in simili. Massob. *in praxi habendi concurs. requisito 6. n. 1. & 2.* significat quoque Corrad. in formata, quâ conceditur tertio alicui parochia talis ob non significatam intra 4. menses personam præelectam, tertium talem debere fuisse aliàs per Examinatores synodales approbatum.

7. Septimus, dum Ecclesia parochialis unita est dignitati, vel Canonicatui, modò hæc unio facta authoritate pontificiâ perpetuò (si enim facta ad tempus, pro tempore dissolutæ iterum unionis, rediret talis parochia ad naturam suam esétque locus decreto Trid. Lott. *l. 2. q. 31. n. 32.* & accessorie

riè in ejus provisione, seu in provisione dignitatis, v. g. præposituræ, non requiritur concursus; amittit siquidem, ut dictum supra, tale beneficium curatum naturam suam, induens qualitatem beneficii principalis. Corrad. *loc. cit.* Garc. *p. 9. c. 2. n. 192. & seq.* referens sic declaratam à S. Congreg. Gonz. *cit. gl. 6. num. 162.* apud eundem Less. *l. 2. c. 34. n. 82.* secùs autem est, & opus est concursu, ubi parochialis esset unita dignitati vel Canonicatui æque principaliter, qualiter, ut ait Corrad. *loc. cit.* dicitur fieri unio, dum duo beneficia ad invicem uniuntur, ita ut ex duobus fiat unum duntaxat, uno alteri sua privilegia & bona communicante. Garc. paulò post citandus. Item dum cura citra factam talem unionem pertinet ad unum Canonicum ratione sui Canonicatûs, cui ea annexa est, in provisione talis Canonicatûs, namque dum ad Capitulum spectat collatio hujusmodi Canonicatûs, habendus est concursus. ita censuit S. Congregatio *in una Segovien si* apud Garc. *loc. cit. n. 289.* & Corrad. *loc. cit.* unde etiam, dum cura animarũ incumbens toti Capitulo transfertur (prout fieri potest ab Episcopo de consensu Capituli) in certam dignitatem vel Canonicatum talis Ecclesiæ, adhuc opus erit concursu in provisione dignitatis vel Canonicatûs, ex mente ejusdem S. Congregationis, cujus declarationes desuper citant iidem AA. ac denique per Garc. *cit. c. 2. n. 191.* faciendus quoque videtur concursus in provisione beneficii simplicis alicujus Ecclesiæ parochialis habentis de per se administrationem & exercitium curæ in aliquo loco dictæ parochialis.

8. Octavus, in provisione dignitatum habentium curam animarum (intellige citra omnem etiam unionem incorporati sibi beneficii parochialis, aut curati) in Ecclesiis collegiatis faciendus non est concursus juxta *c statutũ. de elect. in 6.* & S. Congreg. declarationem apud Garc. *loc. cit. num. 195.* & Corrad *sub n. 5.*

9. Nonus dum cura animarum exercetur in Collegiata per plures, nimirum per Canonicos, aut hebdomadarios; eò quòd, cùm cura non sit expressè alicui in particulari commissa, quilibet eam ibi exerceat (in quo casu etsi collegiata talis simul sit parochialis, non dicitur tamen curata aut parochialis. Corrad. uti nec isti Canonici, & alia beneficia illa dicuntur curata. Garc. *p. 9. c. 2. n. 175.* citans Felin. *in cap. in nostra de rescript. Corollar. 10.* Staph. *de lit. gratiæ, tit. de qual. benef. quæ sunt curata n. 11.* Hojed. *de incomp. benef. c. 13. nu. 7.* Quintanadv. Ecclesiasticon. *l. 4. n. 69.* Rebuff. & alios) in provisione istorum Canonicatuum, aliorumque istorum beneficiorum opus non est concursu. Card. Luc. *de paroch. d. 37. n. 37.* Corrad. *l. cit.* Garc. *n. 180.* Paris. *l. 8. q. 6. num. 93.* cum aliis, quos citat, aitque in hoc casu non procedere decretum illud Trid. *cit. c. 18. etiamsi cura Ecclesiæ incumbere dicatur, & per unum vel plures administretur &c.* & sic censuisse sacram Congreg. *in una Neapolit. Hebdomadarii S. Jõannis Maj. 15. Calend. Aug. 1569.* uti etiam pro hoc aliam dictæ S. Congregationis declarationem ad *cit. c. 18.* recitat Garc. & inde ait, decretum Concilii de concursu faciendo non videri receptum, seu intellectum ex authoritate Papæ (nimirum Pauli V. ut Corrad. & S. Congreg. quoad beneficia, quorum cura per plures administratur, præsertim in Ecclesiis Collegiatis & Cathedral. tametsi autem tenuerit Navarr. *consil. 8. de privil. n. 9.* quod si Canonici & Capellani hoc ipso quod fiunt Canonici & Capellani à Capitulo vel alio habent annexam facultatem exercendi curam, non possit Episcopus eos examinare, & secus, si insuper requiritur alia ad exercendam curam deputatio. Nihilominus rectius dicitur, posse Episcopum & Canonicos dictos & Capellanos examinare, & iis non permittere absque sua approbatione exercere curam, licet ab immemoriali tempore per eos cura absque Episcopi examine & approbatione exercita fuisset, propter plures manifestas super hoc declarationes S. Congregationis, quas recitat Corrad. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n. 182. & seq.* qui tamen addit *n. 188.* quòd si tamen Episcopus eis non inhibuerit, ne aliàs curam exerceant, posse illos eam exercere sine examine & approbatione, quando non requiritur deputatio.

10. Decimus non providetur parochiali per concursum, quando illa est juris patronatûs laicalis, sed præsentatus à patrono simpliciter examinatur ab Examinatoribus synod. & ubi repertus idoneus, instituitur. Trid. *sess. 24. c. 18.* ac ita sæpè respondit S. Congreg. *super cap. 18.* Vide Corrad. *loc. cit.* Garc. *num. 255.* Less. *l. 2. c. 34. n. 58. & 81.* Lot. *l. 2. q. 31. n. 131.* Est autem hoc ipsum sic limitandum, ita ut locum non habeat primò in parochia, quæ fuit juris patronatus laicalis, dum verò de consensu patroni unita fuit beneficio liberę collationis, effecta enim per hoc est libera. Corrad. citans Rotam *in una Utrabonen si concursus de 1. Julii anno 1611.* secundò dum juspatronatûs laicale non competit ex fundatione, constructione, dotatione vel donatione, sed tantum ex privilegio aut consuetudine, aliove modo, loquendo tamen de iis juribus patronatûs ex privilegio, vel consuetudine, quæ sunt de revocatis (qualiter ea absolutè revocata esse supponit Corrad.) nempe per Trid. *sess. 25. c. 9.* vide Garc. *loc. cit. n. 258.* Tertiò: dum plures sunt præsentati æqualiter (nam dum unus habet plura patronorum suffragia, hic solus examinandus absque concursu & instituendus; si idoneus repertus. Garc. *n. 257.* Lamb. *l. p. l. 2. q. 10. a. 3. n. 17.* Guttierez *l. 2. q. 11. n. 20.* & alii apud Garc. Lott. *cit. q. 31. n. 130.*) à patrono laico, vel à patronis laicis: requiritur enim tunc examen per concursum inter ipsos præsentatos tantum, & Episcopus eum eliget, quem magis idoneum judicaverit, eumque & non alium instituet. Ita S. Congreg. apud Corrad. *loc. cit.* & juxta eam Gonzal. *gl. 6. n. 138.* Garc. *n. 256.* Vivian. *in praxi Jurisp. l. 10. c. 1. sub n. 59.* Burat. *decis. 942. num. 2.* dum autem nominatus à majore parte inhabilis declaratur, & alter nominatus à minore parte habilis, hic utique præferendus est, quia jam prioris præsentatio, quia facta de inhabili, est nulla. Corrad. citans Rotam *in una Pampilon. 13. Jan. 1591.* Porrò lite pendente super jure patronatûs, seu præsentandi, Episcopus manutenendus est in possessione conferendi parochias per concursum. Garc. *cit. c. 2. n. 259* citans Rotam *in una Portugalen. juris præsentandi. de 3. Novembris An. 1599.*

11. Undecimus: idem dicendum videtur, dum parochialis est juris patronatûs mixti, nimirum opus non esse in ejus provisione concursu, dum patronos habet partim Ecclesiasticos, partim laicos; tametsi enim contrarium manifestè habeat S. Congregatio, quam refert Riccius, *in praxi fori Ecclesiastici. decis. 420. n. 2.* apud Corrad. (ubi etiam dicitur, etiamsi patronatus pro duabus partibus pertineat ad laicos, & pro una tantùm ad Ecclesiasticos, adhuc faciendum concursum) item alia, quas refert Garc. *n. 278.* qui etiam *n. sequenti* hanc affert rationem,

tionem, quòd hoc sit in favorem Ecclesiarum, ut nimirum sic melius eis provideatur, attendatur autem qualitas Clericalis, & hæc prædominari debeat præ laicali, dum ex hoc resultat favor, decus est commodum Ecclesiæ juxta Lamb. *p.* 1. *l.* 1. *q.* 1. Zerol. &c. adeóque concludit & huic sententiæ inhæret, quòd quoad effectum habendi concursum in provisione dictarum Ecclesiarum jus patronatûs mixtum censeatur Ecclesiasticum, etsi *n.* 284. dicat, quoad effectum reservationis earundem Ecclesiarum jus patronatûs mixtum censendum laicale. adhuc tamen non requiri in dicto casu concursum tenet Corrad. *loc. cit.* ob ejusdem S. Congregationis declarationem post alias emanatam, nempe 5. Febr. 1628. quæ sic habet: *S. Congregatio Cardinalium interpretum Conc. Tridentini censuit in collatione parochialis Ecclesiæ juris patronatûs mixti non requiri formam examinis per concursum.* Hanc declarationem dicit Corradus referri à Barb. inter constitutiones & decreta post suas additiones *ad tr. de potestate Episcopi fol. sibi* 60. ubi dicat Barbosa corrigendum, quod ipse priùs tenuerat *de potest. Episc. alleg.* 60. *n.* 17. testatúrque ipse Corrad. juxta hanc posteriorem declarationem se vidisse & audivisse sæpe practicatum, testarique idem Vivian. *in praxi jurisp. in addit. ad c.* 1. *l.* 10. *n.* 34. ac denique concludit Corrad. id certum esse, ubi mixtura fuerit æqualis; si autem pars Clericorum patronorum fuerit major & prædominans, habendum adhuc concursum, citátque pro hoc posteriore Burat. *decis.* 103. *num.* 9. Ricc. *decis.* 420. de cetero, dum parochialis est juris patronatûs merè Ecclesiastici, res est indubitata, habendũ esse concursum, ita ut si institutio ad Episcopum spectet, is, quem patronus digniorem inter approbatos judicabit, Episcopo præsentari teneatur, ut ab eo instituatur; cum verò institutio ab alio quàm Episcopo facienda, tunc Episcopus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem spectat institutio. ita verbotenus Trid. *cit. c.* 18. servandumque est hoc decretum habendi concursum, etiam dum institutio ad exemptos, etiam ad Abbates, ut habet expressa declaratio S. Congreg. *ad cit. c.* 18. spectet; item etiamsi ea spectet ad Papam, dum nempe in mensibus reservatis Papæ vacaverit Parochialis; tunc enim Ordinarius ipse nullâ habita ratione patronorum debet concursum instituere, & idoneum eligere, ac Romam mittere instituendum cum fide Ordinarii, sicut in aliis curatis, ut habet eadem Congregatio ibidem. Item servandum, dum jus Patronatûs spectat ad ordines militares, etiam eos, qui propriè religiosi non sunt, uti respondit dicta Congregatio Regi Lusitaniæ apud Garc. *loc. cit. n.* 263. quia censuit hoc jus patronatûs Ecclesiasticum; servandum tamen non est, si concursus repugnaret institutioni fundatoris Ecclesiastici: servanda enim tunc est lex seu forma in fundatione posità juxta *c.* 5. *sess.* 25. Trid. & juxta declarationem S. Congreg. *ad cit. c.* 18. nisi forsan institutio spectaret ad Papam, tunc enim nullâ habitâ ratione patroni & fundatoris servandum quod paulò ante dictum. Porrò dum duo æquè idonei judicati fuerint, poterit patronus Ecclesiasticus gratificari uni cui voluerit ex illis, & ista gratificatio nequaquam spectabit ad Ordinarium, etiamsi ad eam spectet institutio, ut habet eadem Congregatio *ad c.* 18. & ita tenent Garc. *n.* 266. & quos citat Zerola, Genum, Azor. &c. Ac denique probabilius censet *n.* 269. quòd dum patronus talis præsentat ex dignis minùs dignum, teneatur adhuc eum instituere Episcopus, cùm ad instituentem non spectet electio, nisi fortè in termino edicti pro institutione, seu saltem ante institutionem se opponeret alius ex approbatis, dicens sibi tanquam magis idoneo conferendam parochialem, tunc enim, si de eo constet ex relatione Examinatorum facta vel facienda, hic oppositor erit instituendus, nisi iterum aliud quoad hoc habeat fundatio.

12. Duodecimus in parochiis litigiosis vacantibus: tunc enim si alter collitigantium cedat vel decedat, sive sit in possessione parochialis, sive non, eò quòd tunc Ordinarius nequeat subrogare alium, ne collitigantes multiplicentur, aut collitiganti supervenienti præjudicium inferatur, cessat concursus. Corrad. citans Barbosam *de potestate Episcopi alleg.* 60. *nu.* 37. Hoc ipsum tamen limitat Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 70. ex mente S. Congregationis die 23. Junii Anno 1594. sic inquientis: *decretum Tridentini c.* 18. *sess.* 24. *de concursu faciendo super parochialibus locum habet etiam, quòd parochiales litigiosæ sint, quando in iis S. Pontifex noluerit collitigantem subrogare* (uti aliàs ut plurimum fieri consuevit etiam à Papa, juxta *regulam Cancell. de collitigantibus.* Gonz. *ad reg.* 8. *Gl.* 6. *num.* 144.) *verùm jus de mortui in alium transferre, nisi constet sanctitatem suam voluisse dicto decreto Concilii derogare.* Porrò ubi uterque collitigantium obierit, providebitur parochiali per concursum. Corrad. citans Puteum *decis.* 353. *n.* 1.

13. Decimus tertius: in beneficiis parochialibus & curatis regularibus non est faciendus concursus, idque ex mente etiam S. Congregationis expressè asserentis, Concilii decretum locum non habere in beneficiis regularibus, quæ regularibus conferri consueverunt, quod dein confirmatum per breve Sixti V. apud Rodriq. *in collect. privileg. reg. Bulla* 22. *Sixti V.* Garc. *loc. cit. n.* 197. citans etiam plures desuper Rotæ decisiones. Gonz. *cit. Gl.* 6. *n.* 162. Zerol. *in praxi Ep. p.* 1. *V. parochialis.* §. 5. *n.* 18. Barb. *loc. cit. alleg.* 60. *n.* 33. & alii apud Corrad. *sub cit. n.* 5. Idemque tenet, etiamsi talia beneficia regularia sint solita commendari sæcularibus. Garc. *n.* 199. Corrad. *loc. cit.* Barb. *n.* 34. proferentes hæc S. Congregationis verba: *censuit S. Congregatio, in prioratibus regularibus habentibus curam animarum, solitis commendari sæcularibus, non requiri concursum: requiri tamen concursum, si sæcularibus conferantur beneficia curata regularia.* Asserit Riccius *in praxi fori Eccl. decis.* 421. *n.* 1. apud Corradum.

14 Decimus quartus: si adeò tenues reditus parochialis fuerint, ut examinis per concursum operam non ferant, aut nemo sit, qui velit se isti examini subjicere, aut ob apertas factiones & dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facilè graviores rixæ & tumultus possent excitari, poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire, arbitrabitur, hâc formâ missâ, privatum aliud examen adhibere, ita ferè verbotenus ipsum Concilium *cit. c.* 18. sed neque his obstare videtur, quod ait S. Congregatio ad *dictum c.* 18. *examen concursûs in parochialibus est necessarium, etiam in illis locis, ubi sunt factiones & partialitates, ob quas timentur scandala in concursibus peragendis.* Vide desuper etiam alias S. Congregationis declarationes apud Corrad. & Garc. *n.* 220. Adhibendos tamen etiam in istiusmodi parochialium exigui proventûs provisionibus concursus, habet Barb. *cit. alleg.* 60. *n.* 38.

15. Decimus

15. Decimus quintus, opus non est concursu, sed nec examine, dum quis acquirit parochialem per regressum, qualis ex stylo Curiæ solet resignanti reservari, & concedi in eventum non solutionis pensionis, nimirum ut possit in eandem parochialem resignatam liberum habere regressum, accessum & ingressum, perinde ac si nunquam resignâsset. Garc. *n.* 168. citans desuper S. Congregationis declarationem, in quâ tamen dicitur hoc intelligendum, si regrediens parochiam jam antè possederit, secùs si eam nunquam possederit. Ratio est, quia regrediens jam habuit talem parochialem per concursum, aut aliàs approbatus fuit. Corrad. qui etiam addit, idem esse in regressu alterius generis, dum nimirum quis per obitum resignatarii acquirit parochialem, nempe dum ille regressus reservatus fuit resignanti, resignatario cedente vel decedente, quamvis dicat tales regressus per obitum sublatos per Trid. *sess.* 25. *c.* 2. & tantùm Cardinalibus aliisque personis qualificatis, summoque Pontifici gratis concedantur.

16. Decimus sextus: in parochialibus curatis tantùm habitu, ex quo enim parochiani recesserunt, remansit talis Ecclesia simplex beneficium. Zerol. *in praxi Episc. V. beneficium, p. 1. §. ad quartum.* Corrad. *loc. cit.* si tamen talis parochialis tractu temporis reducatur ad actum, in ejus provisione opus erit concursu: intellige non quo ad eandem jam possidentem, sed deinceps quoad alios ejus successores.

17. Decimus septimus, dum approbatus per concursum & electus non vult consentire reservationi pensionis annuæ modicæ, quam tunc summus Pontifex reservat ad favorem alterius super fructibus vacantis parochialis, Pontifex alteri conferre consuevit eandem parochialem, sive cum dicta pensione, sive sine illa, etiam nullo habitu concursu, sed solum prævio simplice examine ad curam animarum, non obstante Tridentino *cit. c.* 18. dum ait: illi nimirum præelecto in concursu & non alteri fiat collatio; id enim summus Pontifex facere potest etiam absque derogatione dicti decreti, cùm in beneficialibus habeat plenissimam dispositionem. Corrad. *loc. cit.* citans Maresch. *Variar. resol. l. 1. c.* 52. *n.* 14. & Gonz. *loc. cit. n.* 116. qui se illud sæpissimè vidisse fieri Romæ testatur.

18. Decimus octavus, Cardinales Episcopi existentes in Curia possunt conferre parochiales suæ diœcesis sine concursu; modò ii, quibus conferuntur, examinentur ab Examinatoribus deputatis à Papa vel ejus Vicario. Tridentinum namque *dicto c.* 18. non derogavit isti indulto Catdinalium, cum loquatur tantum ibi de indultis extraordinariis. Corrad. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 11. citans Germon *de indultis Cardinalium.* præter hæc

Quæstio 207. *An non saltem examen per concursum remitti possit, & conferri absque eo parochialis sequentibus personis. Primò ei, qui testimonium habuit etiam scriptum ab Episcopo, quòd sit idoneus moribus, scientiâ, ætate pro administranda parochia; vel etiam de cujus idoneitate quoad omnia constaret omnibus. Secundò: qui desiderat denuo parochialem vacantem, quam resignaverat, dum pro ea antecedenter per concursum præelectus fuerat, eamque laudabiliter administrârat. Tertiò: ipsi Vicario generali in spiritualibus. Quartò: Archidiacono, Archipresbytero, pœnitentiario aliisque personis in dignitate constitutis. Quintò Doctori Theologiæ vel juris Canonici promoto in publicâ universitate, quique per plures annos legit cum maximo plausu?*

REspondeo negativè. Corrad. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 1. & *seq.* & apud eum Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 9. *n.* 78. & 89. & *seq.* Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 102. & *seq.* citans Fuscum *de visit. l.* 2. *c.* 5. *n.* 10. Paris. *l.* 8. *q.* 9. *n.* 83. quoad personam notoriè idoneum. & Less. *de jure & just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 82. Paris. *loc. cit. num.* 91. Zech. Zerol. quoad Vicarium Episcopi & graduatum in publica universitate. Ratio omnibus communis est, quia nimirum examen per concursum inter reliqua est de forma (quæ tunc censetur induci, quando constitutio non tantùm disponit de actu aliquo faciendo, sed ulterius procedit, annullando actum aliter factum. Bald. *in l.* 1. *de lib. & posthum.* & alii apud Corrad.) quam Trid. *cit. cap.* 18. & Pius V. in sua constitutione præscripsit servandam in Ecclesiarum parochialium provisionibus, & ob cujus non observantiam voluit provisionem quamcunque nullius esse valoris, jam verò Notoreitas personæ qualificatæ non supplet defectum prædictæ formæ, nimirum ut remittatur hujusmodi personis examen. Lott. *l.* 2. *q.* 31. *nu.* 134. sed neque ex eo, quòd quis semel examinatus per concursum obtinuit parochiam, illámque rectè administrârit, deducitur, quòd respectu alterius, ad quam aspirat, parochiæ sit dignior. Addit Gonz. *gl.* 4. *n.* 114. apud Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 251. quòd possit quis in uno examine apparere magis doctus ex fortuna quæstionis sibi propositæ, cùm revera sit minùs doctus, altera, ut per Tiraq. *de pœnis temperandis causa* 51. *n.* 159. adeóq; non sufficiat habere notitiâ pristinam de vita, moribus, scientia istiusmodi candidati. habetur etiam signanter de Vicario Episcopi & graduatis in publica Universitate S. Congregationis declaratio apud Corrad & Garc. *ll. cit.* unde etiam Garc. *n.* 101. ait, falsam esse sententiam Zerolæ *in praxi Episc. p.* 2. *V. parochia.* docentis, approbatum aliàs ad parochiam non debere examinari quoad literaturam & mores, si concurrat solus, secus, si cum aliis concurrat.

Quæstio 208. *An in casibus omnibus, in quibus concursum servare non oportet, nimirum ubi eo intrante deest occasio illum practicandi, nemine v. g. vel uno solo comparente, vel quod à patrono vel curato habituali præsentetur unus, adhuc approbatio fieri debeat prævio examine eorundem Examinatorum synodalium, cum eadem forma collegiativæ discussionis, an ille, qui se examini exposuit, vel electus aut præsentatus idoneus sit, nec ne, ita ut non ab unius judicio hæc approbatio pendeat?*

REspondeo affirmativè. Card. de Luc. ad Trident. *disc.* 32. *num.* 35.

Quæstio 209. *Num à tali examine, vel etiam simpliciter ab examine & visitatione Episcopi liberent exemptionis Privilegia, quibus gaudent Ecclesiæ vel Monasteria habentia*

bentia unitas sibi parochiales, vel saltem ubi agitur de Vicaria pro exercitio curæ annexæ ipsimet Ecclesiæ principali ipsius Monasterii, vel inferioris Prælati omninò exempti?

REspondeo negativè: licèt enim ut dictum alibi, jurisdictio diœcesani non concernat materialem talem Ecclesiam exemptorum, in qua animarum cura exercetur, minúsque jurisdictionem vel superioritatem personalem exempti exercentis eam in causis non connexis cum dicto exercitio curæ, concernit tamen ipsius diœcesani Clerum ac populum, cum quo cura exercenda; adeóque dum agitur de præficiendo ovibus pastore subordinato, congruum est, ut ipsarum ovium principalis pastor dignoscat, an ille sit, nec ne, idoneus minister, cui oves custodiendæ & pascendæ committuntur: ac consequenter exemptionis privilegio non obstante, eundem quoque visitare poterit, & inquirere, ac etiam corrigere in iis, quæ hoc munus concernunt. Card. Luc. *loc. cit. n.* 36. Atque ex his patet multò minùs examen & visitationem Episcopi declinari posse ex eo, quòd parochia sita sit in ipso loco Monasterii, eíque pleno jure unita & incorporata, quia unio & incorporatio taliter etiam situatæ parochiæ intelligitur, salvo jure Episcopi. Layman. *ad c. si electio, de elect. in 6. n.* 3. *ex* Trid. *sess.* 7. *c.* 7. *junctis declar. S. Congreg. ad c.* 3. *&* 18. *sess.* 24. vel etiam, quòd ipsi provisi sint regulares, siquidem generalis regula est, unumquemque approbandum ad curam animarum ab Ordinario, cui quoad hanc curam subjacet. Card. Luc. *ad Trid. d.* 11. *num.* 29. & præcipuè *de regul. d.* 1. *num.* 23. *& seq.* ubi plura præclarè de jurisdictione Ordinarij in Regulares, eorúmque ab eadem exemptione. Excipe nihilominùs parochiales etiam citra unionem aut incorporationem subjectas Prælato regulari non solùm exempto, sed etiam in territorio suo exercenti jurisdictionem veluti Episcopalem; tum enim ad eundem non solùm instituere, sed & examinare, approbare & visitare pertinet privativè juxta dicta aliàs. Laym. *loc. cit.* Less. *de jure & just. cap.* 41. *num.* 98. Quin etiam parochia unita Monasterio in locis, in quibus Abbates, Generales, seu capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, ab Episcopo visitari non debent. Laym. *ad c. sicut. de suppl. negl. pral. n.* 10.

Quæstio 210. *An semel approbati, vel etiam per concursum provisi possint denuo ab Episcopo examinari ac suspendi?*

REspondeo ad primum: non prohiberi Episcopum, præsertim ex causa, parochum examinatum & approbatum denuò examini subjicere, atque ita posse curatos, etsi ad unam vel alteram Ecclesiam habiles declarati sint, dum ad aliam Ecclesiam denuò præsentantur, quamvis ea æqualis aut minoris curæ sit, & per accuratiorem inquisitionem inhabiles reperiantur, reprobari; si quidem qui idoneus fuit, per socordiam, aliámque causam inutilis fieri potest. ita ferè Laym. *ad c. ex literis. de constit. n.* 2. & ita receptum esse ait Card. de Luc. *d.* 7. *de paroch. n.* 6. cum Garc. *p.* 6. *c.* 2. *nu.* 253. *&* 266. juxta *decis. Rotæ* 174. *p.* 5. *recent. n.* 15. approbationem pro una parochiali non suffragari pro altera assequenda, maximè, ubi notabile intervallum inter unum examen & aliud intercedit, cùm tunc desertis studiis per oblivionem effici potuerit illiteratus; vel etiam retentá literaturâ, facta fuisse mutatio morum ac vitæ in deterius; vel quòd absque ulla mutatione quis habilis esse possit pro una parochia, & non pro altera ob varias facti circumstantias.

2. Respondeo ad secundum, tametsi facilius Vicarii, tam perpetui quàm temporales absque forma concursûs propositi, possunt tamen etiam ipsimet curati principales cum dicta solennitate concursûs tanquâ per speciè Doctoratûs approbati & promoti ab Ordinario, occasione visitationis, aut etiam extra illam, ex suspicione ab aliquo justo motivo concepta (ad cujus formalem justificationem non tenetur Ordinarius) examinari denuò, & ubi non bene subsiterit, suspendi, donec proficiant, deputando interim iis Vicarium vel Coadjutorem provisionaliter, non autem in titulum. Card. Luc. *ad Trid. d.* 32. *n.* 39. citátq; Idem *de paroch. d.* 16. *n.* 6. plures pro hac responsione Authores. Barbosam *de parocho p.* 1. *c.* 2. *n.* 10. & *in collectan. ad Trid sess.* 21. *c.* 6. *n.* 4. Gonz. *ad regul.* 8. *gl.* 4. *n.* 101. Riccium *in praxi fori Eccl. decis.* 574. C. de Lugo *de pœnitentia d.* 21. *s.* 3. §. 2. *n.* 66. & insuper *n.* 2. claram Sacræ Congreg. sententiam submissam desuper Episcopo Pampilon. 15. Jan. 1667. quæ, utpote loquens indefinitè, concernat etiam parochos approbatos in formali concursu. Sed & in contrarium frustra adducitur *decis. Rotæ apud Peniam.* 23. *p.* 3. *recent.* siquidem in ea agitur de casu particulari parochi alicujus appellantis, non ab evocatione ad novum examen, sed à gravamine illato circa declarationem, habito in Urbe novo examine, declaratum fuit non subsistere. C. Luc. *ibid. n.* 4. Ac demum Authores contrarium sentientes id ferè velle videntur, non posse Episcopum semel approbatum de novo examinare ad effectum omnimodæ reprobationis cum privatione beneficii, ita ut illud tanquam vacans possit alteri conferri, eò quòd ad hunc effectum necessaria sit formalis justificatio imperitiæ talis, ut etiam cessaret probabilis spes addiscendi seu reminiscendi necessaria, quod in praxim deducere est difficile, & hanc eorum sententiam veram esse ait de Luc. *loc. cit. n.* 7. Ad illud tamen etiam quæsitum dicti Episcopi Pampilon, num in actu visitationis possit Episcopus procedere ad dictum examen, quamvis nulla urgeret imperitiæ suspicio. S. Congregatio 22. 1668. respondit negativè. Vide C. Luc. *loc. cit. n.* 1.

Quæstio 211. *An præscindendo etiam à concursu, ad beneficia parochialia promovendus semper dignior?*

1. REspondeo primò: quidquid sit de beneficiis non curatis (de quibus, ut ait Card. de Luca. *de benef. d.* 67. *n.* 3. item *d.* 69. *n.* 9. magis communis, usúque recepta & confirmata est sententia, sufficere ad ea promoveri dignos, nisi fortè lege aut constitutione aliqua particulari, vel pacto aut juramento cautum aliud, idemque sentit, stabilítque refutando adversariorum rationes, Garc. *p.* 7. *c.* 16. *n.* 17. quem tantisper vide, uti & alios ab eo citatos) ad beneficia habentia curam animarum promovendi digniores, gravis est obligatio. D. Thom. 2. 2. *q.* 67. *a.* 2. *ad* 3. de Lugo. *de jure & just. d.* 35. *s.* 2. C. de Luc. *loc. cit.* citatique ab eo Gutt. *l.* 2. *qq. can. c.* 11. Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 19. *nu.* 38. Garc. *loc. cit.* citatique ab eo Less. *de jure & Just.*

l. 2. *c.*

l. 2. c. 34. dub. 14. Rebell. *de oblig. Just. p. 1. l. 3. q. 4. n. 11.* & à fortiore quàm plurimi alii idem sentientes indefinitè de beneficiis non curatis, aut saltem de non curatis magni momenti, v. g. Cardinalatu, Decanatu, ut Rebell. & Less. *l. c.* contra alios, quorum sententiam Dian. *p. 2. tr. 15. resol. 40.* non agnoscit absolutè probabilem, Burchab. tamen *centur. 1. c. 18.* & Filiuc. dicunt non esse improbabilem. Ita ut non tantùm, ubi ex statuto, vel etiam ex justitia, vi pacti expliciti vel impliciti, ut contingit in formalibus concursibus, alteriúsve tituli debentur digniori: sed etiam extra hos casus, si ea liberè conferantur digno, prætermisso digniore (saltem, ut limitat Rebell. notabiliter digniore, & evidenter cognito digniore) peccetur mortaliter.

2. Idémque non tantùm de liberè conferente, sed & de instituente, dum nimirum ad idem beneficium præsentantur plures, tenet Castrop. *de benef. d. 2. p. 9.* aliíque apud Eundem. Quin & de eligente, postulante, præsentante minùs dignum sentit Less. *loc. cit.* consentiunt illi, quo ad patronos Ecclesiasticos Lamb. *de jurep. p. 1. l. 2. quæst. 10. a. 3. ad finem*, & plerique alii: dissentiunt verò quo ad patronos laicos Idem Lambert. Garc. citatíque ab eo Bannez. Ledesm. Rodriq. Barb. *de off. paroch. cap. 2. num. 102.* Dian. Burchab. &c. censéntque probabilius, non arctari Laicum ad præsentandum digniorem, putántque id ipsum insinuari à Tridentino *citato sæpe. cap. 18.* dum ait, debere admitti præsentatum à patrono laico, si is idoneus per examen inveniatur. His consentiunt Vasq. Covar. & alii, si patronus est ipse fundator beneficii; vel etiam, ut Castrop. *loc. cit. part. 11. §. 2. num. 10.* si patronus laicus succedat primo fundatori, qui ex propriis bonis fundavit beneficium curatum. Secùs, si jus præsentandi habeat ab Ecclesia; censet enim tunc illum teneri præsentare, ut patroni Ecclesiastici. Econtrà absolutè etiam quo ad tales patronos laicos, qui sunt vel fundatores, vel fundatorum successores, teneri omnes præsentare digniorem, valde probabiliter sentiunt de Lugo, Sanch. Cardenas *in crisi 2. diff. 28. num. 39.* eò quòd tales, eo ipso, quòd fundârint beneficium, transtulerint sua bona in jus & potestatem Ecclesiæ, congruum sit, ut ipsi eorúmque successores præsentent secundùm voluntatem & obligationem Ecclesiæ, adeoque non secus, ac tenetur conferre non nisi digniori, ita & isti præsentare non nisi digniorem.

3. Ac denique idem de resignante censent Carden. Nav. Vasq. & alii, nimirum teneri & hunc resignare in digniorem; contrarium tamen probabiliùs sentientibus Barb. Castrop. Dian. Lugo, Lessio; etsi duo postremi non parum inclinent in sententiam primam, dum multò dignior se offert; vel est in promptu, exigente sic amore boni communis. Verùm de hoc postremò vide dicta *p. 5.* ubi, quibus resignari, & cum quibus permutari possint beneficia.

4. De cetero ratio responsionis non tam est, (ut cum Rebello volunt plures Theologi) quòd beneficia hæc sint bona Ecclesiæ communia, & præmia meritorum, adeòque violetur Justitia distributiva, committatúrque acceptio personarum, quæ ex genere suo peccatum est mortale, à quo non excusat, nisi parvitas materiæ, nimirum per respectum ad excessum promovendorum, vel beneficiorum, multóque minus, ut Soto, Bannez. Aragon. & alii apud Garc. *loc. cit. num. 6. & seq.* quòd beneficia hæc sint instituta principaliter in stipendium laborantium in Ecclesia, adeóque violetur Justitia commutativa, dum Electot, seu provisor beneficiorum, utpote non Dominus illorum, sed dispensator tantùm & administrator constitutus in bonum Ecclesiæ, ea distribuit & erogat dignis, præteritis dignioribus: habet siquidem hæc ratio etiam locum in beneficiis simplicibus seu non curatis. Hæc, inquam, non tam est ratio, quam quia collator, electot, institutor, præsentator peccet contra fidelitatem ex officio debitam Ecclesiæ, ex qua stante constitutione seu ordinatione, quòd beneficium detur digniori, & magis idoneo, debet ei optimum ministrum providere. Verùm hæc paucis, & veluti ex incidente dicta ad hanc quæstion. sufficiant, accuratiùs & fusius de ea agentes vide AA. supra citatos *n. 1.* & inter ceteros Garc. *cit. c. 16. p. 7.*

* * * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * *
* * *

SECTIO SECUNDA.

De qualitatibus in promovendis ad beneficia Ecclesiastica requisitis.

CAPUT PRIMUM.

DE QVALITATIBVS QVASI PHYSICIS.

PARAGRAPHVS I.

De ætate & habilitate corporis.

Quæstio 212. *Quæ ætas requiratur ad beneficium simplex, cui sacer ordo annexus non est?*

1. Respondeo: jure antiquo communi sufficit septennium, quo clericatus obtineri potest Abb. *in c. præterea. de ætat. & qualit. n. 6. & 7.* jure novo quatuordecim anni. Conc. enim Trident. *sess. 23. c. 6. de reform.* præscribens, ut nullus obtinere possit beneficium ante dictam ætatem, loquitur universaliter de omni beneficio viâ quacunque obtinendo, sive ea sit collationis aut præsentationis, sive electionis. Corrad. *in praxi benef. l. 4. c. 6. num. 23.* Barb. *ad cit. l. Trident. n. 6. & de off. Ep. alleg. 60. n. 78.* Paxjord. *l. 10. tit. 20. n. 6.* Pass. *de Elect. c. 25. n. 417.* Lott. *l. 2. q. 49. n. 17.* qui etiam *nu. 19.* hanc dat rationem, cur hac in parte recessum sit à jure antiquo: quòd licet ad officium legationis apud Deum (quale committitur per collationem beneficii collatorio ut Nav. *in relect. c. si quando. in 7. except. n. 2. de rescript.*) sufficiat egressus ab infantiâ (cùm enim officium hujus legationis non consistat in qualitate personæ, quæ inter homines consideratur, sed tantùm in simplicitate cordis, & in precibus effundendis, ejus capax erit puer, modò primam pueritiæ partem, quæ infantia dicitur, & septennio absolvitur, exegerit, tit. Lott. ex Cujac.) collatio beneficii insuper includit spirituale matrimonium inter beneficiatum & Ecclesiam, ad matrimonium verò non sufficiat exegisse infantiam, sed & totam pueritiam, & sic attigisse annum decimum quartum, quo discretio supervenit; ætas enim annorum quatuordecim dicitur discreta, ut apud Lott. *n. 23.* Abb. *loc. cit.* Proinde necesse est habere hanc ætatem tempore electionis, vel præsentationis, collationis, alteriúsve promotionis. Barb. *loc. cit.* Castrop. *p. 2. t. 13. d. 4. p. 3. num. 19.* Non tamen necesse est impetrantem rescriptum gratiæ, seu beneficiale, quo mandetur ei conferri beneficium proximè vacaturum, requisitam ætatem ad tale beneficium habere tempore impetrationis, seu datæ literarum, sed sufficit eam habere tempore executionis talis gratiæ Laym. *in c. si eo tempore. de rescriptis* juxta *c. ei cui,* & Gl. *ibidem.* dicentem: inspicimus non tempus datæ, sed vacationis beneficii, in quo gratiæ beneficialis executio fit. Nam licet ad dignoscendum, num rescriptum beneficiale obreptitium sit, attendi debeat tempus datæ, ut Nav. in *c. si quando. except. 10. n. 6.* ita ut non sufficiat tempore executionis impetrantem habilem esse ad beneficium, nisi etiam fuerit tempore impetrationis, seu datæ literarum juxta *c. si eo tempore,* quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit *reg. 18. in 6.* si tamen cessante obreptione, agatur de gratia, cujus effectus pendens, & executioni mandatus non est, spectandum est tempus non concessionis seu impetrationis, sed executionis. Laym. *loc. cit. n. 1.* ex Abb. *in c. dilectus. de præbend. n. 8.* & Felin. *in c. eam te. de rescript. n. 18.* Sufficit autem annum decimum quartum inchoatum esse AA. iidem, Garc. *de benef. p. 7. c. 4. n. 11.* Gonz. *ad reg. 8. cancel. Glossa 5. n. 90.* Tusch. *l. 3. concl. 338. n. 12.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 5. q. 7.* Lott. *n. 22.* citans Eman. Sa, & Hieron. Cevall.

2. Secùs est de beneficiis impropriè talibus, utpote fundatis sine auctoritate Ordinarii vel Superioris, etsi de cetero sub nomine beneficiorum, & Capellaniarum fundata sint, hæc enim ætatem nullam certam requirunt (nisi forte fundator talem qualitatem apposuisset, ad quam habendam certa ætas necessaria esset v. g. ut tale legatum vel Capellania detur clerico, tunc enim per accidens ea requiritur v. g. septennium) sed obvenire etiam possunt infantibus laicis &c. Gon. *loc. cit.* C. Luca *de benef. disc. 95. n. 1. & 2.* Idem dicendum de pensionibus Ecclesiasticis, utpote quæ de se sunt quid mere temporale, quarum per se loquendo etiam capaces sunt infantes laici, etsi de consuetudine Curiæ Romanæ non nisi clericis conferri soleant. C. de Luc. *ibid. n. 3.*

Quæstio 213. *An sub genere beneficiorum, pro quibus dictum est sufficere quatuordecim annos, veniant etiam Canonicatus in Collegiata, etiam insigni; item Canonicatus in Cathedrali, in qua facta non est illa ordinum distributio fieri mandata per Trident. nimirum ut Canonicatus omnes partim*

tim sint subdiaconales, partim diaconales, partim presbyterales?

1. REspondeo ad primum affirmativè; nihil enim circa hos Canonicatus innovat aut speciale constituit Trident. Garc. *loc. cit. n. 36. & seq.* citans declarat. S. Congregationis.

2. Respondeo ad secundum: licèt de jure stricto id dici posset, & asseri, Trident. desuper nihil innovâsse, aut peculiariter statuisse (de quo vide fusè agentè Fagn. *in c. cum in cunctis. de elect. n. 51. & seq.*) ex pluribus tamen S. Congregationis declarationibus, & observantia patriæ receptum esse in Canonicatibus Cathedralibus, quamvis nullus iis annexus sit ordo, requiri ætatem saltem tantam, ut provisus intra annum promoveri possit ad subdiaconatum. Quòd autem in Germania, etiam sine dispensatione, vel derogatione Concilii tales Canonicatus conferri soleant constitutis non nisi in ætate quatuordecim annorum, id provenire ex quadam particulari consuetudine, quæ ita Concilium hac in parte in ista regione interpretata est ex voluntate Papæ, deducta ex stylo datariæ. C. de Luc. *loc. cit. n. 15.* citans hæc omnia declarari à Rota *in Monasterien. Canonicatu 28. Novemb. 1646. coram Ghislero.* & latiùs *in eadem Monast. canon. 10. Junii Anno 1648. decis. 205.* ait etiam Laym. *in c. cum in cunctis. de elect. §. inferiora. n. 6.* constitutionem illam Trident. *sess. 24. c. 12.* ut omnes Canonici Cathedrales saltem eam ætatem habeant, ut intra annum subdiaconi fieri possint, in plerisque Germaniæ Cathedralibus non omnimodè servari, dum passim assumuntur pueri, qui annum decimum quartum attigerunt, quin & interdum qui annum nequidem duodecimum excesserunt, tametsi plerúmque Romæ dispensatio impetretur, aut saltem collationis factæ revalidatio, ut perinde valeat, acsi à principio Canonica fuisset. Ex quo tamen non parvum detrimentum Ecclesiis provenire solet, propterea maximè; quòd in ea ætate plerúmque non appareat, an qui promovendi idonei futuri sint, & Ecclesiæ utiles; hinc præstare haud dubiè ex Ecclesiæ Cathedralis proventibus portiones non beneficiales decidi pro pueris etiam nobilibus sustentandis in studio literarum, ut ex iis, postquam ad ætatem legitimam devenissent, eligi possent, qui bonis moribus & doctrinâ ornati ad servitium Dei idonei viderentur. Nec obstat, ut idem Laym. olim, seu spectato jure antiquo, post expletum septennium beneficiorum capaces esse habitos; cùm circa illa tempora rectâ intentione, & solius servitii divini causâ à piis parentibus pueri offerebantur Ecclesiis, ut in sacro aliquo collegio ad omnem pietatem, & Ecclesiasticos ritus instituerentur; nunc autem liberè vagari, & non rarò malis moribus assuescere permittuntur, donec ad eam ætatem veniant, ut sacrum Ordinem accipere, & capitulares fieri possint. Vide dicenda ex eodem post aliquot quæst. ubi de dispensatione in dicta ætate. Verùm Fagn. *in c. cunctis. à n. 70.* etiam non reflectendo ad partialem illam Germaniæ consuetudinem absolutè docet, quòd ubi nondum facta est istiusmodi distributio à Trident. demandata fieri ab Episcopo cum consilio capituli, servandum esse interim jus antiquum quoad ætatem requisitam ad obtinendos Canonicatus, & præbendas in Cathedrali Ecclesia; quidquid in contrarium scripserint Hojeda *de compatib. benef. p. 1. c. 24. n. 6.* Less. *de justit. l. 2. c. 34. dub. 20. n. 106.* Garc. *p. 7. c. 4. n. 28.* Lott. *de re benefic. l. 2. q. 47. n. 82.* Et sic non exigi ætatem ad ullum Ordinem sacrum requisitam, sed sufficere quatuordecim annos completos, ut habent AA. *in c. super inordinata. de præb.* citat Fagn. declarationem S. Congregationis, refutatque contrarias in hac re ejusdem Congregationis declarationes adductas à Garcia,

Quæstio 214. Num quæ jam dicta sunt de ætate requisita vi concilii Trid. ad Canonicatus Cathedrales vel alios, aliave beneficia teneant, si fundator in fundatione voluisset sufficere minorem ætatem?

REspondeo negativè, Barb. Paxjord. Castrop. Pass. citati ad *q. 1. hujus §.* poterit enim fundator quascunque conditiones in limine fundationis apponere. *c. præterea. de jurepat.* nec respuenda est lex fundationis mandans puerum, imo infantem in beneficio jurispatronatûs institui Lott. *l. 1. q. 32. n. 35.* Corrad. *l. 4. c. 6. n. 23.* Idem dicendum puto in beneficio, quod fundator absque jure patronatus deinceps viâ electionis voluit obtineri. Porrò valet hoc ipsum, licet fundator non nisi tacitè idipsum voluisset, mandando v. g. præsentari Clericum, modò facta sit fundatio ante Concilium Trid. quia tunc poterat institui minor quatuordecim annis Corrad. *ibid. n. 24.* secùs si facta post illud, tunc enim si fundator uteretur his terminis: *præsentetur Clericus*, subintelligendum foret, dummodò habeat ætatè quatuordecim annorũ requisitã à Concil. cujus tunc valebat dispositione, cui proinde se conformare voluisse censendus est in dicto casu fundator. Corrad. *ibid.* cùm regulare sit, dispositionem hominis regulari in dubio cum dispositione legis, cui se conformare voluisse censetur. *l. conficiuntur. ff. de jure codicil.* & voluntatem testatoris limitari per juris communis dispositionem. Quòd si tamen etiam post Concil. Trid. fundator expresè sic disposuisset, ut etiam minor quatuordecim annis possit obtinere à se fundatum beneficium, standum erit huic voluntati, cui Concilium non derogat. C. de Luc. *disc. 5. de Canonicis. num. 7.*

Quæstio 215. Quæ requiratur ætas ad præbendam, Canonicatum, aliúdve beneficium non curatum, cui sacer ordo annexus est?

REspondeo: illa, quæ ad suscipiendum talem ordinem infra tempus à jure statutum est necessaria, v. g. si Canonicatus est subdiaconalis, requiruntur viginti & unus annus; si diaconalis, viginti duo; si presbyteralis, viginti quatuor. Trid. *sess. 24. c. 12. de reform.* Non tamen requiritur ætas dictorum annorum completorum, pro tempore electionis vel collationis, sed sufficit eos ita inchoatos esse, ut intra tempus, quo à jure, vel statuto suscipiendus est Ordo, compleri possint, v. g. sufficiet annum vigesimum primum ita inchoatum esse, ut infra annum ab obtento canonicatu subdiaconali inchoari possit annus vigesimus secundus. Fagn. *in c. cùm in cunctis. num. 41. & 42.* Ugol. *p. 1. c. 19. num. 1.* Paris. *de resign. benef. l. 4. q. 9. num. 11.* Riccius *resolut. 239.* Pass. *loc. cit. n. 419.* Barb. & Gonz. *LL. cit.* Laym. *in cap. cùm in cunctis. de elect. §. inferiora. num. 5.* citans Azor. *p. 2. l. 6. c. 5. q. 5.* Abb. *in c. dudum. de elect. n. 12.* contra Garc. Paxjord. *LL. cit.* Neque aliud intelligit Trid. *sess. 22. c. 24.*

c. 24. per tò *integrè habere ætatem* ; ut rectè arguitur ex verbis ejusdem Concil. *sess. 24. c. 12. de reform.*

Quæstio 216. Quæ ætas requiratur ad obtinendam dignitatem in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, cui annexa non est cura animarum ?

1. REspondeo ad primum : ad talem dignitatem recipiendam in Ecclesia Cathedrali (etiamsi ea esset primaria Fagn. *loc. cit. n. 49.* vel etiam cui accessoriè in perpetuum unitum esset beneficium curatum. Idem *n. 38.*) ratione præcisè dignitatis (si enim annexum habet sacerdotium, aliter statuendum est ratione hujus Ordinis Fagn. *loc. cit. n. 40.* quamvis tamen etiam *num. 43. & seq.* distinguat inter dignitates, quibus annexus est presbyteratus ex privilegio, fundatione, statuto speciali, vel consuetudine, & eas, quibus is annexus est de jure communi v. g. Abbatiæ, Decanatui, Præposituræ, Archipresbyteratui, & de prioribus concedat requiri annum vigesimum quintum ; de posterioribus tamen etiam tunc id neget) requiri, ut quis non sit minor viginti duobus annis Trident. *sess. 24. c. 12.* Lott. *l. 2. q. 49. n. 25.* loquens in genere abstrahendo, an sint dignitates in Cathedralibus, an in Collegiatis, & idem esse dicens contra Majolum *de irreg. l. 1. c. 30. n. 10.* (qui ad eos requirit annum vigesimum quintum) de personatibus, quibus nulla cura animarum subest, non obstante textu *c. dudum*, ubi dicitur, quòd beneficia habentia curam animarum, & personatus pari passu ambulent : dum æquiparatio illa non procedit respectu ætatis, sed incompatibilitatis, ut Lott. *n. 27.* ex Host. & Bellam. *in c. præterea, de ætate & qualit.* In quo autem differat personatus à dignitate, vide apud Lott. *l. 1. q. 16. à n. 50.* iisque non tantùm inchoatis, sed completis, uti id illa ipsa forma loquendi : *non minor viginti duobus annis*, satis indicat, Barb. *de off. Ep. alleg. 69. nu. 66. & de Canonicis c. 13. n. 22.* & *ad Trid. loc. cit. n. 12.* Garc. *loc. cit. n. 70* Less. *loc. cit. c. 34. n. 108.* Pass. *num. 423.* Navar. *l. 1. cons. 4. de ætate & qualit.* contra Azor. *loc. cit. q. 3. Sa. v. beneficium num. 31.* Henriquez *in sum. l. 14. c. 10. §. 10.* Porrò qui ad primam dignitatem in Cathedrali, puta Præposituram vel Decanatum, requirunt viginti quinque annos, supponunt regulariter ei annexam esse curam animarum in foro interno vel externo, vi saltem jurisdictionis, ut Pass. *loc. cit. n. 431.* Garc. *p. 7. c. 4. n. 65.* vel sacerdotium, ut Idem *n. 73.* & sic ex his solùm capitibus viginti quinque annos requirunt. Unde sequi videtur, si prima dignitas vi consuetudinis, vel aliunde non esset curata, nec sacerdotalis, sufficere ad eam annos viginti duos.

2. Respondeo ad secundum ; idem quoque dicendum esse de dignitatibus talibus in Ecclesiis Collegiatis Fagn. *c. cùm in cunctis. n. 48. & seq.* Garc. *loc. cit. n. 60.* Pass. *n. 425.* Castrop. *loc. cit. num. 7.* contra Paxjord. *lo. cit. n. 15.* Gonz. *loc. cit. gl. 9. n. 92.* Piasec. *in praxi Episc. p. 2. c. 5. n. 25.* Barb. *loc. cit.* Card. de Luc. *num. 18.* qui omnes putant præscindendo à statuto speciali, legitimâ consuetudine, aut lege fundatoris, sufficere annos 14. citat utraque pars horũ AA. pro se decisiones S. Congregationis, ut videre est apud Garc. Tametsi enim Trid. *lo. cit.* mèminerit solùm Ecclesiarum Cathedralium, ex eo tamen quòd dicat *præsertim de Cathedralibus*, & non specificet, nec limitet illam suam dispositionem ad Cathedrales, intelligi debet universaliter, cùm Tò *præsertim* sit dictio implicativa, adeoque hic implicet quoque Ecclesias Collegiatas Pass. *loc. cit.*

Quæstio 217. Quæ ætas requiratur & sufficiat ad dignitates inferiores Episcopatu, & beneficia habentia curam animarum ?

1. REspondeo : Viginti quinque inchoativè, seu ut loquitur Trident. *sess. 24. c. 12.* ut quis annum vigesimum quintum attigerit ; incepisse enim annum vigesimum quintum est illum attigisse. *c. licèt. de elect. in 6. c. in cunctis, eod. t. ibidem.* Abb. loquuntur autem hi Textus universaliter adeoque hoc ipsum intelligendum de omni beneficio curato Castrop. *loc. cit. n. 120.* Rebuff. *de pacif. possess. n. 181.* Garc. *loc. cit. c. 7. n. 41.* Menoch. *remed. 15. n. 442.* Barb. *ad c. in cunctis. n. 34.* Quale est illud, cui cura animarum per se incumbit, dum enim solùm unitur, aut incorporata est parochialis accessoriè Canonicatui v. g. vel Præposituræ, sufficit ætas pro beneficio hoc principali requisita, cùm, ubi beneficium accessoriè unitum est alteri principali, attendatur ad naturam & conditiones beneficii principalis, non accessorii Card. de Luca *de benef. d. 95. num. 13.* Laym. *ad c. licet Canon. de elect. n. 1.* vide Azor. *p. 2. l. 6. c. 3. q. 8.* Et à fortiori quidem de iis dignitatibus, quæ habent ordinariam jurisdictionem, quasi Episcopalem cum territorio separato, ita ut exceptis, quæ sunt Ordinis Episcopalis, in omnibus partes Episcoporum gerere videantur Card. de Luca *loc. cit. n. 17.* ubi etiam ait non incongruum in iis requirere ætatem requisitam ad Episcopatum.

2. Idem intelligendum de Vicariis perpetuis Ecclesiarum parochialium, quin & de Coadjutoribus, in quibus eadem, quæ in principalibus requiritur ætas Castrop. *loc. cit. n. 13.* citans Azor. Gonz. Garc. *num. 90.* Ac denique id intelligendum de omnibus habentibus spiritualem jurisdictionem, etiamsi sit solùm fori externi, tenent Barb. *ad cit. l. Trid. num. 2.* & *de Canon. c. 13. nu. 20.* Navar. *loc. cit.* Fagn. *loc. cit. num. 32.* Lott. *l. 2. q. 49. n. 24.* dicens id procedere, sive habeat curam fori conscientiæ, sive curam jurisdictionalem tantùm, eò quòd beneficium, etiam ex hoc solo dicatur curatum, quòd vi illius possit quis infligere censuras, & pœnas spirituales, & præceptis dirigere subditos in iis, quæ ad religionem spectant, juxta *c. dudum. de elect.* & Abb. *ibidem. n. 7.*

3. Atque ita jam non sufficit aliquem habere istam ætatem, ut intra annum fieri possit Sacerdos, sed erit electio aliáve promotio ad dicta beneficia nulla, si facta est ante expletum annum vigesimum quartum. Verumque id est, etiamsi quis, etiam per dispensationem, ordinatus esset ante annum vigesimum quartum Sacerdos, cùm dispensatio sit stricti juris, adeoque facta quoad ætatem in ordine ad Ordinem suscipiendum, facta non sit in ordine ad beneficium curatum. Barb. *loc. cit. n. 34.* Navar. *l. 1. cons. 7. de ætat. & qualit.* apud Bass. *cit. c. 25. num. 432.*

Porrò in ætate ad beneficia curata Episcopus dispensare non potest. Barb. *loc. cit.* Selva *de benef. p. 2. q. 3 num. 32.* Imol. *in Clem. 1. de statu Monach. n. 34.* Corras. *de sacerd. p. 3. c. 3.* Pass. *n. 431.* Laym. *ad c. permittimus. de ætat. & qual. in 6.* contra Host. *in summa ejusdem tit. n.* Archid. & Gemin. quos citat censentes, Episcopum dispensare posse in ætate, etiam circa dignitates curatas, si adsit rationabilis causa, aut Ecclesiæ utilitas.

Quæstio

Quæstio 218. *An igitur hoc ipsum quoque extendendum ad beneficia habentia annexam curam animarum merè accessoriè, & non æquè principaliter?*

REspondeo negativè, sufficiétque illa ætas, quam beneficium illud per se requirit. Barb. *T. de Canon. c. 13. n. 21.* Paxjord. *loc. cit. n. 10.* Pass. *n. 433.* Fagn. *in c. 1. de capellis Monach.* Card. de Luc. *de benef. disc. 95. num. 13* & 14. ubi etiam explicat, quando cura accessoriè, quando principaliter censenda sit incumbere beneficio his fere verbis: quæstiones in hac materia esse solent potiùs facti, & applicationis, quando nimirum cura animarum beneficio incumbere dicatur principaliter vel accessoriè, quod pendet ex facti qualitate & circumstantiis, ubi habetur titulus annexionis, qui principaliter attendendus est, qui sit clarus; eo autem cessante, vel dubio existente, recurritur ad conjecturas, illam præsertim deductam ab observantia, an scilicet beneficium consueverit conferri per concursum, vel sine illo, & an consueverit esse residentiale. Idem sentit Laym. *in cit. c. permittimus. num. 3.* ubi ait: ætas illa viginti duorum annorum sufficere debet, tametsi dignitas, quæ per se curata non est, v. g. Decanatus, unitam habeat parochialem, seu curatam Ecclesiam; attenditur enim ad naturam beneficii principalis, non uniti, & accessorii, quippe quod naturam suam & conditiones veluti amisisse censetur, cùm alteri principaliori annexum fuit. citat seipsum Theol. Mor. *tr. 2. c. 9. n. 2.*

Quæstio 219. *Quot anni requirantur in canonico pœnitentiario?*

REspondeo: quadraginta. Concil. Trid. *sess. 24. de reform. c. 8.* & quidem completi. Garc. *loc. cit. num. 35.* citans Abb. Felin. Gutierez contra Azor. *loc. cit. l. 6. c. 5. q. 6.* Non tamen obstat defectus in hac ætate, dum aliàs aptior pro loci qualitate non reperitur in civitate vel diœcesi. Sed neque extra diœcesin quærendus. Garc. *loc. cit.* citans Navar. Si tamen talis quærendus extra diœcesin, Episcopus debet assumere non nisi habentem istam ætatem, si talis commodè inveniri potest.

Quæstio 220. *Quæ ætas requiratur ad Episcopatum; quo nomine etiam veniunt Superiores dignitates, Archiepiscopatus, Patriarchatus. Fagn.* loc. cit. num. 16. *Castrop.* loc. cit.

REspondeo: triginta annorum completorum. Trid. *sess. 7. c. 1. de reformat.* Gregor. XIV. *in const. sua Onus Apostolicæ.* Barb. *in c. cùm in cunctis. n. 16.* Castrop. *loc. cit. num. 2.* Rebuff. *loc. cit. cap. 184.* Azor. *p. 2. l. 6. cap. 5.* Menoch. *de arbit. c. 417. n. 22.* Pass. *num. 434.* contra Gl. *in c. unicum. de ætate & qualit. in 6. v. compleverint.*

Quæstio 221. *Quæ ætas requiratur ad Cardinalatum?*

REspondeo: sufficit ex const. Sixti V. ea ætas, quæ requiritur ad Ordinem sacrum annexum Cardinalatui suscipiendum, v. g. ad Cardinalatum diaconalem 22. ita ut intra annum talis ordinari possit diaconus. Card. de Luca *loc. cit. num. 4.* quæ tamen Constitutio non tam obligationem, quàm solùm decentiam continet. Barb. *in cap. cùm in cunctis n. 17.* Castrop. *loc. cit. num. 3.* Selva. *p. 3. q. 5. num. 14.* nequit enim Papa, à quo tantùm ordinantur Cardinales, obligari & arctari à suo prædecessore, adeóque poterit creare Cardinales in ætate minore. Pass. *n. 435.* idque rationabiliter. C. Paleott. *de consult. 5. palatii p. 3. q. 4.*

Quæstio 222. *Quæ ætas requiratur ad summum Pontificatum?*

REspondeo: nullam certam requiri à SS. Canonibus. Selva *loc. cit.* Licèt autem decens sit, ut Christi Vicarius, & universalis Ecclesiæ Episcopus ejus saltem sit ætatis, in qua Christus cæpit prædicare, & in qua cæteri Episcopi promoventur; nullus tamen defectus ætatis validitati objici poterit. *c. licet de vitanda. de elect. ibid.* Fagn. *num. 11. & 24.* uti & *in cap. cùm in cunctis. num. 28.* modò tamen ætas tanta sit, ut habeat usum rationis, id enim jure naturali & divino requiritur, cùm Christus Petro dicendo: *pasce oves meas*: elegerit eum in Pastorem ovium. *c. significásti. de elect. & ibid.* Gl. *v. pasce.* officium autem pascendi oves suscipere non possit infans. Requiratur etiam de necessitate actus suscipientis curam pastoralem, & sic usus rationis. D. Th. *in 4. sent. d. 25. q. 2. a. 2.* Electio talis nulla erit non obstante *cap. licet ad vitanda &c.* utpote quod non sustulit exceptiones hujusmodi provenientes à jure naturali & divino. Fagn. *loc. cit.*

Quæstio 223. *Quæ ætas requiratur in Prælatis regularibus Abbatibus (intelligo propriè talibus; Abbatiæ enim improprie, abusivè, & in sola nuncupatione tales, actuali conventu & administratione carentes, seu solum ventosam quandam dignitatem repræsentantes, in hoc puncto non differunt ab aliis beneficiis simplicibus. Card. de Lucæ* loc. cit. num. 19 *citans Fagn.* in c. cùm in cunctis. de elect. n 108.) *Generalibus, Provincialibus, Prioribus. &c.*

REspondeo: requiruntur & sufficiunt, etiam in iis, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent (ut sunt, generaliter loquendo, Generales, Provinciales, & in quibusdam religionibus, v. g. Dominicanorum, etiá Priores locales. Pass. *n. 436.*) anni 25. sicut supra dictum est de beneficiis curatis. Suar. *tom. 4. de relig. t. 8. l. 2. c. 3. num. 7.* Tambur. *de jure Abb. d. 6. q. 9. n. 3.* Paxjord. *cit. tit. 20. n. 3.* contra Lezan. Navar. Barb. apud Pass. requirentes 30. annos, ob similitudinem jurisdictionis cum Episcopali; Et de Abbatibus quidem expressè Abb. *in c. super inordinata. de præb. num. 7.* Card. de Luca *num. 19.* ad prioratum conventualem etiam expressè *clem. ne in agro. de statu Monach.* requiritur annus 24 expletus; & ad Prioratus, in quibus cura animarum exercetur per presbyteros sæculares annus 20. Garc. *loc. cit. c. 4. num. 81.* Porrò ad diffinitoriatum Sigism. à Bon. (quia illum arbitratur esse dignitatem & personatum) requiri ait 22. annos, ut illos ad alias dignitates requirit Trident. Pass. verò *num. 437.* ex eo, quòd diffinitores integrent Capitula generalia, vel provincialia, quæ potestatem jurisdictionis habent in religionibus, putat censendos esse habere curam animarum, adeóq; ad diffinitoriatum requiri annos 25. Verùm in his & similibus consulenda ferè sunt statuta spe-

cialia singulorum Ordinum, quale utique illud est apud Dominicanos, quòd, ut testatur Pass. *n.* 438. in qualibet electione electus habere debeat 12. annos à professione, adeóque nullus eligi possit ante annum ætatis 28. cùm ad professionem requiratur à Trid. annus 16. expletus.

Quæstio 224. *Quæ ætas requiratur in Monialibus, ut sint Abbatissæ, Priorissæ, intellige Monasterium gubernantes, seu Conventuales?*

REspondeo: quidquid sit de jure antiquo, de quo vide Fagn. *in cap. cùm in cunctis. num.* 113. modò non debere esse minores 40. annis. Trident. *sess.* 25. *cap.* 7. ex qua forma loquendi iterum deducitur, debere hos annos 40. esse completos. Garc. *loc. cit. num.* 71. contra Hieron. à Sorbo *in compend. mendicant. V. Abbatissa.* præterea debet 8. annis post professionem laudabiliter vixisse. Quòd si tamen talis non reperitur in Monasterio, eligenda saltem esse debet 30. annorum, & 5. annos exegisse post professionem. Trid. *ibidem.* Hâc autem repertâ in suo Monasterio non tenentur ex alio Monasterio eligere quadragenariam. Quòd si tamen nec talis 30. annorum idonea reperitur in proprio Monasterio, nec quadragenaria idonea in alio Monasterio, poterunt ex alio Monasterio habentem 30. annos, & expresè professam eligere. De cetero nulla minoris ætatis poterit eligi, sed debebit postulari à sede Apostolica. Fagn. *loc. cit. nu.* 117. & 118. Quòd si tamen Monasterium esset recenter erectum, nullúmque aliud istius Ordinis in ista provincia, & nulla esset in eo habens prædictas qualitates, poterunt aliquam ex existentibus in dicto Monasterio eligere, quæ ex omnibus melior & idonea. Fagn. *loc. cit. num.* 119. ex declaratione S. Congregationis.

Quæstio 225. *An, quæ hactenus dicta de requisita ætate ad hoc, ut quis per electionem, aliámve provisionem obtinere possit Prælaturam, aliudve beneficium, ita accipienda sint, ut provisio facta non habenti actu istam ætatem, ipso facto sit nulla?*

REspondeo affirmativè. Garc. *loc. cit. n.* 82. Paris. *de resign. benef. l.* 4. *q.* 9. *n.* 20. Azor. & alii cum communi. Verúmque id est, etsi modicum quid, dies unus vel hora desit. Garc. *ibidem num.* 84. Sanch. *de matrim. l.* 1. *d.* 16. *num.* 4. Lott. *l.* 2. *q.* 47. *num.* 18. cùm in his, quæ à jure sunt determinata, & limitata, non liceat arbitrari, & ut Lott. *loc. cit.* jus commune in hac materia verborum rigorem usque adeo servat, ut dum ætatem exigit in promoto, non contentetur, quòd is valde proximus sit ætati requisitæ; & licet ante primam ordinationem tempora completurus esset ætatem necessariam, citat pro hoc Jo. Andr. *in cap. ei, cui, num.* 5. ubi, quòd licet hæc sententia videatur rigida, dum defectus non est talis, qui impediat ordinari in primis temporibus, nimis tamen sibi videatur præsumptuosum hoc asserere, cùm non Glossatoris, sed conditoris juris sit, huic æquitati providere, ait nihilominus Layman, *ad cap. ex ratione. de ætat. & qualit. num.* 1. si Clerico ante ætatem requisitam beneficium collatum sit, Superior collationem irritare potest, nisi malit eam dispensativè tolerare, modò potestate dispensandi supra ætatis defectu sit præditus. Porrò hæc ætas computanda non est à die conceptionis, sed Nativitatis. Garc. *num.* 89. citans Mol. Covar.

Quæstio 226. *An, & quid requiratur ad hoc, ut quis incurrat pœnas statutas à Pio V.* in const ejus 7. *contra promotos ante legitimam ætatem. idem est de promotis extrà tempora, & in genere de malè promotis?*

REspondeo: requiritur dolus & contemptus, adeóque eas pœnas non incurri, nisi probato dolo & contemptu. Lott. *lib.* 2. *q.* 47. *num.* 88. & hinc quantum est ad præsens punctum de ætate rejiceretur objectus, in eo, qui ante legitimam ætatem promotus ex eo solùm, quòd is crediderit matri suæ; si enim admittitur præsumptio scientiæ ætatis alicujus in sanguine junctis, multò magis admitti debet in parentibus. Lott. *num* 89. & 90. ex Paris. *cons.* 25. *num.* 8. *lib.* 3. Mandos. *ad reg.* 18. *quæst.* 8. *num.* 1.

Quæstio 227. *Qualiter probetur ætas?*

1. REspondeo primò: melior & paratior via probandi cujusq; ætatem est liber baptismi; Probatur nam sic veluti ex professione Parentum apud acta publica, juxta *l. etiam. ff. de prob.* Lott. *l.* 2. *q.* 49. *num.* 32. citans Rebuff. *ad constitut. regias tom.* 2. *de regist. baptism. num.* 15. Mascard. *de prob. conclus.* 1147. *num.* 1. Mandos. *ad reg.* 18. *q.* 10. *num.* 4. *&c.*

2. Secundò ex libro Patris, in quo descripta sit dies Nativitatis filii, ut consuevit de more scribi; nam & hic liber, ut Salic. *in l. si minorem. n.* 10. *c. de in integ. restit. minor.* Lott. *loc. cit. nu.* 33. cessante omni fraude plenè probat, procedítque idipsum, etiamsi adesset conjectura, vel præsumptio in contrarium, puta, quia ipse filius professus fuisset, se esse aut minorem aut majorem ætate. Lott. *num.* 34. Soc. jun. *cons.* 3. *ex num.* 3. *vol.* 2. Alcia. *reg.* 2. *præsump.* 14. *nu.* 5.

3. Tertiò, ubi deficiunt hi libri baptismi, & patris, probatur per testes. Lott. *num.* 35. Hi autem testes excedere debent ætate ætatem illius, de quo agitur, saltem 14. annis. Alias enim etiamsi conjuncti sint, aut vicini, & dicant adeo sibi esse perspectam ætatem personæ, de qua agitur, semper erit incerta eorum depositio; cùm factum Nativitatis, à quo ætas sumit initium, non potuerit cadere sub eorum sensum tempore ætatis discretæ. Lott. *cit. n.* 35. citans Bald. *in lib. de tutela. sub n.* 2. quem, ut ait, sequuntur Salicet. *ubi ante n.* 3. Sapia *de ætat. n.* 28. *de minor.* Felin. *in cap. literis. nu.* 7. *de præsump.* Menoch. *de præs. præsump.* 51. *num.* 48. & plures alii apud hunc. Dein suppositâ hâc legitimâ ætate in testibus, optima probandi per illos ratio esset, dum assererent, se nativitatem & tempus illius observâsse, quia essent consanguinei, vel vicini. Lott. *num.* 36. vel referrent factum notabile contemporaneum, quòd eorum memoriæ verisimiliter hæsisset, quale est Nativitas proprii filii, vel fratris. Lott. *ibidem.* ex Bart. *cons.* 92. *sub n.* 5. & Rota *in Tridentina Canonicatus* 3. *Martii* 1606. in qua etiam dictum, non attendi singularitatem testium, si agatur de probando. Possunt quoque ipsi Parentes esse testes idonei ad probandum ætatem filiorum juxta *leg. etiam ff. de probat.* Lott. *num.* 44. quod ipsum etiam procedit de parentibus spiritualibus, qui baptizatum à sacro fonte levârunt. Lott. *n.* 45.

citans

citans Bald. Salicet, & Rotam *in eadem Trid. canonic.* 15. *Junii* 1609. Neque excluduntur domestici tanquam verisimilius informati de veritate. Lott. *num.* 47. citans Ruin. *cons.* 194. *num.* 3. *l.* 1. & dicens in citata Rotæ decisione salvatum esse dictum unius testis domestici, quia non esset amplius domesticus tempore examinis. Porrò ætas probata per testes per modum obietus admittit probationem per alios testes in contrarium melius informatos, uti servatum in illa *Trident. canonic.* 10. *Decemb.* 1608. Lott. *num.* 43.

4. Quartò materia hæc ætatis cùm quandoq; sit difficilis probationis, admittit etiam præsumptiones & conjecturas Lott. *num.* 38. citans Alciat. *ubi ante num.* 5. & Rotam *decis.* 260. *num.* 1. *p.* 2. *diverf.* Et sic probari ætatem per aspectum, tradunt DD. Lott. *num.* 39. citans Menoch. *de arb. cap.* 117. *ex num.* 1. Bart. *in lib. de ætate. num.* 7. & 8. *de minor.* Magon. Lucen. *decis.* 68. *n.* 7. Borell. *tit. de prob. num.* 129. Conjecturæ tamen illæ & præsumptiones, etsi deserviant ipsi proviso ad effectum justificandi suam habilitatem ex ætate pro consequendo beneficio, minimè tamen sufficient objicienti defectum ætatis pro repellendo ipsum à sua possessione, nisi per necessitatem concluderent. Lott. *num.* 38.

Quæstio 228. *An Episcopus in ætate requisita ad beneficia dispensare possit?*

1. REspondeo primò: Episcopum non tantùm in ordine ad curata beneficia, ut indicatum paulò ante, in ætate dispensare non posse, sed neque etiam in genere in ordine ad ea beneficia, ad quæ in jure canonico certa ætas per se & directè, & non tantùm ratione annexi Ordinis requiritur Laym. *in cap. cùm in cunctis, §. inferiora num.* 4. citans Abb. *in cap. cùm dilectus. de elect.* Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 5. *q.* 9. Franc. Jo. Monach. juxta gl. communiter receptam *in cit. c. cùm dilectus.* nisi ea dispensatio ipsi specialiter concessa sit. Laym. *loc. cit.* Licet autem *c. permittimus. de ætat. & qualit. in* 6. Bonifac. VIII. permiserit Episcopis, ut post annum 20. completum dispensare possint ad consequendas dignitates & personatus curam animarum annexam non habentes, de novo tamen Trid. quoad hæc beneficia requirit 22. annos, contra cujus Concilii decreta dispensare nequit Episcopus. Addit tamen Laym. *loc. cit. num.* 8. Anton. de Butrio *in cap. præterea. de ætat. & qualit. num.* 7. non improbabiliter affirmare, quòd Episcopus dispensare possit in ætate promovendi, quando ea non per se, ac directè requiritur, sed ratione annexi Ordinis, non tamen nisi ex gravi causâ & necessaria, cujusmodi est studiorū. Argumento *c. cùm ex eo. de Elect.* Cùm enim ex ea causa permittatur Episcopo, ut in non accipiendis ordinibus dispensare queat, consequenter etiam in ætate, dum ea indirectè requiritur. Atque ita juxta hanc Theoriam defendi posse, quòd dictum à se, nimirum in Cathedralibus Ecclesiis Germaniæ Canonicos dispensativè institui studiorum prosequendorum causâ, qui intra 7. circiter annos sacrum Ordinem ob defectum ætatis accipere non possunt, quamvis similes dispensationes Ecclesiis utiles non sint.

2. Respondeo secundò: si particulari alicujus Ecclesiæ Collegiatæ decreto certa ætas in promovendis exigatur, v. g. ut intra annū sacrū Ordinē susciperе queant, Episcopus cum Capituli consensu dispensare non prohibetur Laym. *ad cap. ex ratione. de ætat. & qualit.* de cetero, si literæ fundationis certam ætatem requirunt etiam indirectè, v. g. dicendo, ut Capellania sacerdoti conferatur, num Episcopus dispensare possit. Vide Laym. *Theol. moral. tr.* 2. *c.* 13. *q.* 6. *num.* 13. Quod verò attinet ad Papam, cùm is in beneficiis Ecclesiasticis plenitudinem potestatis obtineat, dubitandum non est, eum posse dispensare in ætate, tam directè, quàm indirectè requisita (intellige tam à jure, quàm statuto quocunque, aut fundatoris voluntate) Laym. *ad c. cùm in cunctis. de elect. §. inferiora. num.* 6. citans Azor. *ubi supra quæst.* 8. qui tamē addit dubitandum non esse has juris relaxationes Ecclesiis multùm obesse, & ex iis maximum animæ periculum crearі, tum in ipsis pueris, tum in iis, qui eas impetrandas curant. Non tamen rectè senserunt Bald. *in c. cùm adeo. de rescrip. num* 10. & Felin. *in c. si quando. tit. eod. num.* 4. dum ajunt, si Papa scienter scribat pro infante seu minore septem annis, ut ei beneficium Ecclesiasticum conferatur, non esse obediendum, nec literas executioni mandandas. Laym. *loc. cit.*

Quæstio 229. *In genere quænam corporis infirmitas, aut defectus reddat ineligibilem, aut aliter impromovibilem ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum?*

REspondeo: per quam quis est inhabilis, ut vel absolutè, vel saltem decenter, nequeat exercere officium, ad quod eligitur, constat ex toto *tit. de corpore vitiatu, & Clericis ægrotant. cap. nisi cùm pridem. de renunc.* Trident. *sess.* 22. *c.* 4. *de reform.* Unde etiam in genere dicendum omnem defectum corporis, qui irregularitatem inducendo, prohibet à susceptione Clericatûs & Ordinum eo ipso indirectè prohibere, quo minùs quis ad dignitatem, beneficium & officium Ecclesiasticum eligi, aut quâvis aliâ viâ promoveri possit. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 4. *p.* 4. *num.* 1. *ex comm.*

Quæstio 230. *In specie quænam infirmitas & defectus corporis directè, seu independenter ab eo, quod irregularitatem inducat, & à Clericatu vel Ordinibus sacris arceat, reddat ineligibilem, aut aliter impromovibilem ad Prælaturas & beneficia?*

1. REspondeo primò: cæcitas, surditas, privatio loquelæ. *c. hinc etenim. d.* 49. *c. constitutum. de verb. significat. in* 6. D. Thom. 3. *p. d.* 82. *a.* 10. quod tamen non tenet de lippis, vel uno tantùm oculo carentibus, surdastris tantùm & balbutientibus. Peyr. *in præl. q.* 2. *cap.* 4. *num.* 18. Sayr. *de censuris l.* 6. *cap.* 8. *num.* 3. Pass. *de Elect. c.* 25. *num.* 318. Navarr. *lib.* 1. *cons.* 7. *num.* 3. *de corpore vitiatis.*

2. Secundò paralysis continua, vel quasi continua. *c. ult. de Clericis ægrot. ibidem.* Barb. *num.* 2. Peyr. *loc. cit. num.* 13. Sayr. *loc. cit. num.* 10. Paris. *de resign. benef. l.* 5. *c.* 6. *num.* 22. Paris. *lo. cit. n.* 320. citans plures alios.

3. Tertiò podagra continua vel quasi continua, præter AA. cit. Regin. *in praxi l.* 30. *nu.* 57. Campanilis *rubrica* 11. *c.* 17. *n.* 137.

4. Quartò infirmitas habitualis, & radicata (pro exemplo Peyr. Pass. Sayr. Majol. *de irregul. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 10. ponunt pthisin) impediens à præcipuis actibus spectantibus ad Prælaturam, & officium.

officium. sumitur ex *cit. c. nisi jam pridem*, & *c. ex parte.* Suar. *de Cler. ægrot.* Abb. *ad c. cùm inter. de Elect. n. 2.* D. Thom. 2. 2. *q. 185. a. 4.* Verùmque id est, etsi infirmitas tantùm duratura pro toto, vel valde notabili tempore officii, vel prælaturæ. Pasl. Peyr. Majol. *ll. cit.* Idem dic de valetudinariis, qui malo corporis habitu, & affectu frequenter ægrotant, & lecto decumbunt. Paris. *loc. cit. q. 3. n. 29.* Menoch. *de arbit. l. 2. cas. 6. num. 3.* Porrò tantam Pasl. *loc. cit. num. 326.* in Superioribus regul. requirit sanitatem, quanta necessaria est, ut Prælati possint observantias & rigores vitæ communis tolerare, & aliis in legum custodia præire. Unde ait statutum peculiariter in suo Ordine Prædicatorum, ut nemo possit eligi in Priorem, qui non possit sequi chorum, dormitorium, & refectorium.

5. Quintò carentia primariæ alicujus partis corporis, vel tanta deformitas, ut sine notabili horrore & scandalo obire nequiret munia Ecclesiastica; sic enim immediatè etiam ratione indecentiæ forent ad talia ineligibiles. Pasl. *n. 327. & 328.*

Quæstio 231. *An si quis patiatur vitium corporis impediens celebrationem missæ v. g. careret oculo canonico, duobus digitis cum medietate manûs, vel pollice &c. promoveri possit ad beneficium simplex, nonnisi subdiaconatum, vel etiam nullum ordinem majorem requirens?*

REspondeo negativè: qui enim inhabilis est ex vitio corporis ad recipiendos Ordines majores & presbyterium, etiam inhabilis est ad recipiendos minores, quin & ad primam tonsuram. Castrop. *cit. d. 4. p. 4. n. 3.* citans Ugol. *de irreg. c. 52. §. 1. n. 4. & c. 64. num. 4.* Tolet. *in sum. l. 1. c. 57. 1. & 2. regul.* Garc. *de benef. p. 7. c. 12. n. 78.* contra Valent. *tom. 4. d. 7. quæst. 19. p. 3.* Responsio hæc fundatur potissimùm in *c. non confidat. 50. dist.* ubi corpore vitiati prohibentur divinis applicari ministeriis. Sed per susceptionem primæ Tonsuræ, & cujuslibet Ordinis minoris applicatur quis divinis ministeriis. Castrop. *l. cit.* Dein primâ tonsurâ, & ordinibus minoribus disponitur quis ad ministerium altaris, seu sacerdotium, quod omnes Ordines tanquam sui complementum respiciunt: ergo inhabilis ad illud ministerium, inhabilis censeri debet ad ordines minores, & consequenter ad quodlibet beneficium. Castrop.

Quæstio 232. *Vtrum ex defectu usûs rationis sint ineligibiles ad Prælaturas infantes, amentes, & mente capti?*

REspondeo affirmativè: *c. constitutionem. de verb. signif. in 6. ibid.* Gl. *V. intellectus* Azor. *p. 2. c. 4. q. 14.* Navar. *in c. si quando, de rescrip. nu. 6. & 10.* Sigism. à Bon. *de elect. dub. 86. n. 4.* Intelligendum hoc ipsum esse de eo, qui non in omni, sed in aliqua materia delirat; ad regendam enim Ecclesiam quod est Prælati, necessaria est prudentia, & discretio, cujus talis capax non est. Pasl. *c. 25. n. 4.* Item de amente habente lucida intervalla, cùm Prælatus debeat omni tempore, & occasione esse expeditus, ut suos possit gubernare. Pasl. *n. 5.* citans Rot. *decis. 190. n. 4. p. 2. recent.* Item de eo, qui semel fuit fatuus, intellige ex causâ habituali, & de se permanente. Pasl. *n. 6.* is enim præsumitur semper talis, nisi probetur sanatus Gl. *in c. fin. de succes. ab intest. V. competens* Menoch. *l. 6. præsump. 45. n. 59.* Quòd si tamen talis sit perfectè sanatus, idque probetur, poterit absque ulla dispensatione eligi in Prælatum, si antecedenter fuit in isto Ordine, quem Prælatura talis requirit. Pasl. *n. 7.* quia tales possunt in susceptis ordinibus ministrare sine dispensatione, & absque eo, quòd in hoc à Superioribus possint impediri. Suarez *de Cens. d. 51. sect. 1. n. 4.* Bonac. *de irreg. d. 7. q. 2. p. 2. n. 20.* Secùs est si antecedenter non fuerit ordinatus, sunt enim tales etiam perfectè sanati irregulares, ut sine dispensatione Papæ nequeant ordinari, ac consequenter seu indirectè, ut nequeant eligi electione supponente Ordinem. Pasl. *loc. cit.* Aliud quoque est de iis, qui ex causa transeunte, puta febri, vel irâ fuêre amentes, hi enim irregulares non sunt, sed eligi possunt. Suarez *loc. cit. n. 5.* Bonac. *loc. cit. n. 2.* Menoch. *loc. cit. n. 62.*

Quæstio 233. *Vtrum ergo electio talium sit ipso jure irrita?*

REspondeo: electio perpetuò amentis, vel etiam pro tempore amentiæ ipso jure naturæ est irrita, cùm sit contractus quidam, in quo Electus se obligat Ecclesiæ in iis, quæ spectant ad officium suum adimplendis; amens autem consentire, & se obligare nequeat, Pasl. *n. 10.* Electio verò amentis habentis longa & frequentia lucida intervalla facta tunc, cùm ille non est amens, vel etiam jam sanati (quod tamen intelligendum juxta factam paulò antè limitationem) non tantùm omni jure sit irritanda, sed probabiliter etiam irrita ipso jure positivo, non quidem antiquo, sed novo, nimirum Concil. Trid. *sess. 22. c. 4.* dicentis: *nec aliis imposterum fiat provisio, nisi iis, qui ætatem & ceteras habilitates* (inter quas absque dubio est usus rationis expeditus) *integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio.* Pasl. *loc. cit.* ubi tamen fusè probat, quòd hoc decretum respiciat solùm electionem & provisionem ad dignitates & beneficia in Cathedralibus & Collegiatis, non verò locum habeat in Regularibus, quod per Ecclesias regulares, quarum quoque ibi meminit Conc. non intelligantur Monasteria, conventus, & Ordines regulares, néve Ecclesiæ Canonicorum regularium, sed Ecclesiæ Cathedrales regulares, in quibus Episcopus simul sit Abbas, & Monachi sint Canonici, quarum plures fuerunt in Anglia, ut pluribus refert & probat.

Quæstio 234. *Vtrum eligi possit in Prælatum, qui frequenter solet inebriari?*

REspondeo negativè. Peyr. *in præl. q. 2. c. 5. §. 5. n. 58.* referens plures alios. Barb. *de off. Ep. alleg. 28. n. 11. & c. à crapula. de vit. & honest. clerici. n. 2.* talis enim habet se ut furiosus habens lucida intervalla; pertinet autem ad Prælatum non rarò & brevi tempore, sed semper, & in omni occasione regere Ecclesiam & subditos, iisque invigilare. Pasl. *num. 11.*

* * *

Quæstio

Quæstio 235. *Quid hac in re dicendum de dæmoniacis ita à dæmone possessis, & arreptis, ut non sit iis liberum à motibus incongruis abstinere, & ita sæpè privatis usu rationis, ut nesciant, quid agant?*

REspondeo: cùm in ordine ad suscipiendos Ordines, quin etiam clericatum incurratur irregularitas perpetua non nisi à Papa dispensabilis, etiam quoad regulares, quòd quis vel semel à dæmone fuerit possessus *c. maritum d.* 33. Suar. *de censuris, l.* 6. *d.* 51. *c.* 13. *n.* 3. tales non ordinati antecedenter erunt in Prælatos ineligibiles. Pass. *n.* 12. secùs est de antecedenter jam ordinatis, hi enim in susceptis Ordinibus ministrare, adeóque & in Prælatos eligi possunt, si sint ab infirmitate aut dæmone liberati; quod tamen non præsumitur nisi probetur *c. communiter. q.* 2. Suar. *loc. cit. sect.* 1. unde talis Electus in Prælatum, si fiat oppositio contra ejus liberationem, debebit eam probare, & nisi per annum, vel ad arbitrium per discretionem Superioris comprobatus fuerit liberatus, confirmari non poterit. Si à nullo contradicente confirmetur ejus electio, hæc erit valida, si verè est liberatus Pass. *n.* 13.

Quæstio 236. *Quid dicendum de Epilepticis?*

REspondeo: hi non ordinati sunt perpetuò irregulares & ineligibiles, etiam si sanati sint, nec possunt promoveri ad ordines, aut eligi ad Prælaturas sine dispensatione Papæ. Suar. & Pass. *ll. cit.* ordinati tamen, si rarius cadant, puta in mense semel sine inconditis vocibus, eligi poterunt, multóque magis si morbo hoc liberati sint. *c. in tuis literis.* Suar. *l. c. nu.* 6. Bonac. *d.* 7. *q.* 2. *p.* 2. *nu.* 22. Sylv. *V. corpore vitiati n.* 5. Pass. *loc. cit.* Ad probandam autem sanitatem ab hoc morbo sufficiunt 30. dies, ut habetur *c. in tuis literis.* 7. *q.* 2.

Quæstio 237. *An igitur electio horum infirmorum sit ipso jure nulla?*

REspondeo negativè, quia nullus est in jure textus irritans ipso jure, seu facto talium electionem; Est tamen de jure reprobanda, dum constat de tali defectu. Pass. *cit. cap.* 25. *num.* 329. quin etiam dum moraliter certò non constat ipsi infirmo, se ratione infirmitatis non posse exequi partes prælaturæ & muneris non solum validè, sed & licitè, utpote non intrusus, sed à Deo vocatus admittit prælaturam & officium. Pass. *num.* 331.

Quæstio 238. *Quid si igitur post confirmationem superveniat Prælato infirmitas reddens illum inhabilem ad gubernandum, an teneatur renunciare, vel Superiores teneantur illum ab officio amovere?*

REspondeo negativè: siquidem Episcopis ægrotis, quin & Parochis dantur Coadjutores. *c. Scripsit. c. cùm percussio. c. præsentium. c. qualiter* 7. *q.* 1. & *c. ex parte. de Cler. ægrot.* & *c.* 1. *de parochis.* Idem dicendum de Prælatis regul. præsertim Generalibus, eos nequaquam ob solam infirmitatem, etiam dum in eam ex culpa inciderunt (modò ea talis non sit, ob quam mereantur privari) privandos, esse officio, censet Pass. *num.* 332.

* * *

Quæstio 239. *An conferri possit beneficium ei, qui post susceptum Clericatum contraxit vitium corporis, ratione cujus est irregularis?*

REspondeo: posse talem promoveri ad beneficium, cujus exercitium vitium illud non impedit, non tamen ad beneficium, cujus exercitium impeditur tali vitio; irregularitas enim ex defectu corporis superveniens ordinato solùm impedit exercitium illius Ordinis, ad quod reddit vitiatum inhabilem; ergo etiam illius solùm beneficii consecutionem impedire debet, ad cujus exercitium inhabilis factus est. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *q.* 14. Suar. *de cens. d.* 51. *s.* 2. *num.* 18. Garc. *p.* 7. *c.* 12. *num.* 19. Nihilominus cùm omnibus beneficiis annexa sit obligatio recitandi horas, si quis ob vitium corporis v. g. cæcitatem redditus est inhabilis ad hanc recitationem, etsi Ordinibus initiatus sit, non poterit obtinere beneficium. Castrop. *ibidem.* citans Less. *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 25. *num.* 130. Garc. *ubi ante num.* 21.

Quæstio 240. *An semel morbosus, præsumatur laborare eodem morbo, si probet se esse sanatum, adeóque qui semel repulsus est ratione morbi, non possit amplius eligi, nisi se probet sanatum, & consequenter repulsio facta ab una Ecclesia faciat fidem quoad aliam Ecclesiam?*

REspondeo affirmativè: de morbis diu durabilibus, & qui ex natura sua solent esse habituales. Abb. *in c. cùm inter num.* 7. *ibidem.* Gloss. & And. apud Pass.

PARAGRAPHVS II.

De Scientia & gradu Magisterii requisitis ad beneficium obtinendum.

Quæstio 241. *Num requiratur in promovendo ad beneficia literarum Scientia?*

REspondeo affirmativè: impossibile enim est, ut carens literis sacris aptus sit officiis, ut dicitur *c. illiteratos. dist.* 36. ubi Gelas. Papa æquiparat illiteratos cæcis, uti Gregor. X. æquiparat illos infantibus *in c. ult. de temp. ord. in* 6. Lott. *l.* 2. *q.* 50. *n.* 1. 5. & 6. Porrò alii sunt illiterati simpliciter, qui & propriè illiterati dicuntur, qui non ex toto rudes ad literas altiores provecti non sunt, ut Seneca *de benef. l.* 5. *q.* 13. Alii penitus illiterati, qui nullas aut modicas literas sciunt, norúntque tamen legere & scribere in vulgari, ut Rebuff. *de pacif. poss. num.* 262. Lott. *loc. cit. n.* 12.

Quæstio 242. *In genere quanta ex jure naturæ & divino requiratur Scientia, ut quis ad Prælaturam, beneficium, vel officium Ecclesiasti-*

cleſiaſticum eligi, vel etiam quocunque alio modo promoveri poſſit?

REſpondeo: neceſſaria eſt tanta ſcientia, & rerum agendarum notitia, quanta requiritur ad prudenter exequendum officium, ad quod quis promovetur, D. Thom. *in addit. ad 3. p. q. 36. a. 2.* Abb. *in c. cùm in cunctis. de elect.* & alii *ibid.* Peyr. *loc. cit. q. 2. c. 2. nu. 11.* citans Menoch. Gonet. Pariſ. &c. ita ut tam eligentes carentem hâc ſcientiâ, quàm ipſe Electus conſcius hujus ſui defectûs conſentiendo electioni peccent mortaliter. Suar. *de cenſ. d. 51. ſ. 1.* Garc. *de benef. p. 7. c. 7. n. 25.* Miran. *in manual. Prælator. regul. tom. 2. q. 4. a. 2.* Porrò cenſebitur hæc requiſita Scientia ſufficiens adhuc, dum Prælatus novit prudenter uti Vicariorum & miniſtrorum operâ & auxilio in adimplendo munere ſuo, valeátque aliquo modo de eorum auxiliis judicare. Paſſ. *cit. c. 25. n. 18.*

Quæſtio 243. Quanta ſcientia requiratur jure Eccleſiaſtico univerſaliter pro omni beneficio Eccleſiaſtico?

REſpondeo: tanta, quanta requiritur ad primam tonſuram hoc eſt ut ſciat rudimenta fidei, dein legere & ſcribere Trid. *ſeſſ. 23. c. 4.* Leſſ. *de juſt. l. 2. c. 34. n. 129.* Sigiſm. de Bon. *de Elect. dub. 60. n. 6.* Garc. & Paſſ. *loc. cit.* Porrò loquendo de electione vel promotione ad officium ſufficiet, poſſe legere & ſcribere in iſto idiomate, quod neceſſarium eſt ad exercitium iſtius officii. Loquendo autem de officio non importante exercitium alicujus Ordinis, ſed merè juriſdictionis, & gubernationis, ut eſt officium Abbatiſſæ, Rectoris vel Superioris in ordine laicorum, opus non eſt ſcire latinè, niſi fortè ſpecialia ſtatuta id requirant. Sed neque id opus eſt reſpectivè ad officium importans exercitium Ordinis alicujus, ubi in miniſteriis & functionibus Eccleſiaſticis non eſt uſus latinæ linguæ v. g. in Græcia, Armenia &c. ſecùs eſt in Eccleſia latina. Paſſ. *n. 20. & ſeq.*

Quæſtio 244. Quanta requiratur ſcientia ad obtinendum beneficium ſimplex?

REſpondeo: ſi non habet annexum Ordinem ullum vel ſervitium præter ſcientiam, quæ præcisè neceſſaria eſt ad primam tonſuram, requiritur aliqualis major notitia Sacramentorum, & aliqualis intelligentia linguæ latinæ (intelligè reſpectu Eccleſiæ latinæ) ut aptus quis ſit ad recitandum officium divinum, etſi non eſſet ſpes plùs proficiendi. Caſtrop. *to. 2. t. 13. d. 4. p. 6. num. 9.* Garc. *loc. cit. n. 8.* Paſſ. *n. 40.* ait etiam Lott. *l. 2. q. 50. num. 14.* citans pro hoc *c. accepimus. de ætat. & qualit.* & ſic deciſum dicens: *in una Amerina juriſp. 1. Julii 1616.* fruſtra objici illiteraturam clerico primæ tonſuræ ab Epiſcopo ad beneficium ſimplex promoto, eò quòd defectus iſte literaturæ in illo ſit diſpenſabilis ab Epiſcopo. idque procedere, etiamſi non intelligat horas Canonicas, ad quarum recitationem tenetur, pro quo citat Nav. *de horis Can. c. 13. num. 11. & 12.* quod ipſum tamen limitat Lott. *ibid. n. 49.* dum ait; quòd, cùm recitatio vel pſallmodia horarum non conſiſtat ſolùm in pronunciatione vel cantu, ſed etiá in intellectu literali verborum, neceſſe eſſe, ut ad hoc habeat ſcientiam, etſi alias perfectè horas non intelligat.

2. Si verò habet annexum Ordinem ſacrum, requiritur major doctrina, majoríſque ſcientiæ ſpes, & in ſpecie ſcientia illa, quæ neceſſaria eſt ad Ordinem illum recipiendum Garc. *loc. cit. n. 11.* citans Hojed. Azor. Gon. Requiritque Trident. *ſeſſ. 23. c. 13.* ad Subdiaconatum, & Diaconatum, ut quis ſit inſtructus in literis, & iis, quæ ad exercendum Ordinem pertinent, & *c. 14.* ad presbyteratum, ut quis idoneus ſit ad docendum ea, quæ omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem, & adminiſtranda Sacramenta. Quo decreto ſtante juxta Fagn. *in c. cum in cunctis.* jam promoveri nequeunt ad presbyterarum parum ſcientes, qui tamen ſunt dociles & apti ad docendum, ut docuit Innoc. nequidem diſpenſativè, & ex magna causâ (ut Innoc. declarant Abb. & Hoſt.) cùm Epiſcopi in hoc decreto Concilii diſpenſare nequeant, ne quidem ex magna causâ. Porrò dum de beneficio ſimplici quæritur, quod ſimul & Ordinem, & adminiſtrationem annexam habet, adeóque Scientia neceſſaria in promovendo ab Ordine, & adminiſtratione menſuram recipere debet, hoc faciendum eſt diſcrimen, ut quæ ad Ordinem ſpectat, exigatur actu, quæ verò ad adminiſtrationem, ſaltem requiritur aptitudine Lott. *loc. cit. n. 54.*

Quæſtio 245. Quæ ſcientia requiratur ad dignitates, & Canonicatus, non habentes juriſdictionem, aut curam animarum?

REſpondeo: requiri majorem quandam quam præcisè neceſſaria eſt ad Ordinem dignitati, vel Canonicatui annexum, eò quòd munus ſeu dignitas induſtriam depoſcat, à Canonico in Capitulo dandum ſit Conſilium. Paſſ. *n. 39.* citans Menoch. *de arbit. c. 425. n. 25.* Abb. &c. Lott. *l. 2. q. 50. n. 52. & 53.* ubi etiam quod major requiratur ideo ſcientia in Canonico Cathedrali quam Collegiatæ, & hinc in examine ad Canonicatus Cathedrales ſemper diſquiri, num promovendus ultra grammaticam ulterius ita profecerit, ut ſuo conſilio aliquando juvare poſſit Eccleſiam, ne ut dicebat Roderic. Zamorenſ. Epiſcopus *in ſuo ſpeculo p. 2. c. 17.* contingat ad Capitulum duci oves & boves. Verùm maturitas & capacitas dandi conſilium non eſt de eſſentia Canonicatûs, cùm eſſe quis poſſit Canonicus abſque eo, quòd vocem habeat in Capitulo.

Quæſtio 246. Quæ ſcientia requiratur ad beneficia curam animarum annexam habentia, maximè parochialia?

REſpondeo: requiri ut tales ſciant inter peccata diſtinguere, Evangeliú declarare, Sacramenta ritè adminiſtrare Trid. *ſeſſ. 24. c. 18. de reform.* Nav. *in c. 1. de pœnit. & remiſſ.* adeóque major in iis requiritur ſcientia, quàm in ſimplice ſacerdote, utpote quæ conſiſtit non in ſola doctrina Evangelii populo rectè exponenda, ſed & in diſtinguendo lepram à lepra, id eſt, peccatum à peccato Lott. *cit. n. 54.* citans Gonz. *Gl. 4. num. 72.* Staphil. *de Exſpect. forma. 6. nu. 2.* neceſſe tamen non eſt, ut deſuper contenta in libris ſic memoria teneat, ut de illis extemplò diſſerere poſſit, & tutò reſpondere, ſed ſufficit ea eſſe inſtructum facultate, ut in libris ſciat quærere, invenire & intelligere veritatem in hoc puncto neceſſariorum Lott. *n. 55. & 56.* citans Gonz. *Gl. 4. n. 82. & 83.* Innoc. *in c. cum ni cunctis. n. 1.* Butrio *ibid. n. 10.* Abb. *n. 4.* Hoſt.

n. 10.

n. 10. quod tamen intelligendum ait Lott. *n.* 57. ut sciat invenire seu intelligere ex se ipso, non autem discendo ab aliis, cùm ut, Gratian. *post c.* 2. *dist.* 36. inconveniens sit, ut tunc quærat discere, cùm opus est alios docere. Porrò necesse est, ut dictâ scientiâ ipso promotionis tempore sit instructus Lott. *cit. n.* 55. De cetero ad arbitrandum, num impleta sit mensura scientiæ, habendam esse rationem qualitatis beneficii curati respectu loci, cùm non requiritur eadem seu tanta scientia in præposito curæ personarum vilium, quæ in præposito curæ magnorum virorum, ait Lott. *n.* 59. citans Abb. *in c. cum in cunctis, n.* 4. Majol. *de irregul. l.* 1. *c.* 32. *n.* 9.

Quæstio 247. *Quæ scientia requiratur ad Episcopatum?*

Respondeo: competens aliqua notitia S. Scripturæ, mysteriorum fidei, Traditionum, Conciliorum, Theologiæ tam speculativæ quam moralis, & SS. Canonum, ut quæ sunt fidei & morum, docere, gregémque suum ab hæreticorum erroribus defendere, jus dicere, & responsa dare valeat *c. qui Episcopus. d.* 23. *c. qui Ecclesiasticis, & c. fin. d.* 36. *c. omnes. c. nulli, c. placuit d.* 38. vide Less. *l.* 2. *c.* 34. *dub.* 24. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 28. *& l.* 6. *c.* 6. *q.* 11. Barb. *ad c. cum in cunctis. n.* 7. Menoch. *loc. cit. n.* 15. Non tamen requiritur scientia eminens. *c. nisi. de renunc.* Sed sufficit si tanta sit adjuncta prudentia, & rerum experientia, ut erroribus & deceptionibus obnoxius non sit, sed inter bonum & malum, aptum & ineptum à suis adjutoribus vel officialibus suggestum consilium discernere valeat Arg. *c. nullus, d.* 28. Laym. *ad c. cum in cunctis. n.* 5.

Quæstio 248. *Quæ scientia requiratur in Abbate?*

Respondeo: tametsi ut inquit Gl. *in c. legi Epistolam,* 16. *q.* 1. *V. instructio,* sufficiat Monacho, quòd bonus sit, quamvis illiteratus, cum, ut S. Hieronym. *in eod. c.* Monachus non docentis sed plangentis habeat officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum; aliud tamen est in Abbate, in quo licèt non requiratur magna Scientia, exigetur tamen sufficientia literarum pro administratione curæ animarum, cùm quilibet Abbas habeat curam saltem fori pœnitentialis respectu suorum Monachorum Lott. *l.* 2. *q.* 50. *n.* 28. ex Abb. *in c. in cunctis. n.* 4. unde dum idem Abb. *in c. ult. de æt. & qualit. n.* 5. quærit, num Abbas ignorans grammaticam debeat deponi, & respondet quod non, si aliàs sit discretus, & peritus regulæ, intelligendus non est de totali ignorantiâ, sed grammaticali, ita ut eam nesciens barbarismis, & solæcismis repleat orationem. Lott. *loc. cit. n.* 29. & 30.

Quæstio 249. *An ergo electio seu promotio penitùs illiterati, vel etiam carentis istâ scientiâ, quam jus ad tale officium requirit, sit ipso jure nulla?*

1. Respondeo primò: promotio carentis scientiâ necessariâ ad prudenter exequendum munus suum, ad quod quis promovetur, non est irrita ipso jure naturali aut divino. non enim minus necessaria est bonitas seu probitas subjecti, quam scientia, & tamen ab hâc bonitate non ita dependet potestas Ecclesiastica, ut illius incapax sit improbus, etsi ei fiat collatio, ea sit irrita vi legis naturæ aut divinæ. Item illiteratus sicut ordinatur validè, & recipit potestatem Ordinis, sic & potestatem jurisdictionis, quantum est ex lege naturæ seu divina. Et hæc certa esse ait Pass. *loc. cit. n.* 47. Nihilominus vi utriúsque legis promotio taliter, multóque magis penitus illiterati, est irritanda tanquam iniqua contraria fini, ad quem ordinantur officia & beneficia, & perniciosâ bono communi, & cultui divino. Unde etiam talis illiteratus sicut peccavit mortaliter recipiendo officium, ita sub mortali tenetur illud dimittere, vel saltem abstinere ab exercitio illius, usque dum se ad illud habilitet. Nav. *in c. si quando. Excepi.* 8. *num.* 4. item *consil.* 8. *num.* 4. *de præb.* Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 13. *q.* 18. Pass. *num.* 48. Verúmque id est sive beneficium sit simplex, sive Canonicatus, aut curatum, modò careat quis scientiâ competente tali beneficio Garc. *loc. cit. c.* 7. *n.* 15. Castrop. *to.* 2. *tr.* 13. *d.* 4. *p.* 6. *n.* 4.

2. Respondeo secundò: sed neque ex jure positivo promotio carentis requisitâ ad munus, ad quod promovetur scientiâ, est ipso jure irrita, nisi ubi jus positivum expresè illam irritam declaret cum clausula decreti irritantis, sed solùm irritanda Pass. *loc. cit. n.* 50. sic enim *c. fin. de æt. & qualit.* Honor. 3. promotum in Episcopum, qui nunquam didicit grammaticam, non declaravit nulliter ipso jure promotum. Trid. quoque *sess.* 7. *c.* 3. *de reform.* collationem beneficiorum etiam curatorum factam non idoneis contra Constit. Alex. 3. & Greg. 10. non dicit ipso jure irritam, sed quod *irritetur.* atqui in hoc sensu intelligi possunt DD. quamplurimi docentes, promotionem hujusmodi esse irritam, nimirum à judice competente habendam nullam & cassandâ; sæpe namque dicitur jure irritum, quod à jure reprobatur, & ipso jure dicitur irritandum. Idem dicendum de penitus illiterato, nec in hoc faciendum discrimen, tenet Pass. *n.* 51. contra Laym. *in c. cum in cunctis.* §. *inferiora. n.* 11. & alios docentes promotionem talis ad curatum, aut ad Canonicatū in Cathedrali esse ipso jure irritā. Argumento *cit.* §. *& c. ult. de æt. & qual.* eò quòd dum jura requirunt scientiam, non requirunt eam nisi sub ratione dantis idoneitatem proximam ad munia Ecclesiastica, adeóque si defectus scientiæ, competentis pro tali vel tali dignitate, vel officio sit æquè defectus simpliciter talis idoneitatis proximæ, quam defectus omnis illiteraturæ (ac parum proinde curaretur, sive quis carens requisitâ fortè scientia Theologica, vel Canonica destitutus sit, insuper alia literatura v. g. scientia legendi vel loquendi latinè, sive non) si defectus scientiæ competentis non reddit promotionem ipso facto nullam, neque id facier omnimoda illiteratura; aut certè si hæc id faciat, idem faciet defectus scientiæ competentis. Sed neque his obstat, quòd carens scientiâ à jure requisitâ sit irregularis, ut docent Suar. *de Cens. d.* 51. *s.* 1. *n.* 8. Ugol. *de irreg. c.* 3. Gonz. *ad reg.* 8. *canc. Gl.* 4. *num.* 41. nam præterquam, quod talem esse propriè irregularem, negent Garc. *loc. cit. num.* 10. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 13. Sigism. à Bon. *de elect. dub.* 60. *num.* 8. *&c.* incertum insuper est, num promotio irregularis sit ipso jure irrita.

* * *
*

Quæstio 250. *An talis illiteratus conscius suæ illiteraturæ, aut etiam in ejus defectu promotores istius teneantur restituere fructus, quos ille percepit?*

REspondeo: negativè; si enim, ut dictum, ejus promotio non est ipso jure invalida, jam habet titulum validum, nempe beneficii, ratione cujus facit fructus suos. Garc. *loc. cit. n.* 29. Pass. *nu.* 53. contra Aragon. 2. 2*dæ q.* 62. *a.* 2. (secùs tamen est, ubi non esset titulus beneficii, sed merum salarium, ut in Cathedris aliisque officiis; ibi enim est titulus officii, quod talis non implet. Garc. *n.* 30.) unde jam etiam promotor videtur non teneri ad fructus illos restituendos, ut docet idem Garc. contra plures, quos citat *n.* 26. sed solùm ad damna ex tali promotione & administratione secuta Ecclesiæ Less. *loc. cit. n.* 74. *de justit.* Azor. *loc. cit. c.* 15. Navar. *de redit. Ecclesiæ. q.* 2. *monito* 25. & alii plurimi apud Garc.

Quæstio 251. *Qualiter probetur inscitia literarum, & è contra scientia competens?*

1. REspondeo primò: literarum inscitia concludenter non probatur per testes deponentes, talem nunquam legisse libros scientiæ nec intrâsse scholas, vel Doctorem audivisse, ut censent Abb. *in c. ult. de æt. & qual. n.* 2. Sayrus *in Thesau. l.* 6. *c.* 3. *n.* 4. cum dari possit instantia scientiæ testibus ignotæ; adeóque id solùm referendum ad simplicem præsumptionem ignorantiæ, quæ inferat necessitatem examinis, sive objectus inscitiæ fiat, ne provisus admittatur, sive ut admissus repellatur. Lott. *l.* 2. *q.* 50. *n.* 61.

2. Respondeo secundò: cum scientia literarum non sit qualitas congenita, sed ex labore & industriâ homini contingens, in nullo homine præsumitur, sed eget justificatione præ cetetis, quæ ad idoneitatem provisi spectant Lott. *n.* 62. juxta Gl. *in c. si fortè, de elect. in* 6. *V. scientia.*

3 Respondeo tertiò: tametsi per testes probari possit gradus provisi vel providendi, & sic nasci præsumptio aliqua idoneitatis, non tamen per eos concludenter probatur scientia. Lott. *num.* 67. sed nec ipse gradus, etsi aliqualem faciat præsumptionem, non tamen probat scientiam, cum non sequatur: ille est Doctor, ergo est doctus, dum, ut inquit Mandos. *ad reg.* 19. *cancell. q.* 13. *n.* 3. quotidie videamus infantissimos doctorellos, qui nesciunt prima legum principia. Lott. *à n.* 70. licèt autem Doctor sit idoneus testis super doctrina discipuli sui juxta *l. nemini. c. de advocat. diverf. judic.* hæc tamen ipsa testificatio magistrorum de peritiâ discipuli supponit examen, utpote vi cujus, dum sæpe discipulum interrogantes, & ab eo responsum accipientes illius scientiam deprehenderunt. proinde

4. Respondeo quartò: scientiam literarum non aliter internosci & probari, quam mediante examine. Lott. *n.* 65. citans Rot. *in nov. decis.* 18. *de probat.* & *in Calagurit. beneficii* 9. *Februarii* 1591. proceditque in tantum hæc examinis necessitas, ut Executor etiam nullo contradictore petente debeat ad illud devenire, quia cum respiciat publicam Ecclesiæ utilitatem, debet, ut ait *Gl. in c. si fortè, de elect. in* 6. exuberare judicis officium. Lott. *à n.* 76. citans Gemin. *in c. si fortè. num.* 4. & Jo. Monach. *ibid. n.* 7. qui illud ampliat, etiam quòd contradictor renunciet, potest tamen cessante concursu ad actum hujusmodi examinis procedi extrajudicialiter Lott. *n.* 78. citans Mascard. *de probat. concl.* 877. *n.* 2. Felin. *in c. dudum. de præsump. n.* 36. *&c.* ejúsque commissio est potiùs conscientialis, quam judicialis, unde potest subdelegari, cum regulariter oneratio conscientiæ non implicet electionem industriæ personæ Lott. *n* 79. & 80. Atque ita probatio à solo examinatore concludi Lott. *cit. n.* 79. citans pro hoc Alex. *conf.* 218. *n.* 3. *l.* 2. Et sicut collatio ita & examen hoc tanquam illius accessorium, & non minùs voluntariæ jurisdictionis potest fieri extra territorium Lott. *n.* 80. & 82. citans Alex. & Mascard. *ubi ante* Felin. & alios. Denique monet Lott. *n.* 86. Examinatores in hoc examine (utpote quòd non est simpliciter necessarium, prout est illud, quod fit, & est pro seu de forma, ita etiam ut non obstante clausulâ: *si idoneum repereris*: sufficiat Executorem, etiam non facto examine, eum habuisse pro idoneo, ut forma literarum observata censeatur) non debere esse nimis scrupulosos, præsertim si promovendus ad beneficium aliquod simplex jam ad ordines prævio examine receptus esset, juxta text. *c. accepimus. de ætat. & qual.* & Gonz. *Gl.* 4. *n.* 84. quòd si verò peracto tali examine executor pronunciaret provisum non idoneum, vel hac de causâ literas non esse exequibiles, gratia evaneseeret, nec posset revalidari, aut alia obtineri citra vitium manifestæ subreptionis, nisi de hoc fieret expressâ mentio Lott. *num.* 87. citans Rot. *p.* 1. *decis.* 423. *nu.* 7. *in recent.*

Quæstio 252. *Ad quas dignitates requiratur gradus Doctoralis, vel Licentiatus in Theologia vel jure can. vi Concilii Trident. Suppono enim jure antiquo communi in nullo beneficio talem gradum requisitum Garc.* n. 31.

1. REspondeo primò: ad Episcopatum; sufficiet tamen etiam habere publicum alicujus Academiæ testimonium; vel si regularis sit, à Superioribus Religionis suæ, quòd idoneus sit ad alios docendos Trid. *sess.* 22. *c.* 2. *de reform.* Greg. 14. *in Constit. sua. onus Apostolicæ.*

2. Respondeo secundò: ad Scholasteriam (de qua fusè Duarenus *de benef. l.* 10. *c.* 15. & Barb. *de canon. c.* 10.) sufficit tamen etiam ad illam persona alia idonea, quæ per se ipsam id munus explere possit Trid. *sess.* 23. *c.* 18. Sed neque decretum hoc obligat, ubi non est erigendum Seminarium, vel ubi in institutione Seminarii Præceptores sunt instituti Garc. Barb. Salzed. *cit. à* Pass. *n.* 29.

3. Respondeo tertiò: ad Archidiaconatum Trid. *sess.* 24. *c.* 12. ubi tamen addit: *in Ecclesiis, ubi id fieri potest.* ceterum intelligendum hoc decretum de Archidiaconatu habente annexam curam animarum vel jurisdictionem. Riccius *in praxi decis.* 473. Piasce. *in praxi Episcop. p.* 1. *c.* 10. *n.* 20. Garc. *loc. cit. n.* 4. imo secundum Navar. *in Man. c.* 25. *n.* 135. nisi de eo Archidiacono, de quo loquitur *tit. de off. Archid.* qui est caput capituli post Episcopum. Hojeda nonnisi de Archidiaconis Ecclesiæ Cathed. seu principalibus, & non de aliis inferioribus civitatum vel oppidorum.

4. Respondeo quartò: ad Archipresbyteratum, ubi ei fortè de consuetudine Ecclesiæ alicujus annexa est jurisdictio illa, quæ de jure communi

conve-

convenit Archidiacono Barb. *ad cit. c.* 12. Trident. Menoch. de arbit. casu 425. *n.* 42. eò quòd concilium non respexerit nomen Archidiaconi, sed officium, potestatem & jurisdictionem.

5. Respondeo quintò: ad Canonicatum Cathedralem, cui annexus est pœnitentiariatus. Trid. *sess.* 24. *c.* 8. quamvis & ibi dicatur posse esse non graduatum, qui aptior pro loci qualitate reperiatur. vide Castrop. *loc. cit. n.* 17. Nequaquam autem ad decanatum requiri illum gradum tanquam resolutum à S. Congregat. tradit Garc. *n.* 43. Castrop. *n.* 16. Barb. *de can. c.* 7. *de off. Ep. alleg.* 80. *nu.* 61. Item non ad principalem dignitatem in Ecclesia collegiata exempta, cui ordinaria jurisdictio cum omnibus juribus quasi Episcopalibus competit, Castrop. *num.* 14. Garc. *num.* 32. Trid. enim *cit. c.* 12. loquens de dignitatibus non præcipit, sed hortatur solùm, ut graduatis conferantur Barbos. *ad cit. c.* 12. *n.* 15. *& de can. c.* 2. *n.* 20. uti etiam hortatur solùm, ut in provinciis, ubi commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus & Collegiatis insignibus conferantur graduatis. Garc. *loc. cit. n.* 44. Lott. *l.* 1. *q.* 15. *à nu.* 1. ubi etiam, quæ sit Collegiata insignis. Unde jam infertur primo, quòd si hujusmodi dignitates ignaris & indoctis conferantur, id prorsus esse contra mentem Papæ, qui sicuti novit Ecclesiam, egere hominibus literatis, non asinis ferratis ut Joannes Monach. & Prob. *in c. cum ex eo. de Elect. in* 6. ita nihil non molitur, ne istiusmodi ignaris provideatur de dignitatibus illis, & hinc qui fraudem huic sanctæ menti Pontificis faciunt, aut ad id cooperantur, peccent mortaliter Lott. *l.* 3. *q.* 7. *à n.* 45. citans Navar. *in man. in miscellan. de orat. nu.* 66. nec excusaretur quis prætextu Magisterii seu Doctoratûs, aut Licentiaturæ, si is gradus sine scientia per fraudem fuisset extortus, aut procuratus, cùm adhuc fiat fraus dictæ menti Papæ Lott. *n.* 49. eò quòd quamvis gradus talis exigatur ad speciem decoris ipsius Ecclesiæ, magis tamen spectetur ipsius Ecclesiæ utilitas, quæ non tantum consistit in illa specie, quam in re ipsa, ut nimirum persona ad dignitates hujusmodi promovenda reipsa sit literata, valdéque docta Lott. *n.* 50. *&* 51. Infertur secundò pro obtinendis istiusmodi dignitatibus non sufficere qualemcúnque etiam scientiam, aut in Theologia aut in jure can. nisi concurrat gradus reipsa collatus, cum utrúmque, nempe scientia & gradus simul requirantur Lott. *n.* 54. citans Gonz. *Gl.* 13. *n.* 100.

Quæstio 253. *An pro capacitate personæ in ordine ad obtinendum ejusmodi dignitates, quibus annexus talis gradus, necesse sit, hunc esse obtentum in publica Vniversitate studii generalis?*

Respondeo affirmativè. Lott. *cit. q.* 7. *nu.* 123. satis enim hæc circumstantia explicatur per *Extrav. Pii V. de anno* 1566. 1. *Junii*, quæ in Bullario est *Constitutio* 60. istius Pontificis, per quam omnia privilegia & indulta Comitibus Palatinis, & quibusvis Officialibus Curiæ Romanæ, collegiis aliisve personis, cujuscunque statûs, gradûs, ordinis & præeminentiæ, ad Doctoratûs, Licentiæ, Magisterii gradum promovendi per quoscunque Pontifices prædecessores suos, ac etiam per seipsum, etiam motu proprio, déque certa scientia, & potestatis plenitudine quomodolibet concessa, confirmata, & innovatâ auctoritate Apostolica, perpetuò revocavit, cessavit, & annullavit, ac decretis Tridentini inhærendo decrevit, & declaravit, eos qui à præfatis personis promoti fuerint, quoad dignitates aliáque beneficia Ecclesiastica nullâ gradûs prærogativâ frui & gaudere posse, vel debere, cum clausula: *sublata*, & decreto irritante & amplissimâ derogatione obstantium, adjectâ etiam ratione, quia intellexerat hujusmodi indulta, quàm plurimos tam laicos, quàm Clericos tam in jure civili, quàm Canon. & Theologia nullo aut non debito examine prævio indoctos & inhabiles promovisse Doctores & Magistros, ut ad dignitates aliáve beneficia faciliùs assumerentur in animarum suarum jacturam, & plurium scandalum. Atque ita dum Papa in hac Constitutione sua se refert adhærere decretis Trident. utique indicat Concilium *sess.* 24. *c.* 12. ubi pro obtinendis istis dignitatibus exigit Magisterium, Doctoratum, aut Licentiaturam, intellexisse de Magisterio, Doctoratu, &c. collatis in publica Universitate studii generalis, non autem intra privatos parietes; Neque verisimile est Concilium intellexisse de graduatis extra publicas Universitates, dum in his præsumitur doctrinæ defectus. Lott. *à num.* 124. citans pro hoc postremo Felin. *in cap. per tuos. de major. & obed.* Porrò idem multò magis dicendum de graduatis ab indultario aliquo Cæsaris, vel etiam ab ipsomet Cæsare; non solùm quia respectu facultatis Theologicæ, & juris canon. (quas duntaxat Concilium & Papa considerat) deficit illius auctoritas, ut Felin. *loc. cit. n.* 3. sed quia quos Papa inhabilitat in materia sibi subjecta, non potest Cæsar habilitare. Lott. *num.* 131. Ratio autem cur requiratur gradus in publica Universitate obtentus, hæc est; quòd cùm ideo gradus exigatur in istis dignitatibus, aliisve beneficiis, ut digna dignis conferantur. Dignitas autem personæ ad beneficia Ecclesiastica æstimetur ex moribus & scientia, aliísque qualitatibus, hæc omnia certius meliúsque excoquantur, & rimentur, priusquam gradus in Universitate conferatur, quam dum alibi intra privatos parietes promoventur. Lott. *num.* 158. *& seq.* fusè.

Quæstio 254. *An valeat adeptio beneficii, vel dignitatis requirentis gradum, si is habeatur sine competente scientia; vel etiam si is collatus sit contra formam statutorum Academiæ, in qua susceptus est?*

1. Respondeo ad primum affirmativè. Garc. *loc. cit. num.* 50. Castrop. *loc. cit. num.* 19. Azor. *loc. cit. c.* 6. *q.* 1. Barb. *de Can. c.* 26. *num.* 9. quia talis est verè graduatus, licèt indignè, & gaudet privilegiis graduatorum AA. iidem. Unde etiam vi legis positivæ v. g. Concilii Trident. aut vi specialis statuti alicujus Ecclesiæ requirentis talem gradum, talis provisio non foret irritanda; quia lex ista verè impleta esset; quidquid sit de eo, quid faciendum esset vi legis divinæ, requirentis in tali ministro Ecclesiæ scientiam sufficientem ad prudenter exercendum officium, quæ per talem indocti promotionem impleta non esset. Pass. *num.* 36.

2. Respondeo ad secundum: si gradus susceptus contra statuta sit ipso jure nullus (qualis v. g. erit, si receptus sine prævia professione fidei contra *Constit.* 112. Pii IV. ubi ea recepta est) promotio ad beneficiū requirens illum erit nulla ipso facto, vel jure irritanda, prout statutum; promotionem sine gradu esse irritam, vel irritandam; sunt enim idem

idem non esse graduatum, & esse nulliter graduatum. Azor. Garc. Castrop. *ll. cit.*

Quæstio 255. *Qualiter gradus Magisterii, Doctoratûs, vel Licentiæ narratus pro obtinenda dignitate, vel beneficio justificari debeat?*

1. REspondeo primò: eo ipso illum justificari, quòd probetur obtentus in aliqua Universitate publica studii generalis, quia cùm neque decretum Concilii, neque decretum appositum in supplicatione distinguat, sed loquitur universaliter de Universitatibus publicis, nec nos distinguere debemus unam Universitatem ab alia, sed quælibet Universitas gradum sufficientem conferre censenda est, nisi forte in limine fundationis aliter cautum esset, aut nationi alicui, vel Ecclesiæ ex speciali Pontificis privilegio aliter indultum esset. Lott. *l. 3. q. 7. à num.* 139.

2. Respondeo secundò: non solùm probari, & justificari debet gradus narratus pro obtinenda dignitate, vel etiam beneficio, cui annexus, sed etiam dum narratus est pro obtinendo (intellige facilius) beneficio, pro quo non est necessarius, cùm per hujusmodi narrativam videatur motus Papa ad providendum potiùs huic graduato, quàm alteri. Lott. *num.* 195. Quamvis autem non sufficiat aliàs docere de hujusmodi gradu obtento auctoritate alicujus Comitis Palatini, aut alterius indultarii, cùm supradicta Constitutio Pii V. non solùm respectu dignitatum, sed etiam respectu cæterorum beneficiorum elidat omnia indulta, & privilegia, decernátque respectu omnium beneficiorum ita promotos non posse frui & gaudere prærogativa gradus, non videatur constituenda differentia inter dignitates & beneficia reliqua. Lott. *cit. n.* 195. citans Menoch. *cons.* 158. *num.* 49. Nihilominus cùm aliud sit, quòd quis velit probare gradum ad effectum, ut fruatur illius prærogativa, & aliud, quòd velit probare gradum de facto, ut fruatur simplici gratia distincta & separata ab omni prærogativa gradus, hoc posteriori casu sufficiet verificare gradum de facto. Lott. *num.* 196. nisi ut Idem *num.* 197. ellemus in concursu alterius.

Quæstio 256. *Qualiter gradus Magisterii in artibus, aut etiam Doctoratûs in aliis scientiis, quàm in jure canonico, aut Theologia, habeatur in consideratione respectu beneficiorum Ecclesiasticorum?*

REspondeo: tametsi ex consuetudine aut speciali statuto quarundam Ecclesiarum Collegiatarum consideretur & requiratur in Ordine ad obtinendas in iis præbendas, seu Canonicatus Magisterium in artibus; quantum tamen est ex vi superioris decreti Tridentini potissimum ad dignitates, non habetur ratio alterius gradûs, quàm in Theologia aut SS. Canonibus, ita ut censeatur exclusum Magisterium in artibus. Lott. *l. 3. q. 7. num.* 91. ex Roman. *cons.* 333. *num.* 7. quin & parvi penditur Doctoratus in jure civili, usque adeo, ut mediocris Theologus, vel juris canonici Doctor præferatur supremo Doctori juris civilis tantùm. Lott. *ibidem, num.* 92. ex Deci. *in c. Clerici. de judic. num.* 45. quòd tamen ut idem Lott. *num.* 93. non tam provenit ex neglectu vel artium, vel juris civilis, sed quia & artes, & ipsius juris civilis scientia includuntur in duabus Ecclesiasticis disciplinis, Theologica nimirum & Canonica, cùm sine artibus liberalibus ad has scientias aspirare vanum sit, & Doctor in decretis parum aut nihil valeat, si ignoret jus civile, multóque minùs, ut addit Lott. *n.* 95. juxta *c. 1. de consang. & affinitate valent* (quantum pertinet ad regimen Ecclesiæ) Magister in Theologia, qui canonum decreta ignoret. Porrò quis præferendus, dum in provisionibus Ecclesiarum concurrunt Theologus & Canista, de eo vide fusè Lott. *à num.* 96.

Quæstio 257. *Quis dispensare possit, ut illiteratus validè eligi possit?*

1. REspondeo primò: quoad scientiam necessariam de jure can. dispensare potest Papa, isque solus. Felin. *in c. at si Clericus. de judiciis. num.* 21. Suar. *d.* 51. *s.* 1. *num.* 9. Potest nihilominus etiam Episcopus (quamvis id rarò faciendum, cùm defectus scientiæ major censeatur, quàm ex homicidio, Pass. *num.* 54. ex justa causa conferre beneficium ei, qui parum scit, creditur tamen brevi tempore profecturus, cùm possit pro aliquo tempore in obligatione annexa beneficio dispensare. Castrop. *loc. cit. num.* 12. ex Azor. posse etiam cùm penitus illiterato ex justa aliqua causâ dispensare Papam, tradit Lott. *l. 2. q. 50. num.* 16. ex Soto *de justit. & jure. l. 1. q. 7. a. ult.* & Innoc. *in c. cùm in cunctis. de elect. num.* 2. licèt autem non detur extrinsecum aliquid in homine, quod defectum scientiæ suppleat, v. g. divitiæ, nobilitas, ut Bald. *in l. in dando, ff. de tutor. & Curator.* Felin. *in c. ideo de rescript. num.* 7. datur tamen aliquid intrinsecum, v. g. caritas, adeóque hanc posse esse justissimam causam dispensandi cum illiterato, ait Lott. *à num.* 19. ubi *num.* 21. affert plura hujus rei exempla promotorum absque omni literatura in sacerdotes & Episcopos ob eximiam caritatem & sanctitatem. Licet probabilis spes acquirendi sufficientè scientiam etiam non æquipolleat facto, sufficere tamen pro justissima causâ dispensandi, ait Lott. *ibid. n.* 24. ex Sayr. *in thesaur. l. 6. c. 13. num.* 9. & Abb. *in c. cùm in cunctis. n.* 4.

2. Respondeo secundo: quoad scientiam de jure naturæ, aut divino necessariam (qualiter scientiam aliquam necessariam esse ad curam animarum exercendam dubium esse non potest, quamvis de cætero dicat Lott. *loc. cit. num.* 17. verba illa DEI per prophetam: *Tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi*: Non ad jus divinum, naturale æternum ac immutabile, sed ad jus divinum positivum, & ex causa dispensabili esse, referenda) etsi directè & absolutè dispensare non possit Papa, potest tamen dispensare, ut ante scientiam jure divino necessariam promoveatur, dum certa spes est, fore, ut talis scientiam sufficientem acquirat tempore, quo ea necessaria erit ad proprii officii usum. Suar. *loc. cit. num.* 10. Castrop. *loc. cit. num.* 21. Pass. *loc. cit.* & alii apud illum. Observat tamen apud Eundem Navar. rarò vel nunquam dispensare solere Papam in defectu scientiæ, nisi per accidens, dispensando in ætate, in qua necdum potest esse acquisita scientia. Additque Suarez rarissimè esse tantam dispensationem in ætate, quæ ad scientiam absolutè necessariam non sit sufficiens.

PARA-

PARAGRAPHVS III.

De Legitimitate Natalium.

Quæstio 258. *Qualiter, quòd nati ex vero matrimonio sint legitimi, sit extendendum?*

REspondeo: ut locum habeat. Primò: etsi matrimonium non fuerit sacramentum, v. g. non baptizatorum, modò ex usu gentis fuerit verum. Abb. & Jo. Andr. *ad c. fin. qui fil. sint legit.* Pass. *de elect. c. 25. num.* 108. Secundò: licèt ex occulto impedimento fuerit nullum, modò bona fide reputatum pro vero. *c. ex tenore. c. cùm igitur, c. pervenit. &c. qui filii. ibidem* Abb. Suar. *de cens. d.* 50. *s.* 1. *num.* 6. Peyr. *in prælato. q.* 2. *c.* 5. *num.* 104. Garc. *p.* 7. *c.* 2. *num.* 44. Tertiò: licèt in jam dicto casu ignoretur, an parentes contraxerint bona fide. Suar. *loc. cit. num.* 10. Peyr. *loc. cit. num.* 107. Pass. *loc. cit. num.* 109. Quartò: etsi Parentes postquam bona fide contraxerunt, dubitârunt dein de valore sui matrimonii, & filii nati sint tempore hujus dubii. Barb. *ad cit. c. cùm inter. num.* 18. Peyr. *loc. cit. num.* 110. cùm dubium hoc sit speculativum, quo stante Conjuges possunt commisceri. Sanch. *l.* 2. *de mat. d.* 41. *num.* 4. & 8. Quintò: quin etiam, licèt uni conjugum constiterit de invalidate matrimonii, altero justa ignorantia (sive ea sit juris, sive facti. Pass. *n.* 115.) laborante *cit. cap. ex tenore. & ibi* Abb. *num.* 3. Barb. *num.* 4. Sanch. *de mat. lib.* 8. *d.* 34. *num.* 46. Garc. *loc. cit. n* 30. Menoch. *de præsump. lib.* 4. *præsump.* 81. Suar. *loc. cit. num.* 6. Verúmque hoc ipsum est, etsi de cætero uterque conjugum fuerit in mala fide circa aliquod impedimentum non dirimens. Sanch. *de mat. l.* 9. *d.* 38. *num.* 3. Suar. *loc. cit. num.* 8. Peyr. *num.* 107. Nihilominus tamen si matrimonium tale fuerit clandestinum (quale secundùm Barb. *ad cap. cùm inhibitio. de clandest. desponsi.* Peyr. *loc. cit. num.* 108. & alios censetur illud, quod initum est sine præviis denunciationibus, eò quòd meritò præsumat Ecclesia affectatam ignorantiam impedimenti in eo, qui contrahit omissis proclamationibus ad hoc institutis, ut detegantur impedimenta; probabilius autem secundùm Suar. *num.* 10. Pass. *loc. cit. n.* 14. & alios illud, quod non est factum in facie Ecclesiæ, juxta leges seu consuetudinem patriæ, etiam ibi, ubi lex de assistentia Parochi non obligat modò, vel olim ante Tridentin. non obligabat) justa ignorantia impedimenti dirimentis, habita ab uno vel etiam ab utroq; conjuge non impedit, quo minùs nati ex illis sint illegitimi, etiam independenter à Tridentino, irritante matrimonia clandestina. *cit. c. cùm inhibitio.* Suar. *loc. cit. num.* 9. Garc. *loc. cit. num.* 31. Pass. *num.* 113. Sextò: etsi nati sint ex viro & legitima uxore post susceptum à viro de licentia uxoris Ordinem sacrum. Suar. *loc. cit. num.* 4. Peyr. *loc. cit. num.* 112. Majol. *de irregul. l.* 1. *c.* 4. *num.* 9. Secùs si nati ex altero conjugum post matrimonium ratum tantum professo, cùm per professionem prius matrimonium dissolvatur. Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *de matr.* Sayr. *l.* 6. *de cens. c.* 10. *num.* 40. Majol. *loc. cit. num.* 4. Septimò: etsi nati ex viro & legitima uxore post susceptum à viro, invita uxore, matrimonio nondùm consummato, sacrum ordinem. Abb. *in c.* 2. *de conversione conjugat.* Sayr. & Pass. *loc. cit.* Octavò: quinimò etsi vir de licentia uxoris susceptisset Ordinem, cùm Ordo non solvat matrimonium ratum. Barb. *in Extrav. Antiquæ n.* 10. Secùs est, si vir post matrimonium solummodo ratum validè professus esset; filius enim ex tali natus esset illegitimus, non tantùm naturalis, sed spurius. Sanch. *cit. d.* 38. *num.* 7. Barb. *ad c. literas. de filiis presbyterorum.*

Quæstio 259. *Qualiter è contra hoc ipsum limitandum, ut nimirum nati ex legitimo conjugio nihilominus habeantur, & sint quandoque illegitimi?*

REspond. id contingere, dum susceptí sunt ex propria uxore viro jam facto (saltem ubi accessit uxoris licentia) sacerdote post ratum vel etiam consummatum matrimonium, vel etiam viro, vel uxore post consummatum matrimonium, jam professis in religione. Verum hos simpliciter dicendos illegitimos volunt Host. *in summ. de filiis presbyter, num.* 5. *Sylv. v. illegitimus.* Castrop. *tom.* 2. *tr.* 13. *d.* 4. *num.* 1. §. 1. *n.* 4. & plures alii apud Pass. *num.* 167. alii illos dicunt illegitimos, addendo vel subintelligendo naturales, & illegitimos canonicè, seu jure can. Alii denique cum quibus locuti sumus extensione septima & octava. volunt eos esse simpliciter legitimos, eò quòd nullibi in jure vocentur illegitimi, aut dicantur inhabiles ad succedendum hæreditario jure in bonis parentum, aut ad alios honores, dicendum verò esse illegitimos ad instar, seu secundum quid, eò quòd æquè irregulares sint, & promoveri nequeant ad Ordines, vel beneficia Ecclesiastica, ac verè & simpliciter illegitimi Sanch. *cit. d.* 38. *n.* 7. Pass. *loc. cit. n.* 186. Jo. And. Ab. & alii *ad c. literas. de fil. presb.*

Quæstio 260. *An & qualiter illegitimi legitimentur per subsequens Matrimonium?*

1. REspondeo primò: si tempore fornicariæ copulæ, ex qua filius susceptus est, potuisset esse verum matrimonium, eò quòd non aderat impedimentum dirimens. *c. tanta. qui fil. sint legit. ibid.* Abb. *n.* 4. Barb. *n.* 2. Garc *loc. cit. n.* 27. Suar. *loc. cit. n.* 3. Paxjord. *l.* 10. *tit.* 18. *n.* 34. Pass. *loc. cit. n.* 116. Nec obstat primò, quòd tempore illo fuerint inter eos impedimenta tantum impedientia Barb. *loc. cit. n.* 31. Pont. *de mat. l.* 11. *c.* 2. *num.* 6. Less. *de just. l.* 2. *c.* 19. Castrop. *loc. cit. §.* 3. *n.* 2. Neque secundò, quòd vir isto tempore habuerit beneficium Ecclesiasticum absque Ordinibus sacris. Barb. *num.* 33. Pont. Castrop. *ll. cit.* aut fuerit Novitius, vel mulier novitia. Majol. Barb. Peyr. Sayr. *ll. cit.* Neque tertio, quòd inter copulam & subsequens matrimonium interceserint alia matrimonia. Barb. num. 5. Garc. *loc. cit. c.* 2. *num.* 28. Sayr. *loc. cit. c.* 10. *num.* 14. Suar. *loc. cit. s.* 5. *num.* 10. Azor. *loc. cit. c.* 3. *num.* 21. Neque quartò, quòd mulier fuerit concubina domi detenta, etsi de cætero jura magis detestentur concubinatum. Barb. *loc. cit.* Abb. *loc. cit. num.* 14. Neque quintò, quòd subsequens Matrimonium sit clandestinum, modò sit postea ab Ecclesia approbatum, vel in facie Ecclesiæ denuò contractum, eò quòd, utpote initum in loco, ubi Trident. receptum erat invalidum. *c. quia nobis. qui filii sint legit. & ibi* Jo. Andr. *& c.* 2. *de cland. desponsi.* tenéntque multi probabiliter, nec improbat Suar. *loc. cit. s.* 1. *num.* 9. valere hoc ipsum, nimirum filios tam ante quàm post tale matrimonium clandestinum ab Ecclesia appro-

approbatum genitos esse hoc ipso legitimos, seu legitimatos, ubi clandestinè contrahentes habuerunt occultum impedimentum dirimens, probabiliter seu justè ignoratum, saltem ab eorum uno, manénsque occultum etiam Ecclesiæ, adeóque indispensatum. Vide Pass. *num.* 114. Neque sextò, quòd subsequens matrimonium sit tantùm ratum. Pont. *loc. cit. c.* 1. *n.* 16. Barb. *loc. cit. n.* 12. Peyr. *loc. cit. n.* 114 Neque septimò, quòd tempore nativitatis filii, Parentes habuerint impedimentum, modò tempore copulæ, ex qua natus, eo caruerit Suar. *loc. cit. s.* 1. *n.* 4. Pass. *loc. cit. num.* 136. Neque octavò in ordine ad hoc, ut filius alicujus illegitimi ex legitimis nuptiis susceptus sit de legitima stirpe natus, & in ascendentium hæreditate succedere possit, quòd prius post eum genitum subsequente matrimonio avi & aviæ, ejus parens legitimatus sit; Barb. *ad cit. c. tanta. num.* 32. Mol. *de primog l.* 3. *c.* 1. *num.* 9. Pont. *l. ult. cit. num.* 23. Verúmque id est, etiamsi ante subsecutum matrimonium Avi & Aviæ Pater illius mortuus sit; quia jam adhuc iste filius dicitur natus ex Patre, cujus Pater & Mater fuerunt veri Conjuges. Covar. *de sponsa. p.* 2. *c.* 8. §. 2. *c.* 8. §. 2. *nu.* 19. Pass. *loc. cit. num.* 139. & alii apud illum contra Paxjord.

2. Respondeo secundò: nõ legitimari filios secundùm jus canon. per subsequens matrimoniũ, si tempore fornicariæ copulæ, ex qua susceptí sunt parentes ambo, vel unus eorũ habuerit impedimentum dirimens. *c. tanta, qui filii sint legit. ibi* DD. cum communi. Nec obstat primò, quòd habentes copulam pro illo tempore justè ignorârint impedimentum, & postea cum eadem ignorantia contraxerint matrimonium, illúdque verum habeatur. Suar. *loc. cit num.* 11. Garc. *loc. cit. num.* 33. Peyr. *loc. cit. num.* 117. etsi hic cum Castrop. *loc. cit. d.* 4. *p.* 2. *n.* 9. censeat contrarium etiam esse probabile. Nec obstat secundò, quòd eo impedimento caruerint tempore nativitatis filiorum. Suar. *loc. cit. n.* 3. Filiuc. *tr.* 9. *num* 131. Menoch. *consil.* 60. *num.* 12. Ant. de Butr. *ad c. tanta. num.* 17. Abb. *ad c. cum nobis.* (qui etiam *ad c tanta* contra Gasp. de Cald. censet id verum esse, etsi impedimentum non fuisset perpetuum, sed tale, quod erat in potestate habentium copulam tollere. v. g. dum Turca cognoscit Christianam) Garc *loc. cit. c.* 2. *num.* 36. & alii, quos sequitur & citat Pass. *loc. cit. num.* 134. contra Sanch. *lib.* 8. *de matrim. d.* 7. *num.* 19. Sayr. *loc. cit. n.* 29. Pont. *loc. cit. c.* 3. Peyr. *loc. cit. c.* 5. *nu.* 128. Castrop. *loc. cit. num.* 5. (qui insuper putat filium conceptum & natum tempore, quo parentes erant inhabiles, posse legitimari per subsequens matrimonium, si parentes tempore intermedio fuerunt habiles) Covar. & alios, quos citat & sequitur Barb. *loc. cit. num.* 31. habentes pro se jus civile. *l. nuper. de nat. lib. & Auth. quibus modis nati eff. sui,* secundùm quod indubitatum est in legitimatione filiorum per subsequens matrimonium debere attendi tempus conceptionis, vel nativitatis, prout filio nato magis expedit; adeóque cùm huic juri leges canonicæ non sint contrariæ, volunt idem dicendum in ordine ad dignitates & beneficia Ecclesiastica talibus concedenda.

3. Respondeo tertiò: legitimari nihilominus filios susceptos ex copula fornicaria, habita cũ impedimento dirimente per subsequens matrimoniũ verum, Papâ nimirum in eo jam contracto cum tali impedimento dispensante, seu illud antea contractum ratihabendo cum clausula *ex tunc*, seu *ab initio*. Garc. *loc. cit. num.* 40. referens *decis. Rotæ.* Abb. & Barb. *ad cap. tanta.* Peyr. *loc. cit. n.* 115. & plures alii apud Pass. *num.* 142. Verúmque id est vel maximè, si, ut solet, simul legitimet prolem jam ante susceptam cum clausula; prolem, siquæ est susceptа, & susceptam exinde legitimam dicendo, quod tamen reipsa facere censetur, etsi prolis nullam mentionẽ faciat, dum dispensat, ut parentes in isto matrimonio remanere valeant; quia licentia super contracto, contractum implicitè confirmat. Garc. *loc. cit. num.* 42. Verúmque idipsum esse docent Peyr. & Barb. *loc. cit.* etsi ob mortem unius conjugis matrimonium non potuerit perfici. Secùs verò est, dum Papa non sic, seu dicto modo dispensat in radice matrimonii, sed solùm super eo de novo contrahendo; tunc enim proles antea nata non est legitima. Paxjord. *loc. cit. tit.* 8. *n.* 39. & alii communiter apud Pass *loc. cit. n.* 144. His tribus quæstionibus suppositi,

Quæstio 261. *An taliter legitimati nihilominus adhuc sint irregulares, & eligi, vel promoveri nequeant ad Ordines, beneficia, dignitates, & prælaturas Ecclesiasticas?*

Respondeo: nequaquam. Sixtus V. in Bulla, quæ incipit: *ad Romanum.* sed & hoc secundùm jus antiquum indubitatum fuit. Gloss. *in cap. tanta.* Suarez. *loc. cit.* Pont. *loc. cit. cap.* 11. *num.* 5. Barb. *ad cap. tanta. num.* 24. Surdus *de alimentis. privil.* 97. *num.* 6. unde etiam absque ulla dispensatione promoveri possunt ad Episcopatum. Suar. *loc. cit. s.* 5. *num.* 10. Azor. *p.* 3. *l.* 2. *c.* 14. *q.* 114. Menoch. *consil.* 16. Barb. *loc. cit. num.* 18. secùs tamen est de Cardinalatu. Sixtus V. *in cit. Bulla.* Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 20. *num.* 14. Pass. *num.* 131. Barb. *loc. cit. num.* 45. & *de off. Epis. allegat.* 1. *num.* 35.

Quæstio 262. *An, & ad quæ munia Ecclesiastica eligi & promoveri nequeant illegitimi sæculares, sive spurii, sive nati ex simplici tantum fornicatione?*

Respondeo: neque ad dignitates, aut personatus, & maximè ad Episcopatum, neque ad parochias, aut quæcunque beneficia, etiam simplicia. *c. cùm in cunctis. c. innotuit de elect. c. ut filii. de fil. presbyt. c.* 1 *tit. eodem. in* 6. sed neque ad Ordines, etiam minores. *cit. jam c.* 1. Extendendum hoc ipsum est ad illegitimos, etiam occultos, etsi publicè habeantur pro legitimis. Suar. *loc cit. num.* 12. Azor. *loc. cit. cap.* 3. *q.* 23. Sayr. *loc. cit. cap.* 10. *num.* 36. Navar. *in sum. c.* 27. *num.* 201. Laym. *Theol. moral. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 5. *num.* 1. ubi tamen addit, posse illegitimum occultum Ordines suscipere, si gravis causa urgeret ad Ordines suscipiendos, & si dispensationem peteret, graviter se, vel etiam parentes infamaret, saltem apud Papam, vel Episcopum.

Quæstio 263. *An, & ad quæ promoveri nequeant illegitimi regulares?*

Respondeo: eligi aut promoveri nequeunt ad dignitates & Prælaturas. *cit. c. ut filii, & ibi* Barb. *n.* 2. Azor. *loc. cit. q.* 1. Sayr. *loc. cit. c.* 11. *n.* 3. Sanch. *l.* 5. *sum. c.* 5. *n.* 9. Mirand. *to.* 1. *q.* 20. *nu.* 10. Peyr. *loc. cit. q* 2. *c.* 5. *n.* 133. intelligendúmque hoc ipsum quoque est de officiis omnibus intra religionem habentibus cum honore, & dignitate juri-

risdictionem spiritualem ordinariam (secùs est de habentibus Superioritatem, & potestatem solùm delegatam, & ad arbitrium Ordinarii Superioris amovibilem. Suar. *de relig. c. 5. num.* 12. Sanch. *l. 5. in decal. c. 5. n. 56.* Peyr. *loc. cit. n.* 135.) qualia officia sunt Abbatis, Generalis, Provincialis, ordinarii Superiores locales, sive vocetur Prior, sive Guardianus, sive Præpositus, sive Rector. Sixtus V. *in cit. bulla.* Suar. *to. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 6. nu.* 12. Mirand. *to. 2. q. 23. a. 8. n.* 8. Lambert. *de jurepat. p. 1. l. 2. q. 7. a.* 11. *n.* 14. Pass. *loc. cit. n.* 154. Peyr. *loc. cit. n.* 153. Extendendúmque hoc ad officium Parochi Ecclesiæ Regularis, ita ut religiosus illegitimus nequeat esse illius parochus. *c. ut filii, & c. proposuit. de filiis presbyt. ordinand. V. non ord.* Rebuff. *in praxi benef. tit. de dispens. super nat. nu.* 68. Peyr. *loc. cit.* Pass. *n.* 156. Item ad officium diffinitorum, utpote importans cum aliqua dignitate jurisdictionem aliquam (saltem dum sunt in actuali diffinitorio, quod sufficit Pass. *n.* 157.) dum nimirum diffinitores capituli Generalis vel Provincialis leges condunt, Prælatos inferiores instituunt, errantes puniunt &c. Peyr. & Pass. *ll. cit.* contra Sanch. *in sum. l. 6. c.* 18. *n. 66.* & Sigism. à Bonon. *dub. 69. n. 3.* secùs est de discretis, procuratoribus ad Capitulum Generale purè electoribus. Pass. *loc. cit.* Item ad officium visitatoris, & Commissarii missi à Generali vel provinciali, & Vicarii provincialis, saltem hoc absente à provincia, eò quòd licet jurisdictionem solùm delegatam habeant, possintque re integrâ ad nutum Superioris delegantis amoveri, sit tamen superior potestate ordinariâ Superiorum localium Sylv. *V. Prælatus, n.* 3. Mirand. Rodriq. &c. apud Pass. *nu.* 159. qui tamen idipsum negare potiùs videtur. Item ad eos, qui solùm ad interim pro tempore vacantiæ statuuntur Superiores ordinarii. Unde etiam illegitimus esse non poterit Vicarius Capitularis in vacantia Episcopatûs; eò quòd potestas ordinaria sit de genere perpetuorum, & superior Ordinarius non sit ad nutum amovibilis, sed duret per se usque ad terminum à jure statutum Pass. *n.* 160. contra Sylv. *loc. cit.* & Rodriq. *p. 1. q. 13. n.* 20. id negantes, eò quòd hæc Superioritas sit transiens, & per se temporalis, cum tamen ad officium, ad quod eligi nequit illegitimus, requiratur, ut per se loquendo, & spectato jure communi sit perpetuum. Argumento. *c. constitutus. de filiis presb.* quales adhuc sunt Prioratus, Rectoratus; etsi per accidens & ex speciali jure non sint perpetui, sed durent fere ad triennium tantùm. Item ad confessarios Monialium, si habeant simul jurisdictionem externam, & verè sint Ordinarii, & superiores locales illarum. Mirand. & Pass. *ll. cit.* Item ad Vicariatum generalem Episcopi, cùm is sit dignitas, & quidem extra ordinem cum auctoritate judicis Ordinarii, etiam supra superiores Ordinarios, nempe parochos. Sanch. *in decal. loc. cit. nu.* 16. Majol. *de irreg. l. 1. c.* 10. *n. 3.* Sayr. *loc. cit. c. 1. num. 3.* Peyr. *loc. cit. q. 2. c. 5. n.* 135. Barb. *ad c. 1. de filiis presb. n.* 8. & ita quidem, ut per Superiores regulares in hoc religiosus dispensari nequeat Sanch. Rodriq. *ll. cit.* Item ad munus Abbatissæ, & Priorissæ *cit. c. 1.* Lott. *l. 2. q. 48. n.* 214. (ubi etiam ex Felin. *in c. meminimus. de accusat. n.* 4. quod in ordine ad hoc cum tali illegitima dispensare nequeat Episcopus) Suar. *de relig. loc. cit.* & *de Cens. loc. cit. s. 5. num.* 15. Sanch. *in decal. l. 3. c. 5. num.* 19. Navar. *in man. c.* 27. *n.* 201. Barb. *ad cit. c. 1. n.* 7. Fagn. *in c. ut filii de filiis presbyterorum à n.* 38. *& seq.* etiam fusè diluens objecta in contrarium Gl. Jo. And. & Arch. *in c. indemnitatibus.* cont. Rodriq. *loc. cit. n.* 11. & Mirand. *tr. de Monial. q. 6. a. 3.* malè citantem pro se Felin. & plures alios; habent enim tales verè Prælaturam, & dignitatem. *c. indemnitatibus. de Elect. in 6.* & *ibi* Gemin. *not. 3.* Bartol. *in l. 1. c. de dignitatibus. num.* 43. Bald. *in l. fœminæ. ff. de reg. juris. n.* 10. & alii apud Fagn. *loc. cit. num.* 38. Et licet textus juris citetur verbis masculini generis dicendo: *filii presbyterorum, & cæteri nati ex fornicatione*: comprehenduntur tamen & fœminæ; in dispositione enim legis masculinum respicit fœmininum. *l. ff. de reg. juris.* Decius *ibid. n.* 108. quod locum habet, etiamsi materia sit odiosa & pœnalis Cynus & Odofrid. *in l. quicúnque de servis fugitivis.* Decius *loc. cit.* & alii apud Fagn. *loc. cit. n.* 40. Masculinum enim prolatum à Canone puniente crimina (uti in præsente jura puniunt crimen parentum in filio illegitimo Gl. *in c. fin. in 6.*) fœminas comprehendit Fagn. *n.* 47. Et ubi materia æquè convenit mulieribus, ac viris, monachorum nomine veniunt etiam Moniales. Decius *loc. cit. n.* 10. Fagn. *nu.* 41. præsertim, dum eadem est ratio, uti est in præsente, nempe suspicio imitationis paternæ, incontinentiæ, quæ major est in fœmina Fagn. *n.* 43. *usque ad* 46. Denique ad ea munia & officia regularium, si quæ fortè ex instituto hujus vel illius ordinis illegitimos arceant. de quo vide Pass. *loc. cit. num.* 160. & 161.

Quæstio 264. *Ad quæ sine dispensatione promoveri possint religiosi illegitimi?*

1. Respondeo primò: ad ordines sacros. *c. ut filii. de fil. presb.* Barb. *ibid. n.* 2. Peyr. *loc. cit. n.* 133. Sanch. *in sum. l. 5. c. 5. n. 9.* Azor. *loc. cit. c. 3. q.* 1. & alii cum communi. Nec obstat motus proprius Sixti V. in quo reddendo illegitimos inhabiles ad ingressum in Religionem, videtur derogâsse huic religiosorum privilegio; nam hoc iterum reduxit ad terminos juris communis & antiqui Gregor. XIV. in *Constit. circumspecto. de anno* 1591. statuendo, ut qualescúnque illegitimi ad habitum & professionem religiosam admitti possint. Fagn. *ad c. ut filii. de fil. presb. n.* 18. vide Suar. *de Cens. loc. cit.* Pass. *n.* 146. Porrò intelligendum hoc ita, ut non per solam habitûs religiosi susceptionem, multò minùs per educationem in religione, ut voluit Rodriq. *loc. cit.* sed per professionem (aut etiam per vota simplicia in societate emissa post biennium Novitiatûs Suar. *loc. cit.*) tollatur hæc inhabilitas ad Ordines sacros. Franc. & Barb. *in cit. c. 1.* Navar. Sanch. Suar. Azor. *ll. cit.* & alii apud Pass. *n.* 147. Extendendum autem ita, ut si validè professus dein ejiciatur vel dimittatur, etiam in perpetuum, ex Ordine, possit absque ulla alia dispensatione in susceptis Ordinibus ministrare (quod verum est, etsi ante professionem talis illegitimè Ordines susceperisset. Barb. *loc. cit.* Pass. *nu.* 149. citans Sanctarel. *Variar. resol. q. 39. nu.* 8.) aut necdum susceptos suscipere. Sanch. *in sum. loc. cit.* Suar. *de Cens. loc. cit. s. 5.* Barb. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: promoveri quoque possunt de jure communi (quidquid sit de statutis aliquorum Ordinum, de quo vide Pass. *cit. c. 25. num.* 160. & 161.) ad officia Vicarii localium superiorum Ordinariorum, Magistri Novitiorum, œconomi, sacristæ, lectoris, Prædicatoris, etiam Generalis,

ralis, Magistri in Theologia Peyr. *loc. cit.* Nav. *l.* 1. *conf.* 6. *de fil. presb.* Sylv. *V. Prælatus q.* 3. quin & ad Gradum Doctoralem in Theologia. Pass. *lo. cit.* quia nec propriè est dignitas. Bald. *in l. ex eo. de mil. testam.* nec personatus, quia dignitas & personatus debent esse beneficia Ecclesiastica Pass. *ibid.* nec jurisdictionem ullam importat.

Quæstio 265. *Num hactenus dicta de inhabilitate illegitimorum tam sæcularium, quam regularium applicanda quoque sint dubiè illegitimis?*

1. REspondeo primò: negativè quoad illos, de quorum legitimitate dubitatur ex eo, quòd nesciatur eorum pater & mater, ut sunt communiter secretè expositi Barb. *de off. Episc. alleg.* 1. *n.* 152. Menoch. de præsump. *l.* 6. *c.* 54. *nu.* 10. Mascard. *de prob. concl.* 799. Peyr. *loc. cit. n.* 136. Pass. *n.* 168. Castrop. *t.* 2. *tr.* 13. *d.* 4. §. 1. *n.* 9. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 58. Salas *p.* 2. *tr.* 8. *d. unica. s.* 24. *n.* 246. Sayr. *loc. cit. c.* 10. *num.* 39. Pont. *de matr. l.* 11. *c.* 9. omnésque illi, qui in genere tenent, nullum esse censendum irregularem in dubio facti extra casum homicidii. contra Majol. *de irreg. loc. cit. l.* 1. *c.* 11. *num.* 1. Ugol. *de off. Ep. c.* 44. §. 7. Paxjord. *l.* 10. *cit.* 18. *num.* 30. Garc. *p.* 7. *c.* 1. *n.* 9. Suar. *loc. cit. s.* 4. *n.* 4. qui tamen ferè omnes asserunt responsionem nostram esse probabilem, idque solùm videntur velle, tutiùs esse, tales expositos petere dispensationem, quam etiam in hoc casu concedere posse Episcopum, tenet Suar. contra Paxjord. apud Pass. Ratio responsionis est primò, quia nemo dicendus est irregularis, nisi de quo jus id exprimat, uti id non facit de ejusmodi expositis, quin potiùs contrarium innuit, dum in dubio onus probandi aliquem esse illegitimum rejicit in opponentem *c. lator. & c. pervenit. qui fil. sint leg.* Secundò quia in dubio sumenda est conjectura, quæ delictum excludit, tales autem haberi nequeunt illegitimi, nisi supponatur delictum parentum. Tertiò, quia in præjudicium innocentis non licèt in dubio conjecturam sumere ab eo, quod verisimilius est, & plerúmque inest. Sed neque in contrarium facit, quòd parentes talium propter ipsum, quod exponant filios, censeantur infames; nam propterea innocens non est infamis, quòd parentes illius, exponendo illum, redditi sint infames. Neque *l. vulgo concepti. ff. de statu hominum &c.* habens illos pro spuriis, qui patrem certum demonstrare nequeunt; cùm loquatur de casu, in quo certa est mater, & incertus pater. Porrò idem dicendum de eo, de cujus legitimitate dubitatur, quia mulier asserit, eum non ex se genitum, sed suppositititium esse, dum is habitus aliàs ab ea secundum famam publicam, ut verus naturalis filius, & ipse habuit eam ut veram matrem; non enim tunc tenetur is credere se illegitimum, quidquid in contrarium asserat Suar. *loc. cit. n.* 8. ex eo, quòd mater non præsumatur negare verum filium, quamdiu aliunde non constat de odio illius erga illum, vel amore nimio erga alium; sufficit enim hoc odium, & hunc amorem posse adesse; nec ad exturbandum aliquem ex possessione filiationis habitæ per annos sufficit unius mulieris dictum Pass. *num.* 176.

2. Respondeo secundò: negativè quoque de iis, quorum mater ejusque verum conjugium certum est; non enim tenetur filius credere se illegitimum, etsi mater etiam in mortis articulo juret se filium concepisse ex adulterio, quia est tantum unicus testis patiens exceptionem muliebris conditionis & infamiæ, nemo autem ex uno teste, etiam accedente fama potest judicari illegitimus. Rota coram Puteo *decis.* 77. *num.* 8. *l.* 2. ex Bald. & Decio apud Pass. *n.* 170. imò si insuper constet de adulterio matris, quin etiam peperisse eam extra domum mariti in loco suspecto, modò ea tempore conceptionis cohabitaverit marito non inepto ad generandum; nescit enim ipsa ex cujus commixtione conceperit, & quamdiu filius potuit generari ex marito, præsumitur generatus ab illo *l. miles. ff. de adult.* Navar. *loc. cit.* Less. *de just. l.* 2. *c.* 10. *dub.* 7. *n.* 51. Peyr. *loc. cit. c.* 5. *n.* 159. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 14. *n.* 1. Menoch. *de arb. centur.* 1. *c.* 89. *n.* 28. Mantica *de conject. ult. volunt. l.* 2. *tit.* 14. *n.* 87. imò si insuper testetur maritus se tempore conceptionis abstinuisse ab uxore, nisi id probet, vel propter absentiam, infirmitatem, vel quid simile. *l. filium. ff. de his, qui sunt sui vel alieni jur.* Abb. *in c. per tuas. de probat. num.* 3. cui consentit Pass. *loc. cit. n.* 175. præsumitur enim filius, qui de alicujus uxore est genitus. Navar. *consil.* 1. *nu.* 5. *de fil. presb.* vide Menoch. *loc. cit.* & ita quidem, ut simul probet matrem extra illud tempus ex se non potuisse concipere, quod difficile erit, cùm signa prægnantiæ ab initio valde incerta sint, & de iis marito constare non possit, nisi ex relatione uxoris, & tempus, quo proles gestatur in utero valde diversum sit, possintque esse aliquando menses septem, aliquando duodecim, & quatuordecim; Nec hucusque dictis obstat *c. transmissæ, qui fil. sint leg.* dum enim ibi dicitur, standum esse dictis patris & matris, nisi aliunde contrarium constet, controversia non erat de filio, quem natum esse ex tali muliere certum est, sed de cujus ipsa nativitate incertum erat. Pass. *n.* 176. Quòd si tamen testimonium patris & matris talibus fulciretur circumstantiis, & adminiculis ipsi filio notis, etsi ea coram judice probari non possent, ut cogerent filium ad credendum in conscientia, se esse illegitimum, teneretur is se habere ut illegitimum Suar. *de cens. d.* 50. *s.* 4. Covar. *l.* 2. *p.* 4. *c.* 8. §. 3. *num.* 2.

3. Respondeo tertiò: negativè quoque quoad eos, quorum pater & mater certi sunt, & tantùm incertum est, num sint, vel tempore conceptionis filii fuerint veri conjuges, ex eo, quòd postmodùm detecto impedimento dubitetur de eorum bona fide habita tempore conceptionis, vel etiam quod dubitetur de ipsa substantia matrimonii, quia peregrini sunt; vel quòd parentes ipsi fateantur se non esse vel fuisse veros conjuges. Nam quoad primum ad habendum aliquem pro illegitimo, non sufficit matrimonium inter parentes fuisse nullum, sed requiritur fuisse quoque contractum mala fide; mala fides autem non præsumitur, nisi probetur arg. *c. pervenit. ibi* Abb. *n.* 1. Covar. *loc. cit. n.* 1. Sed nec ad hoc, ut filius in conscientia teneatur se habere pro illegitimo, sufficit confessio, etiam ultronea utriusque parentis, cùm delinquentium confessio valeat contra illos, non autem contra tertium innocentem, nisi sit adminiculata externis indiciis Pass. *nu.* 179. contra Suar. *loc. cit. s.* 4. *n.* 10. Quoad secundum ex eo, quòd parentes sint peregrini & ignoti, non debet in iis præsumi delictum vel fraus (quamvis tales filii, nisi ferant testimonium baptismi, & quòd nati

sint

sint ex legitimo matrimonio, quoad ordines suscipiendos tractandi sint juxta ea, quæ statuuntur *tit. de clericis peregrin.* maximè *c.* 2. & 3. & in Trid. *sess.* 14. *c.* 2. & 3. *de reform.* & *sess.* 23. *c.* 8.) adeoque etiamsi non essent verè conjuges, modò vivant & habeant se instar talium, filii habendi sunt pro legitimis, & se pro illis habere possunt in conscientia, si veritatis conscii non sunt. Pass. *num.* 181. Quoad tertium ex eo, quod parentes (sivè sint, sive non sint verè conjuges) dicant se non esse conjuges, modò se antea dixissent & habuissent aliquamdiu ut veri conjuges, filii non tenentur iis credere, & sunt in possessione legitimitatis. Secùs est si tales, licet veri conjuges, dixissent, & habuissent se semper ut solutos non erubescentes de fornicatione, tunc enim filii haberentur, & habere se deberent ut illegitimos, donec constaret, & probaretur, esse eos ex legitimo matrimonio. Pass. *n.* 182.

Quæstio 266. *Quid si filius tamen in similibus casibus credat matri dicenti, se non esse suum, vel esse quidem suum, sed non mariti sui filium, vel conceptum se ex parentibus, non, vel illegitimè & mala fide copulatis?*

REspondeo: ubi id filius credit ex levitate, quia non tenebatur credere, poterit quidem talis speculativè in animo sic sentire, & magis inclinare se esse illegitimum; quia tamen sic liberè credidit, & non tenebatur sic credere, potest practicè non credere, se esse talem, eò quòd practicè nolit uti judicio, quod liberè habet, sed opposito, quod non prohibetur habere. Navar. *consil.* 11. *num.* 5. *de fil. presbyt.* Peyr. *loc. cit.* Pass. *num.* 177. citans Suar. & Sanctarel. Secùs est, & peccat non gerendo se pro illegitimo, quo ad ea, quæ talis agere & suscipere prohibetur; si præcisè seu tantum credat, etsi ex levitate esse se illegitimum. Pass. *ibid.*

Quæstio 267. *An, & in ordine ad quæ Episcopus dispensare possit cum illegitimis sæcularibus?*

1. REspondeo: posse Episcopum cum illegitimis, etiam natis ex adulterio, incestu, sacrilegio. Gloss. *in cap. is, qui, de fil. presbyt. in* 6. Barb. *ibidem. num.* 6. (quamvis ad dispensandum cum his Episcopus se reddere debeat difficiliorem, imò cum proprio filio suo spurio) etsi fortè, ut id per se ipsum faciat, minimè deceat. Suar. *loc. cit. s.* 6.) dispensare quoad suscipiendos Ordines minores & beneficia non curata. *cit. c. is qui.* Non tamen quoad Ordines sacros, vel beneficia curata. *ibid.*

2. Extendendum hoc postremum est Primò: ad illegitimos ad instar tales, seu susceptos à sacerdote, vel professo ex propria uxore, de quibus supra *quæst. ante hanc* 8. nam per verba illa cit. c. ad literas *permittimus ordinari & promoveri*: non intelligitur concedi Episcopo facultas dispensandi, sed intelligitur facta dispensatio ab ipso Papa. Suar. *de cens. d.* 50. *s.* 2. *num.* 3. & *s.* 2. Pass. *num.* 188. Secundò ad illegitimos occultos; nam Trident. *sess.* 24. *c. liceat Episcopis*: loquitur tantùm de irregularitate, quæ est ex delicto, nempe illius, qui irregularis est. Suar. *loc. cit. num.* 5. Pass. *num.* 191. contra Lezan. *v. illegitimi regul. num.* 18. Tertiò ad eos, qui etiam bona fide ordinati sunt, ita ut cum eis Episcopus dispensare nequeat, ut Ordinem susceptum exercere possint. Suar. *loc. cit. s.* 5. *nu.* 5. Pass. *num.* 190. contra Navar. *l.* 1. *cons.* 4. *num.* 2. *de fil. presbyt.* putat nihilominus ex Coninck. Laymann. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 5. posse id Episcopum, dum talis post deprehensum à se defectum natalium, manet adhuc respectu aliorum occultè illegitimus; & fortè idem dicendum putat in eo casu, si mala fide suscepisset Ordines. Quartò ad casum necessitatis, ita ut nequidem in eo id possit Episcopus, uti nec pro eo dispensare potest in ætate ad Ordines necessaria. Garc. *p.* 7. *c.* 2. *n.* 52. Pass. *n.* 206.

Quæstio 268. *Quisnam præter Episcopos dispensare possit cum illegitimis sibi subditis, quoad Ordines minores, & beneficia simplicia?*

1. REspondeo primò: omnes eos Prælatos Episcopo inferiores habentes similem ei jurisdictionem in suos, ita ut sicut id competit Episcopo confirmato, etsi non consecrato, ita & illis. Pass. *loc. cit. num.* 202. Suar. *loc. cit. num.* 6.

2. Respondeo secundò: in specie id etiam competere Capitulo Cathedrali sede vacante, cùm habeat potestatem & jurisdictionem ordinariam Episcopalem non solùm contentiosam, sed etiam voluntariam, præterquam in casibus in jure exceptis, inter quos non est irregularitas ex defectu natalium. Navar. *l.* 1. *consil.* 7. *de fil. presb.* Barb. *de off. Episc. alleg.* 45. *num.* 25. Suar. *loc. cit.*

Quæstio 269. *Cùm dispensatio etiam Papalis, utpote stricti juris, non extendat se ad non expressa & separata.* c. 1. de fil. presb. in 6. *Barb.* de off. Episc. alleg. 13. n. 7. *qualiter ea concessa sit intelligenda?*

REspondeo primò: ut dispensatus simpliciter ad Ordines non possit adhuc suscipere, nisi minores. Rebuff. *tit. de disp. super def. nat. num.* 47. Azor. *loc. cit. q.* 6. Barb. *l. ult. cit. num.* 4. Secundò: ut illegitimus dispensatus ad Ordines etiam sacros non sit eo ipso dispensatus ad beneficia. Sylv. *v. illegitimus. num.* 14. Rebuff. *loc. cit. num.* 48. Azor. *loc. cit. q.* 5. contra Laym. *ad c.* 1. *de fil. presb. in* 6. quatenus docet eo ipso, quòd Papa dispenset ad Ordines sacros, censeatur etiam dispensâsse ad id, quod consequens est, & constituto in Ordinibus jam debetur, nimirum beneficium, juxta *c. proposuit. de fil. presbyt.* Tertio: ut dispensatus etiam à Papa ad beneficia, si aliud non exprimatur, nonnisi ad beneficia simplicia dispensatus censeatur. Barb. *ad c. literas de fil. presb. num.* 4. Sayr. *loc. cit. num.* 28. Pass. *num.* 193. Quartò: ut dispensatus ad beneficia curata non possit idcirco obtinere dignitates, vel personatus. Rebuff. *loc. cit. n.* 57. Azor. *loc. cit. q.* 7. Barb. *loc. cit. num.* 11. Quintò: ut dispensatus ad beneficia quæcunque etiam simpliciter ad dignitates, non possit obtinere dignitates curatas. Rebuff. *loc. cit.* Azor. *q.* 9. aut principalem in Collegiata, nec majorem post Episcopalem in Cathedrali, quia hæ dignitates ex stylo Curiæ debent specialiter exprimi. Rebuff. *n.* 54. Azor. *q.* 8. Barb. *num.* 14. Sextò: ut dispensatus ad quascunque dignitates, non censeatur dispensatus ad Episcopatum, vel Cardinalatum. Barb. *de off. Episc. alleg.* 1. *num.* 17. apud Pirrh. *ad tit. de fil. presb. num.* 22. Septimò: ut dispensatus ad beneficium, non possit, nisi unum vi talis dispensationis consequi, ita ut plura nequidem successivè obti-

obtinere valeat, *cap. 1. de fil. presbyt.* Barb. *loc. cit.* Navar. *l. 3. conſ. 9. de præb.* Rebuff. *in praxi loc. cit. num. 83.* Sanch. *l. 8. de matr. d. 31. num. 6.* contra Sylv. *v. beneficium. q. 11. num. 14.* Jo. Andr. *ad c. 1. de fil. presb. in 6.* Ac denique Epiſcopus cum illegitimo diſpenſare non poterit, niſi in uno tantùm beneficio ſimplici, cùm textus *cap. 1. de fil. presbyt.* ubi Epiſcopo confertur hæc poteſtas diſpenſandi, loquatur in ſingulari, Garc. *p. 7. cap. 2. num. 50.* Sa. *v. beneficium. num. 19.* Paſſ. *num. 194.* Azor. *loc. cit. c. 3. q. 12.* ubi idem ſic arctat, ut Epiſcopus habens aliàs à Trident. *ſeſſ. 24. c. 27.* poteſtatem conferendi duo beneficia ſimplicia, quorum neutrum eſt ſufficiens ad ſuſtentationem, id nequeat reſpectu Clerici illegitimi.

Quæſtio 270. *An hìc nomine beneficii ſimplicis, in ordine, ad quod cum illegitimo diſpenſare poteſt Epiſcopus, veniant etiam dignitates & perſonatus, Canonicatus, & portiones Cathedrales, non habentes annexam curam animarum, beneficium ſimplex habens annexum ſacrum Ordinem, vel cui acceſſoriè tantum annectitur cura animarum; vel quòd ex conſuetudine præſcripta, aut ſtatuto jurato, vel confirmato à Pontifice requirit legitimitatem?*

1. REſpondeo ad primum negativè: etſi enim curâ careant, ratione tamen præeminentiæ, & quia curatis ferè æquiparantur, *c. dudum. de elect.* ſpecialem diſpenſationem, nempe Papæ, exigunt. *c. fin. de filiis presbyt.* Suar. *lo. cit. ſ. 5. num. 6. Azor. lo. cit. c. 3. q. 3.* Leſſ. *l. 2. c. 34. n. 86.* Paſſ. *lo. cit. n. 195.* Barb. *de off. Ep. alleg. 45. n. 29.* Garc. *p. 7. c. 2. n. 53.* & juxta hoc intelligenda illa reſtrictio *c. 1. de fil. presb. in 6to. modò beneficium* (ſubintellige cui cura animarum annexa non eſt) *ſit tale, ſuper quo per Epiſcopum valeat diſpenſari.*

2. Reſpondeo ad ſecundum affirmativè: Canonicatus enim Cathedralis, multòque minus Collegiatæ Eccleſiæ eſt dignitas, aut beneficium curatum; conceditur autem *c. 1. de fil. presb. in 6.* abſolutè Epiſcopis facultas diſpenſandi cum illegitimis ad beneficia non curata, verùmque id eſt, non tantùm de jure antiquo, ſed & poſt Trid. Suar. *loc. cit.* Azor *loc. cit. q. 11.* Navar. *l. 1. conſ. 41 de fil. presb.* Paſſ. *n. 197.* Idque etiam dum juxta illius decretum Canonicatui Cathedrali annexus eſſet ſacer Ordo; nam non tantùm poſt obtentam à Papa diſpenſationem ad ſacros Ordines (cum per hoc non ſit diſpenſatum quoad beneficium) poterit Epiſcopus jam diſpenſare cum tali ad Canonicatum Cathedralem Paſſ. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n. 68.* Leſſ. *l. 2. c. 34. dub. 18. n. 86.* Verùm etiam ante illam (quidquid ſit de eo, num in tali caſu valeret actualiter proviſio de tali beneficio, ſaltem valeret diſpenſatio) Paſſ. *loc. cit.* ubi nimirum Ordo ſacer non requiritur actu ad Canonicatum (idem dic de alio beneficio non curato habente annexum ſacrum Ordinem) ſed intra tempus à jure ſtatutum, intra quod obtinere poteſt diſpenſationem ad ſacros Ordines. Archid. Anchar. Lapus *ad cit. c. 1.* Azor. *loc. cit. q. 15.* Paſſ. *loc. cit.* Pirrh. *ad tit. de fil. presb. n. 16.* contra Zerol. Imol. & Gemin. ad *cit. c. 1.*

3. Reſpondeo ad tertium etiam affirmativè: Leſſ. *loc. cit. n. 87.* Azor *loc. cit. q. 14.* Barb. *de off. Ep. alleg. 54. n. 24.* Gonz. *ad reg. 8. canc. Gl. 5. §. 7. n. 18.* Paſſ. *nu. 189.* beneficium enim acceſſoriè unitum alteri non confertur per ſe, ſed tantùm acceſſoriè cum principali, cujus naturam & conditionem ſequitur, AA. iidem Pirh. *loc. cit.* & licèt ipſa diſpenſatio ſit ſtricti juris, facultas tamen diſpenſandi conceſſa in lege Superiori eſt favorabilis, & latè explicanda. Sylv. *V. beneficium. q. 7.* Gemin. *in c. is qui. de fil. presb. in 6to.* Limitat tamen hoc ipſum Paſſ. *nu. 199.* ad beneficium ſimplex ita habens annexam acceſſoriè curam, ut beneficiatus non poſſit per ſe ipſum exercere hanc curam, ſed ſolùm habeat jus & onus curandi iſtas animas per Vicarium, uti & tunc neceſſe non eſt, ut habeat qualitates Parochorum, vel habentium curam animarum, puta ætatem, ſcientiam &c. ſecùs ſi ipſe exercere poteſt actum juriſdictionis ſpiritualis circa illas animas, eò quòd tunc beneficium hoc mutatum ſit, & tranſierit de ſimplici in curatum. Vide de hoc Barb. *de off. Ep. p. 1. tit. 2. Gl. 17. n. 41. & ad c. ult. de officio Vicarii.*

4. Reſpondeo ad quartum negativè. Leſſ. Pirh. *ll. cit.* Azor. *loc. cit. q. 12.* Paſſ. *nu. 200.* remittens ad Franc. & Gemin. *in c. 1. de fil. presb. in 6.* ubi uterque *n. 8.*

Quæſtio 271. *Quiſnam diſpenſare poſſit cum illegitimis religioſis in ordine ad Prælaturas, tam in, quàm extra Ordinem conſequendas; ſuppono enim cum communi (de quo vide Suar. cit. l. 5. n. 18. Paſſ. n. 207.) contra Gratian. & quoſdam alios, referentes pro ſe plures canones, non poſſe ullâ vitæ probitate ſine diſpenſatione tolli hanc inhabilitatem, utpote non fundatam in delicto perſonali, ſed in vili conditione, & quadam indecentia & infamia orta ex eo, quòd natus quis ſit ex turpi parentum incontinentia, ut Suar. loc. cit. n. 5.*

1. REſpondeo primò: jure communi id poteſt ſolus Papa *cit. c. 1. & c. fin. tit. eod.* Rodriq. *to. 1. qq. regular. q. 13. a. 6.* Paſſ. *cit. c. 25. n. 208.* Suar. & alii plures contra Peyr. *in præl. q. 2. c. 5. num. 143.* quatenus putat facultatem diſpenſandi in irregularitate ex delicto, quæ competit Epiſcopo, adeòque etiam Prælatis regularibus reſpectu ſuorum, utpote favorabilem, extendi ad irregularitatem illegitimitatis, ſaltem dum occulta eſt. Verùm rectè dicitur verba non eſſe extendenda ad ſenſus improprios, & abuſivos, uti hìc fieret, cùm juxta communem intelligentiam illa irregularitas ſit ex delicto, quæ eſt ex delicto perſonali. Paſſ. *loc. cit.* inſuper major eſt irregularitas orta ex defectu natalium, quàm ex delicto perſonali. Paſſ. *ibid.*

2. Reſpondeo ſecundò, poſſe nihilominus ex privilegio conceſſo mendicantibus à Sixto IV. revocato quidem à Sixto V. reſtituto tamen à Gregor. 14. ut etiam videre eſt ex mari magno Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, Carmelitarum apud Lezan. §. 42. 44. 49. &c. & ex conſt. Pauli III. pro Societate, quæ incipit *licet debitum.* Superiores Regularium (puta Generales, Provinciales, eorúmque Vicarios, Superiores locales, attendendo tamen in hoc cujuſque religionis ſpecialia ſtatuta, & conſuetudines. Paſſ. *nn. 216. & ſeq.*) cum ſuis ſubditis illegitimis, quoad dignitates, prælaturas, adminiſtrationes, officia ſui Ordinis (inter

quæ

quæ etiam numerantur beneficia regularia, quæ per religiosos administrantur sub obedientia & gubernio religiosorum Prælatorum, quale v. g. est officium parochi) dispensare. Quin etiam multas Religiones habere à Sede Apostolica privilegium dispensandi cum Monialibus sibi subjectis, ut non obstante illegitimitate possint esse Abbatissæ, & id revocatum non esse à Tridentino testatur Fagn. *in c. ut filii. de fil. presb. n.* 53. citans Sanch. *in decal. l.* 5. *c.* 5. *n.* 20. Rodriq. *q.* 13. *a.* 22. Porrò non posse id illos nisi cum Capitulo generali, vel provinciali, vel intermedio juxta const. Greg. XIV. quæ incipit: *Circumspecta*, & sine votis saltem diffinitorum, ubi tales sunt, tenet communis Rodriq. *loc. cit. a.* 6. Mirand. *in manuali Prælat. to.* 1. *q.* 19. *a.* 3. Nihilominus posse id modò Superiores solos sine capitulo, sicut priùs ante constitutionem Sixti V. fusè probat Pass. *à n.* 112. putátque etiam *num.* 121. solum Papam posse dispensare cum illegitimo, ut fiat Generalis religionis.

Quæstio 272. *Ad quæ Ecclesiastica munia & beneficia specialiter, tam jure antiquo, quàm novo Tridentini prohibeantur eligi, vel quocunque alio modo promoveri filii illegitimi Sacerdotum, aut aliorum Clericorum?*

Respondeo: obtinere nequeunt ullum beneficium, aut etiam ullo modo ministrare in Ecclesia, in qua eorum pater habet aut habuit dignitatem, Canonicatum, parochiam, aliudve beneficium, aut ex officio ministravit; insuper nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent vel obtinuerunt, habere possunt. habentur hæc *c. ad præsentiam. c. præsentium, c. conquirente, c. cum decorem. de fil. presb.* Trid. *sess.* 25. *c.* 15. *de reform.* idque non tantùm ideo, ut omnis species hæreditariæ successionis evitetur (quod etiam concernit filios legitimos presbyterorum) *c. Apostolica.* 7. *q.* 1. *c. ad exstirpandas, & c. adhæc. de fil. presb.* Verùm etiam ut memoria paternæ incontinentiæ quàm longissimè pereat ab Ecclesiis, & ut ait Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 88. quia fædum est, ut sic toti populo exemplum paternæ incontinentiæ, veluti cum præmio ac dignitate assiduè ostentari. Multóque magis, & quidem in individuo per text. *c. cum decorem. de fil. presb.* vetatur filius illegitimus habere in eadem Ecclesia beneficium, dum illud participat in servitio altaris cum beneficio patris, eò quòd vel sic facile contingere posset, ut illegitimus filius in altaris officio ministraret impudico patri, in quo unigenitus Dei filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur, quod admodum probrosum est, ut probat cit. textus Lott. *l.* 2. *q.* 48. *n.* 190. atque ex his jam constat longe minus posse filium illegitimum idem beneficium patris sui obtinere, ne quidem in commendam temporalem: aut etiamsi beneficium paternum mutasset speciem. v. g. ex portione factum Canonicatus. etsi horum duorum contrarium innuat Lott. *num.* 209. & 210. nisi fortè ibi loquatur de filio legitimo. Sed neque posse filium illegitimum obtinere beneficium paternum, etsi aliquis tertius intermedius possedisset illud beneficium per triginta annos. Castrop. *de benef. d.* 4. *p.* 2. *n.* 2. Lott. *num.* 211. contra Gonz. *Gl.* 5. *n.* 33. censentem non impediri filium illegitimum huic tertio succedere, cum videatur sic lapsu tanti temporis exst incta memoriâ paternæ incontinentiæ, ut ea excitari nequeat ex hoc facto successionis; sed admissâ etiam hac ratione, an non talis adhuc ministrat in Ecclesia, in qua pater ejus obtinuit beneficium? quòd simpliciter vetatur.

Quæstio 273. *Qualiter hoc ipsum extendendum & limitandum?*

1. Respondeo primò: ut per illegitimos intelligantur nati ex fornicario concubitu non tantùm post, sed etiam antequam eorum pater esset Clericus. Garc. *p.* 7. *c.* 3. *n.* 15. Paxjord. *l.* 10. *lit.* 11. *n.* 25. Barb. *de pot. Ep. alleg.* 65. Pass. *c.* 25. *n.* 237. contra Mirand. *to.* 3. *q.* 1. *a.* 10. Rodriq. *to.* 1. *q.* 13. *n.* 7. Item nati postquam pater renunciâsset beneficio & Clericatui Pass. *loc. cit.* contra Paxjord. Item illegitimi legitimati per rescriptum Papale, nisi in eo expresse & specialiter sublata sit hæc inhabilitas ad habendum patris beneficium, aut in Ecclesia, in qua is illud habuit. Laym. *in c.* 2. *de fil. presb. n.* 1. Sayr. *de const. l.* 6. *c.* 11. *nu.* 30. Secùs est de legitimatis per subsequens matrimonium, quia talis comprehenditur sub nomine nati ex legitimo matrimonio, etiam in materia stricta. Gl. *in c. innotuit. de elect.* Butr. apud Fagn. *in c. ad exstirpandas. de fil. presb.*

2. Non tamen intelligantur filii legitimi per patrem illegitimum descendentes ab avo Clerico. Nepotes enim nomine filiorum non veniunt in odiosis, sed solùm in favorabilibus, juxta *l. juliam. ff. de rit. nupt. & l. patris. ff. de adult.* Barb. *ad cit. c.* 15. *Trid. n.* 6. citans Castrop. Riccius *in praxi p.* 4. *resol.* 374. Sayr. *loc. cit. c.* 10. *n.* 46. Azor *loc. cit. c.* 4. *q.* 17. Pass. *n.* 228. citans plures alios. Navar. *l.* 1. *cons.* 9. *de fil. presb.* Fagn. *ad c. ex transmissa. nu.* 20. inquiens id hodie indubitatum, eò quòd Greg. XIII. ex sententia S. Congregationis declararit, nec constitutionem Clement. VII. quæ incipit: *ad Canonum Conditorem*; nec Trid. *sess.* 25. *c.* 15. obstare, quo minus nepos legitimus ex filio illegitimo possit obtinere beneficium avi, in tali enim nepote non consideratur incontinentia illa avita seu avi, neque persona nepotis est apta excitare ita memoriam illius incontinentiæ, sicut persona filii illegitimi sui patris Lott. *loc. cit.* Idque ut iidem AA. tam vivente quam defuncto patre contra Imol. Rebuff. Salzed. Host. Syl. Angel. Arm. Less. *lo. cit. c.* 34. *num.* 91. Pirh. *de fil. presb. n.* 37. Laym. *ad c. ad exstirpandas. num.* 2. qui tamen post emi cum aliis apud Pass. *loc. cit.* admittunt posse nepotem talem succedere immediatè avo in beneficio, dum pater illegitimus adhuc vivit (eò quòd tunc cesset ratio prohibitionis, nempe species hæreditariæ successionis; dum enim pater vivit, nepos etiam legitimus non potest succedere avo in bonis, sed pater est proximus hæres) secùs si mortuus est: nec putant hi AA. obstare sibi, quod, ut dictum; nomine filiorum in odiosis non veniant nepotes, quia hanc materiam dicunt non esse odiosam, aut pœnalem, sed favorabilem, non quidem respectu illorum nepotum, sed Ecclesiæ, cum filii legitimi non repellantur à beneficiis paternis in pœnam, sed ob favorem & commodum Ecclesiæ. Laym. *lo. cit. n.* 2. quin & dum agitur de successione, vel quasi successione hæreditaria, etiam post mortem patrum suorum, nepotes veniant nomine filiorum. Idem dicendum est secundum Castrop. *de benef. d.* 4. *p.* 2. *n.* 3. qui pro hoc citat Nav. *cons.* 9. *de fil.*

de fil. presb. n. 9. Sayr. *de irreg. l. 6. c. 10. n. 4.* Azor *p. 2. l. 6. c. 4. q. 17.* Barb. *p. 3. alleg. 65. num. 18.* Garc. *lo. cit. n. 27.* & Azor apud Barb. *lo. cit.* de nepote illegitimo talis avi; Concilium Trident. namque paternæ, & non avitæ incontinentiæ memoriam à loco sacro vult arcere, & sic *S.* Congreg. 17. Octob. 1591. amplexam fuisse hanc sententiam etsi aliàs senserit contrarium, testatur Barb. apud Castrop.

3. Neque etiam comprehenduntur Nepotes in linea collaterali, quo minus illi beneficium patrui, vel avunculi immediatè post illum (saltem si jure hæreditario non succedant. Pirh. *loc. cit. num. 39.*) habere possunt; cùm inter Collaterales non sit tanta necessitudo successionis, quanta est inter filium & nepotem respectu patris vel avi. Rebuff. *loc. cit. num. 30.* sumitur ex *cap. ex parte. de offic. delegat.*

4. Multominùs autem comprehenduntur illo Trident. decreto, aut etiam ratione ab illo data Patres clerici illegitimorum: in filio namque illegitimo presbyteri, (cùm is sit, & dicatur argumentum ambulans super terram incontinentiæ paternæ. Gloss. *in cap. proposuisti, dist. 82.* item filius sit imago patris, eúmque repræsentet, qualiter pater non est imago filii, nec eum repræsentat) magis conservatur memoria istius incontinentiæ, quàm in ipso patre, neque etiam pater ita videtur repræsentare hæreditariam successionem, dum succedit in beneficio, ut Castrop. adeóque is succedere potest in eodem filii illegitimi beneficio & decis. Rotæ. Garc. *loc. cit. num. 28.* Less. *loc. cit. num. 91.* Sayr. *loc. cit. num. 44.* Barb. *loc. cit. n. 7.* citans plures Fagn. *in c. ex transmissa. num. 26.* Castrop. *loc. cit. num. 5.* citans Rebuff. *in pr. tit. de dispens. super defectu natalium. num. 29.* Quintadv. *Eccles. f. 2. n. 95.* Gigas *de pension. q. 86. num. 10.* contra Lott. *l. 2. q. 48. num. 194.* cujus rationes in oppositum vide *quæst. post hanc. 6.* uti & dicenda paulo post ex Lott. ad hoc ultimum punctum.

Quæstio 247. *Quid veniat nomine ejusdem Ecclesiæ?*

REspondeo: Veniunt etiam Ecclesiæ, licet materialiter plures, habentes tamen unum eundemque intitulatum, & in quarum una, dum residet intitulatus, censetur etiam residere in altera, atque ita filius illegitimus non possit obtinere beneficium in una illarum, si parens in earum aliqua habet, aut habuit beneficium, aut ministravit. Barb. *loc. cit. num. 16.* Garc. *loc. cit. num. 75.* Pass. *loc. cit. num. 242.* Item Ecclesia Matrix cum filialibus, si sint unitæ principaliter, ita ut intitulatus in Matrice censeatur etiam intitulatus in filialibus, & omnium habeat administrationem, & obtinentes Ecclesias filiales tenentur ministrare in Matrice. Secus si filiales Matrici sint unitæ tantum accessoriè, & eas obtinentes non teneantur ministrare in Matrice. Barb. *num. 23.* Garc. *num. 62.* Pass. *num. 244.* Item si plures Ecclesiæ aliæ unitæ æquè principaliter, secùs si accessoriè, poterit enim tunc filius obtinere illam accessoriè unitam, & Pater alteram, si in ista accessoriè unita non ministrârit. Garc. *ibid.* Item intelliguntur Ecclesiæ sorores, quales dari aliquas in Hispania, ait Castrop. *cit. p. 2. num. 14.* in quarum una residens censetur in alia residere ex favore & privilegio Pontificis, ita ut in una earum intitulari nequeat filius illegitimus, in altera pater, quia jam esset intitulatus in Ecclesia, in qua pater ratione beneficii ministrare censetur, seu in qua pater censetur habere beneficium. Cast. *ibid.* ex Barb. *ad cit. c. 15. Trident.* Non tamen intelligatur Ecclesia noviter erecta ex parte alterius Ecclesiæ, & ab ea dismembrata; sic enim poterit filius obtinere Episcopatum noviter erectum ex parte Archi-Episcopatûs, quem pater ejus obtinet, vel obtinuit. Barb. *loc. cit. num. 18.* Pass. *num. 246.*

Quæstio 275. *Quid hîc veniat nomine beneficii, & ejusdem beneficii, & habere beneficium?*

1. REspondeo ad primum: habere stallum vel sedem in choro; hinc si pater ratione dignitatis obtentæ in hac Ecclesia, habeat etiam in altera sedem in choro, filius illius illegitimus in neutra harum Ecclesiarum possit obtinere beneficium. Garc. *loc. cit. c. 13. n. 66.* Barb. *loc. cit. n 14.* Pass. *loc. cit. num. 247.* Castrop. *de benef. d. 4. p. 2. num. 13.* quamvis is addat, hanc doctrinam non carere difficultate ob ea, quæ tradit Gonz. *ad reg. 8. gl. 10. à num. 16.* Item acceptum esse in Clericum Ecclesiæ receptitiæ, in qua recepti absque alia provisione divinis inservire, & massæ communis participes esse solent. Barb. *loc. cit. num. 19.* Pasl. *n 248.* Non tamen intelligatur Capellania amovibilis; hinc obtinere potest filius beneficium in Ecclesia, cui pater ejus inservivit tanquam Capellanus amovibilis. Garc. *loc. cit. num. 72.* Barb. *loc. cit. n. 22.* Riccius *lo. cit. decis. 373.* Campan. *rub. 11. c. 13. n. 67.* neque etiam Capellania, quæ fundari solet absque auctoritate Episcopi. Barb. *loc. cit. n. 24.* Gonz. *ad reg. 8. cancell. gl. 5. num. 33.* Pass. *loc. cit. num. 50.* citans Castrop.

2. Respondeo ad secundum: nomine ejusdem beneficii venit etiam beneficium accessoriè unitum alteri, etiam dissolutâ unione, ita ut illud prius habitum à patre, habere dein nequeat à filio. Garc. *loc. cit. num. 63.* quod si tamen beneficium illud accessoriè unitum per hanc unnionem, seu accessum naturam beneficii non amittat, sed accessorium illud necessariò administrari debet per Vicarium perpetuum aut temporalem, & non per Rectorem principalis beneficii, filium illegitimum posse obtinere hoc accessorium, etsi pater obtineat principale beneficium, eò quòd sic filius neque obtineat beneficium patris, nec ministret in eadem Ecclesia, supponendo accessorium illud esse in Ecclesia diversa; tenet Castrop. *de benef. d. 4. p. 2. num. 12.* citans pro hoc Garc. *p. 7. c. 3. num. 61.* & Barb. *ad cit. c. 15. Trident. & de potest. Episc. alleg. 65. num. 11.* Non tamen intelligatur Canonicatus, qui tempore, quo eum pater possidebat, erat tantum portio; factum enim per hoc jam est aliud beneficium. Gonz. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. num. 5.* Lotter. *de re benef. l. 3. q. 84. nu. 210.* Castrop. *lo. cit. n. 15.* qui tamen rectè hunc terminum adjicit: *portio non beneficialis.*

3. Respondeo ad tertium: per habere beneficium intelligitur quomodocunque illud possidere. Barb. *loc. cit. num. 21.* Pasl. *252.* Etsi per Procuratorem tantum sumpta possessio. Paxjordan. *l. 10. tit. 19. num. 54.* Item licet nunquam in illa Ecclesia ministrârit pater aut fructum aliquem percepérit. Abb. *in c. transmiss. de fil. presbyt. in 6.* Garc. *num. 36.* Barb. *num. 31.* Item licèt possessionem habue-

habuerit absque legitimo titulo, vel etiam aliquando eam habuerit minus pacificè. Garc. *p. 7. c. 3. num. 59.* Barb. *loc. cit. num. 13.* Paxjord. & Castrop. apud Pasl. *num. 255.* Ac denique per habere beneficium intelligitur, sive habeatur in titulum, sive in commendam, sive in administrationem. Castrop. *loc. cit. num. 11.*

Quæstio 276. Quid intelligatur per ministrare in Ecclesia?

REspondeo: intelligi etiam ministerium exhibitum per modum cooperatoris. Pirh. *de fil. presbyt. num. 55.* Item ministerium illud, quod Clerici alicujus Ecclesiæ, dum tenentur aliquando processionaliter accedere aliam Ecclesiam, in ea præstant, canendo sacrum, Antiphonas &c. ita ut si in ista Ecclesia pater est beneficiatus, filius illegitimus in neutra illarum possit esse beneficiatus. Castrop. *num. 16.* Garc. *n. 69.* Paxjord. *num. 30.* apud Pasl. *num. 257.* Item intelligitur de ministerio, licèt illud illegitimus possit præstare per substitutum. Pasl. *num. 259.* contra Garc. *loc. cit. n 71.* & Paxjord. *num. 32.* eò quòd licet etiam beneficium non requirat residentiam, tamen non possit obtineri à filio in Ecclesia beneficii paterni. Non tamen ita intelligitur, ut illegitimus in Ecclesia beneficii paterni prohibeatur ex devotione, & non ex salario (intellige stabili; secùs enim est, si legatur missa aliquoties ad eleemosynam promerendam. Pirh. *ad tit. de fil. presb. num. 55.*) celebrare. Garc. *loc. cit. c. 3. num. 70.* Paxjord. *num. 31.* Pasl. *num. 258.* Castrop. *num. 16.* contra Navar. *cons. 1. q. 17. de consuet.* Sayr. Riccium apud Barb. *loc. cit. num. 62.* Qui tamen etiam *num. 27.* una cum Garc. Ricc. Paxjord. citatis à Pasl. tenet non licere illegitimo etiam laico tanquam Musico cantare in Ecclesia paterni beneficii. Idem tenet Castrop. *num. 16.*

Quæstio 277. Num etiam comprehendatur pensio?

1. REspondeo primò affirmativè, si sermo est de pensione imposita fructibus paterni beneficii; vetat siquidem Concilium, & hoc ipsum ob eandem rationem, ne scilicet memoria incontinentiæ paternæ duret. Castrop. *de benef. d. 4. p. 2. num. 9.*

2. Respondeo secundò negativè, de pensione fundata super alio quàm paterno beneficio, ita ut Clericus habens facultatem transferendi pensiones possit eam transferre in filium suum illegitimum; aliàs simpliciter dispensatum ad beneficia & pensiones, quia pensio impropriè est beneficium, & in odiosis non est facienda extensio. Castrop. *loc. cit.* Gigas *de pension. q. 86. nu. 3.* Paris. *de resign. benef. l. 6. q. 4. num. 21.* Gonz. *ad reg. 8. cancell. gl. 5. §. 5. num. 22.* Barb. *loc. cit. num. 35.* contra Garc. *p. 2. c. 3. num. 36.* & Mandos. apud Pasl. *num. 264.* hoc nixos fundamento, quòd videatur per hoc pari modo conservari memoria paternæ incontinentiæ, & pensio succedat loco beneficii, quorum tamen utrumque falsum videtur: & certè licet pensio succedat loco beneficii, quo ad qualitates in beneficiis requisitas, ita ut eadè ætas, legitimitas, &c. requisita ad beneficium, requiratur etiam in pensione, non tamen succedit in dispositione speciali prohibitiva, cùm inhabilitatus ad beneficia consequenda non sit eo ipso inhabilitatus ad pensiones consequendas. Castrop. *num. 10.* ex Gonz. *gl. 5. §. 5. num. 26.* Navar. *cons. 12. nu. 15. de rescrip.* Adde, quòd pensio sub nomine beneficii non comprehendatur in præsenti, vel ex eo constare, quòd in dicto Concilii decreto, postquam actum de beneficio, agatur etiam de pensione, tanquam aliquo distincto; & certè aliàs nequidem talis filius obtinere posset pensionem super fructibus alterius beneficii ejusdem Ecclesiæ. Castrop. *cit. num. 10.* Imò juxta Gig. *q. 12. num. 2.* nequidem comprehenditur pensio, quæ est super eodem beneficio, aut præbenda, super qua pensionem habet Pater, uti nec pensio, quæ est super beneficio domûs paternæ, aut etiam pensio, quæ illegitimo legitimè constituta fuit super beneficio tunc non paterno, dum illud postea pervenit ad patrem, ita ut eam filius retinere possit. Paxjord. *loc. cit. num. 23.* Pasl. *n. 264.*

Quæstio 278. Quid in hoc puncto dicendum de illegitimis religiosorum?

REspondeo: non extendere quidem se ad hos decretum illud Trident. utpote constitutum pro solis Clericis (quo nomine in pœnalibus non veniunt Religiosi) & extra ea, quæ separatim pro regularibus statuerat Trid. fusè probat Pasl. *n. 269.* contra Mirand. *tom. 2. q. 2. a. 10.* & Lavor. *c. 16. n 47.* tenentes universalissimè illegitimũ sine speciali dispensatione distincta ab ea, qua dispensatus est ad Prælaturas, non posse esse Prælatum in tota ea Religione, in qua pater ejus fuit Prælatus, & contra Peyr. *q. 2. c. 5. num. 140.* limitantem hoc ad eandem provinciam, & contra Rodriq. *tom. 1. q. 13. a. 7.* Sigism. à Bon. *d. 72. num. 5.* Donat. *p. 3. tr. 5. q. 31. num 13.* limitantes id ad idem Monasterium. Nihilominus vi Constitut. Gregorii XIV. edita Anno 1590. quæ incipit: *Circumspecta*; in qua, dum præcipitur, ut tales filii non recipiantur ad eandem Religionem, in qua pater est professus, multò magis præcipitur, ut non præficiantur alis. Item vi *Constit. 30.* Clement. VII. talis filius prohibetur obtinere quæcunque Monasteria & beneficia regularia, & sæcularia, quæ Pater ejus aliquando habuit. Verumtamen & hæc constitutio, cùm loquatur limitatè de eodem numero beneficio, poterit adhuc illegitimus talis antecedenter dispensatus ad hoc, ut ejusdem Ordinis Religiosus esse possit, sine alia dispensatione esse Provincialis, non tamen Prior, si Pater ejus fuit in hoc conventu Prior. Pasl. *num. 271. & 272.*

Quæstio 279. An igitur etiam è converso Pater nequeat obtinere beneficium in Ecclesia, in qua filius ejus illegitimus jam habuit aliquod beneficium?

1. REspondeo primò ex Lott. negativè, si sermo est de diverso beneficio quantumcunque existente in eadem Ecclesia. Lott. *l. 2. q. 48. num. 194.* eò quòd tunc fortè non militet ita eadem ratio, ob quam vetatur filius illegitimus habere ibi beneficium, ubi pater ejus habuit, ut constabit ex mox dicendis, & de hoc casu successionis, nimirum Patris in eadem Ecclesia, in diverso tamen beneficio, intelligendam esse *decis. Seraph. 142.* in qua dicitur, verba Trident. *sess. 25. c. 15.* ita esse concepta, ut non possint ullo pacto convenire parentibus, eò quòd, si ad arcendam memoriam paternæ incontinentiæ filii excluduntur, nullo modo

possint arceri parentes ipsi, in quibus non cadit ista passio, ut per eorum successionem arguatur incontinentia parentum, cùm possint esse nati ex legitimo matrimonio) item quæ fusè scripsit Garc. *p. 7. c. 3. num. 28.* & Rebuff. *tit. de dispens. super defect. natal.* ait Lott. *num. 202. & 206.* ubi etiam, quòd hæc scripta sint, salvâ sententiâ S. Congreg. ad quam magis pertinet decreti illius Tridentini interpretatio.

2. Respondeo secundò: affirmativè, si sermo est de patre succedente filio suo illegitimo in eodem beneficio; quia jam militat eadem ratio, nimirum excitatio & conservatio memoriæ incontinentiæ talis patris. Lott. *num. 194. & 206.* nam memoria paternæ incontinentiæ non excitatur tam ex persona filii, quàm ex facto successionis in beneficio, licet postea excitata conservetur in persona filii (qui dum vivus est, dicitur testis paternæ incontinentiæ. *c. priusquam. d. 28.* & argumentum paternæ incontinentiæ Gl. *in c. proposuisti. d. 82.* & nuncius impudici patris. Host. *in c. cùm decorem. de fil. presb. n. 1.*) hinc è converso nihil est, quin ratione successionis æquè conservetur hæc memoria in patre, non enim minùs observabunt homines patrem obtinere beneficium, quod obtinebat illegitimus filius, quàm observaturi essent filium successisse in beneficio, quod obtinebat impudicus pater; imò magis, quia rarius; ut Gl. *in c. legibus. d. 93.* Ubi autem fuerit hæc memoria excitata, non est cur eadem æquè non conservetur in persona ejusdem patris vi naturalis relationis, quæ est inter patrem & filium. Lott. *n. 195. & 196.* sed neque dicas cum Jo. And. *in c. ex transmissa.* Abbate, *ibid. n. 3.* Butrio. *n. 11.* nullam extare de hoc expressam prohibitionem, & materiam esse exorbitantem. Nam cùm militet eadem ratio, fit interpretatio intensiva, non extensiva. Lott. *n. 198.* ex Paris. *cons. 32. num. 77. l. 1.* Neque etiam est materia exorbitans, utpote qualis dicitur ea dispositio, quæ inducit aliquid in specie contra id, quod jure antiquo dispositum fuerat in genere. Menoch. *de recup. possess. remed. 14. n. 13.* Lott. *n. 199.* & etiamsi materia sit exorbitans, adhuc procedit argumentatio ab identitate rationis, ut Alex. *cons. 89 n. 6.* ita ut, si qui contrarium docuerint, constet eos minùs propriè accepisse materiam exorbitantem. Lott. *n. 200.*

Quæstio 280. *An ergo pater habere possit beneficium in Ecclesia, in qua filius ejus illegitimus jam est beneficiatus?*

REspondeo: negativè. Castrop. *de benef. d. 4. p. 2. num. 6.* citans Garc. *p. 7. c. 3. n. 31.* Etsi enim Trident. hunc casum directè non tetigerit, neque id vetuerit expressis verbis (dum loquens de patre & filio beneficiatis jam tempore Concilii, solùm expresè disponat: quòd si in præsenti pater & filius in eadem Ecclesia sint beneficiati, filius cogatur beneficium dimittere patre intacto) tacitè tamen & virtualiter hoc ipsum vetare videtur, cùm enim voluerit, ne filius illegitimus & pater in eadem Ecclesia beneficiati existant, ut paternæ incontinentiæ memoria longissimè arceatur, frustraretur Concilium hoc suo fine, si pater obtinere possit beneficium in Ecclesia, in qua filius ejus illegitimus jam habet beneficium, adeóque dicendum, non posse id patrem, neque enim filius cogendus est beneficium jam acquisitum relinquere, sed potiùs pater impediendus ab illo consequendo, quia ipse agit de lucro captando, & filius de damno vitando. Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 281. *Quid dicendum hac in parte de filiis legitimis presbyterorum, aliorúmve Clericorum?*

1. REspondeo primò: posse illos in Ecclesia, in qua eorum pater provisus, provideri, id enim nec à jure communi, nec à Trident. vetatur. Castrop. *de benef. d. 4. p. 2.*

2. Respondeo secundò: non posse illos patri in eodem beneficio succedere immediatè. *c. ad extirpandas. c. constitutus, de fil presb.* Poterunt tamen in eo succedere mediatè. *c. ex transmissa. t. eod. & c. ad extirp. ibi.* Gl. Innoc. Abb. Barb. Garc. *p. 7. c. 3. n. 3.* Sanch. *opusc. l. 2. c. 1. dub. 14. n. 2.* Pass. *n. 122.* Lott. *l. 2. q. 48. n. 178. & seq.* Species siquidem illa hæreditariæ successionis in beneficio, quæ est ratio unica, ob quam prohibetur filius succedere in beneficio paterno, locum non habet, nec ullatenus comparet, seu repræsentatur propter mediam intercedentem personam, utpote quæ illam speciem ita submovet, ut nec per imaginationem quis suspicari possit activitatem alicujus juris hæreditarii. Lott. *loc. cit.*

Quæstio 282. *Qualiter hoc ipsum extendendum aut limitandum?*

1. REspondeo primò: sic extendendum ut locum habeat, etiam in filio adoptivo; cùm & hic propriè sit filius familias. *l. 1. ff. de adopt.* succedátque æquè patri, quantumcunque sacerdoti, tam ex testamento, quàm ab intestato, ut AA. *in l. si quis posthumus. de lib. & posthum.* Lott. *cit. q. 48. n. 186.* supponens cum communiore, pro qua citat quamplurimos *num. 187.* Sacerdotem posse, quem velit, sibi adoptare in filium, modò tamen, si agatur de adrogatione, accedat Auctoritas Papæ. Si verò de adoptione simplici, auctoritas magistratûs Ecclesiastici. Lott. *cit. n. 187.* citans Ruinum. *cons. 167. l. 5.* licèt, ut idem Lott. in hoc casu exigatur alicujus citatio.

2. Respondeo secundò: ita ut ea dicatur adhuc successio mediata, dum inter patrem & filium mediat alius, qui legitimè possederit idem patris beneficium, etsi in eo nunquam ministrârit; adeóque is in dictum filium poterit illud resignare. Pass. *nu. 223.* contra Rebuff. secùs, si medius ille possederit invalidè. Sanch. *loc. cit. n. 5.* Pass. *n. 224.* sic etiam dum quis obtinuit v. g. Rectoriam principalem Titii, potest is instituere Vicarium perpetuum filium Titii, quia jam filius non succedit immediatè in jure & titulo patris, sed potiùs in jure præsentis Rectoris, mediantis inter ipsum & patrem. Et ita communicatio illa tituli & juris beneficialis inter Rectorem principalem, & Vicarium perpetuum non refert speciem successionis hæreditariæ, qualem quia referret, si pater, ad quem ratione alicujus personatûs v. g. cui Ecclesia parochialis est incorporata, filium suum legitimum in illa parochia constitueret Vicarium perpetuum, hinc id non potest. Laym. *in c. Michael. de fil. presb. num. 2.* Pirh. *ad eund. tit. n. 41.* Item si Parens Rector Ecclesiæ moreretur ante Vicarium suum perpetuum, potest filius, mortuo illo Vicario, consequi istam Vicariam, quia jam censetur mediare inter patrem

trem & filium Vicarius ille post parentem mortuus. AA. iidem *ibid.* Secundò ut nomine beneficii veniat etiam Vicaria vel commenda perpetua, non verò temporalis. *cit. c. constitutus.* Gl. *in c. ad exstirp.* Sanch. *loc. cit. n. 6.* Rebuff. *in praxi. de disp. super natal. n. 21.* Barb. *ad c. constitutus. n. 2.* ita ut filius obtinere nequeat Vicariam vel commendam perpetuam illius Ecclesiæ, cujus parens immediatè ante fuit Parochus aut Rector principalis. *c. Michael.* vel etiam, cujus parens immediatè ante fuit Vicarius perpetuus, aut quam habuit in commendam perpetuam; multóque minus possit habere Rectoriam principalem illius Ecclesiæ. Rebuff. *loc. cit. n. 16.* Laym. *ad cit. c. Michael, n. 4.* Pirh. *ad tit. de fil. presb. n. 40.* Tertiò, ut nomine beneficii habiti intelligatur beneficium possessum; Non enim prohibetur filius habere beneficium, cujus tantum titulum v. g. per collationem consecutus erat pater absque possessione. Garc. *p. 7. c. 3. n. 55.* Barb. *de off. Ep. alleg. 65. n. 7.* Pirh. *loc. cit. n. 36.* Quartò, ut nomine beneficii ejusdem non veniat beneficium mutatum v. g. ex portione factum Canonicatus, hoc enim poterit filius immediatè obtinere. Sanch. *loc. cit. n. 2.* Pass. *n. 226.* uti etiam, si patris & filii beneficia sint tenuia; poterit filius utrúmque possidere, postquam mortuo patre unita sunt. Sanch. *loc. cit. n. 8.* Lott. *l. 2. q. 48. n. 181.* citans Hostiens. *in c. ex transmissa.* Jo. And. *n. 3.* Abb. *n. 7.* pari siquidem modo, quo persona media impedit oriri speciem hæreditariæ successionis, titulus unionis (factæ tamen sine dolo aliquo) eandem speciem oriri non patitur. Lott. cum cit. AA. Néque etiam dici debeat idem beneficium, dum in Ecclesia aliqua, in qua præbendæ Canonicales distinctæ non sunt, nec singulis Canonicis certo numero assignatæ, sed reditus ad communem mensam & massam Capituli deferuntur, statim post mortem patris Canonici, nulla persona mediante, defertur filio Canonicatus, cum is jam non vacaverit per mortem parentis. *c. ex parte. de conces. presb.* Host. Abb. Butrio, Laym. apud Pirh. *n. 46.*

3. De reliquo non vetat jus canon. patrem immediatè succedere filio etiam illegitimo, ut dictum supra in eodem beneficio; siquidem materia hæc, cum odiosa sit, non debet à filiis fieri extensio ad parentes. Jo. And. Abb. Rebuff. Azor, Garc. citati à Pirh. *loc. cit. n. 46.* contra Hostiens. Archid. & alios apud Fagn. quibus adhæret Lott. *loc. cit. n. 184.* dicens esse sententiam suam communem DD. non minùs probabiliter sustinentium contrarium ob paritatem rationis, nimirum quod cum non minus pater filio, quam filius patri succedat in bonis hæreditariis, hæc sit species quædam successionis; jura autem generaliter prohibeant successionem in beneficiis Eccles. Unde etiam in tantum illis consentit Pirh. *num. 45.* in quantum censet, non posse patrem immediatè post mortem filii succedere ei in beneficio, si succedat ei in bonis.

4. Neque etiam vetat quo minùs filius legitimus simul cum vivente patre in eadem Ecclesia obtineat simile omnino beneficium, Lott. *loc. cit. n. 181.* (dicens in hoc consentire omnes. & *n. 192.* dicens filium impetrantem Canonicatum in Ecclesia, in qua pater habet alium Canonicatum, nequidem teneri de hac circumstantia facere mentionem, nisi ei obstet illegitimitas) Sanch. *loc. cit. n. 11.* ex Felin. Rebuff. quos citat Passer. *n. 228.* referens plures alios contra Abb. *in c. cum decorem, de fil. presb. num. 1.* negantem id quoad beneficium omnino simile.

5. Porrò idem, quoad hoc, nimirum quoad succedendum mediatè in beneficio patris jure antiquo etiam poterant filii illegitimi. *c. ex transmissa. & ibi.* Abb. *n. 5.* Host. Innoc. Barb. *n. 3.* fatetúrque ipse Clemens VII. in *Const. sua. ad Canonum Conditorem. trigesima. edita Anno 1533.* apud Quarant. *in sum. bullar.* per quam hoc ipsum illis abrogavit: Poterant & mortuo patre esse beneficiati in eâdem Ecclesia, in qua fuerat pater & circa hoc Clemens VII. nihil immutavit. Pass. *n. 230.* sed Trid. *sess. 25. c. 15.* de reform.

Quæstio 283. Num Episcopus in isto Concilii Trid. decreto dispensare possit?

Respondeo negativè. Abb. Jo. And. Sanch. *opusc. l. 2. dub. 17. n. 4.* Barb. *de off. Ep. alleg. 65. n. 30.* Paxjord. *loc. cit. n. 42.*

Quæstio 284. Quid si ergo Episcopus concesserit filio Presbyteri Capellam vel beneficium, & ad ejus titulum illum ordinavit, quod pater ejus habuit, vel etiam in Ecclesia, in qua pater ejus ministravit?

1. Respondeo: si Episcopus hoc fecit scienter, non potest illegitimum removere ab isto beneficio, quin & si amovit, debet illud ei restituere, ut pacificè possideat. Si verò ignoranter id fecit, non debet illum inde amovere, donec de alio beneficio ei sufficienter provideat. sic expressè habetur *c. veniens de fil. presb* textus autem hic non est de filio legitimo, ut aliqui volunt, sed de illegitimo, ut plerique, alii Laym. *ad cit. c. n. 1.* Pirh. *de fil. presb. n. 33.* Atque ita hic est casus singularis, & exceptus, in quo illegitimus Presbyteri ab Episcopo ignorante ejus inhabilitatem institutus in beneficio paterno, & ad illius titulum ordinatus, licitè potest illud, etsi invalidè collatum retinere ad tempus, donec aliud ei conferatur, ne cogatur indecorè mendicare. Rebuff. *in praxi. de dispens. super def. nat. n. 79.* Fagn. *in c. veniens. n. 15.* Pirh. *loc. cit. n. 34.* Alter verò quem scienter sic promovit Episcopus, nec ipse ab Episcopo illo (cum is potestatem non habeat dispensandi in *cit. Canone*) removeri debet; sed à Superiore Episcopi, puta metropolitano vel Papa. *c. diversis. de fil. presb.* Laym. *ibid. n. 2.* quamvis in casu istius *c. veniens.* Papa illegitimum illum noluerit amovere, sed ex gratia cum illo dispensârit, ut possit retinere beneficium paternum; idque in odium Episcopi illicitè, & invalidè illum instituentis, & mox illum iterum auctoritate propria removentis; vel etiam ne sic promotus aliàs cogeretur mendicare. Gl. *ad cit. c. veniens. V. restituatur.* Hostiens. *ibid.* & Fagn. *n. 10.*

2. De cetero præscindendo ab illa Episcopi institutione, ubi notorium est illegitimum Clericî in Ecclesia paterna successisse sine dispensatione, à beneficio amoveri debet, & potest, etiam sine processu judiciario. *c. quoniam. de fil. presb.* in notoriis enim ordo judiciarius non est necessario observandus. *c. manifesta. 2. q. 1.* Etsi in præsenti pater & filius ejus illegitimus in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogendus est filius suum resignare, aut etiam cum alio permutare extra illam Ecclesiam intra tres menses, alias ipso jure eo privatus est, ita decernit Trid. *sess. 25. c. 15.*

Quæstio 285. Num Prælati regulares cum suis in isto genere dispensare possint?

REspondeo negativè. Imprimis non potestate ordinaria, ut patet, dein nec privilegio; si enim ex eo, quòd habeant privilegium, dispensandi cum suis super defectu natalium, ex quacunque copula nefaria is processerit, non habeant eo ipso privilegium dispensandi cum filiis legitimis suorum, ut succedant immediatè patri in beneficio vel Prælatura (sunt enim distincta, & diversæ speciei hæc privilegia, juxta quod diversæ sunt inhabilitates, quas respiciunt, nempe una fundata in illegitimitate; altera in ratione filiationis, seu quia filii sunt) multò minus habent privilegium dispensandi cum filiis illegitimis suorum, ut hi succedant patri in beneficio vel Prælatura. Pass. *n.* 290. Qui etiam *num. seq.* addit, quod si decretum Trident. comprehenderet religiosos, non possent dispensare Prælati religiosi cum filiis suorum religiosorum, ut essent Prælati ejus conventûs, in quo pater fuit Prælatus, aut etiam in tota Provincia, vel Ordine; imò, ut possent beneficium ullum exercere, vel chorum frequentare, aut unam Antiphonam cantare, cùm Trident. vetet filios Clericorum ministrare ex officio in Ecclesia, in qua patres eorum ministrarunt. quod cùm juxta communem DD. non teneat, posse superiores cum talibus dispensare, non tantùm ut admitti possint ad eundem, in quo pater fuit, Ordinem, sed & ad Prælaturas, quas pater non habuit.

Quæstio 286. Quales conditiones habere debeat dispensatio super defectu Natalium, ut sit valida?

1. REspondeo primò: ut sit data ex rationabili causa, si data est ab inferiore Papâ (secùs si data ab ipso Papa) hic enim nonnisi ex concessione Papæ dispensat in hoc, Papa autem non concedit, ut inferiores sine causa dispensent. Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 7. *a.* 11. *num.* 12. Garc. *loc. cit. c.* 2. *num.* 49. Castrop. *tom.* 1. *tr.* 5. *d.* 6. *p.* 8. *num.* 2. Lamb. *d.* 5. *q.* 16. adeóq; comprehenditur etiam legatus à latere. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *l.* 8. *de matrim. d.* 87. *num.* 5. & alii passim contra Rodriq. *in sum. c.* 4. *concl.* 3. *num.* 5. Valebit nihilominus dispensatio, si inferior dispensans prudenter & bona fide credit esse justam causam dispensandi, postulante sic recta Ecclesiæ gubernatione ad excludendos scrupulos, & ne passim acta infringere sit necesse. Sanch. *loc. cit. num.* 8. Pass. *cit. c.* 25. *de elect. num.* 289. contra Castrop. *loc. cit. num.* 5. vel si est justa causa, etsi dispensans sine cognitione causæ dispenset. Sanch. Pass. *ll. cit.* Armil. *v. dispensatio. num.* 14. Porrò quæ causæ sint justæ dispensandi in illegitimitate, certâ regulâ definiri nequit, refert earum plures, ex *c. requisitis.* 1. *q.* 7. & *c. sciendum. d.* 29. Sylv. *v. dispensatio.* Rebuff. *tit. de dispens. super def. natal. num.* 48. Castrop. *loc. cit. num.* 7. Neque eadem causa sufficit respectu cujuscunque defectus natalium; tantò enim difficiliùs dispensandum cum illegitimis, quantò turpiùs procreati. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 11. *num.* 8. Pass. *num.* 288.

2. Secunda conditio est, ut expressa sint ad minimum in supplicatione, quæ de jure vel stylo Curiæ sunt exprimenda; quales sunt circumstantiæ, quæ per se spectant ad negotium, sive quæ per se factum reddunt turpius, & difficiliùs dispensabile, v. g. in præsente, num illegitimus sit ex adulterio, uno vel utroque conjugato, an ex incestu in primo vel secundo gradu, vel alio remotiore, etiam affinitatis. An ex sacrilegio, puta Religiosis professis, Mirand. *tom.* 2. *q.* 1. *a.* 13. Tamb. *l. cit. q.* 16. *n.* 11. & *q.* 18. *n.* 4. Sanch. *loc. cit. d.* 21. *num.* 12. Felin. *ad c. postulasti. num.* 1. & plures alii, quos citat, sequiturque Pass. *num.* 290. neque juvat, bona fide ex ignorantia tacuisse tale quid; quod enim de jure exprimendum, ejus expressio est de forma & substantia. Sanch. & Pass. *ll. cit.* contra Sigism. à Bon. *de Elect. dub.* 75. *n.* 4. & Rodriq. *p.* 1. *q.* 13. *a.* 12.

3. Tertia conditio ad hoc ut valeat dispensatio pro speciali casu, est, ut eum distinctè exprimat; dispensatus enim in genere, v. g. ad Ordines, valet solùm ad minimam speciem, v. g. ad Ordines minores, dispensatio ad beneficia paterna nõ valet, si ea sint curata. Pass. *n.* 292. dispensatus simpliciter super illegitimitate nullâ factâ illius specificatione non intelligitur dispensatus, nisi super minima illegitimitate, qualis est nati ex soluto & soluta. *c.* 1. *de fil. presbyt.* Pass. *num.* 297. tenétque hoc postremum, etiam in Regularibus, cùm Prælatus regularis meritò difficilius moveri debeat, ut dispenset cum illegitimo nato ex concubitu sacrilego, quàm ex simplice fornicatione. Peyr. *in prælat. q.* 2. *c.* 5. *num.* 145. Mirand. *p.* 2. *q.* 2. *a.* 13. Pass. *loc. cit.* contra Rodriq. *loc. cit. num.* 17. Leand. malè citantes pro se Dianam. Item dispensatio ad majus non valet ad minus (nisi forte minus à majore sit inseparabile, idque necessariò supponat; v. g. dispensatio ad Diaconatum valet etiam ad minores. Felin. *in c. fin. de simon. n.* 5. Hostiens. *in c. postulasti. n.* 12. Pass. *nu.* 294.) cùm in dispensationibus non arguatur à paritate, vel majoritate rationis. Sayr. *loc. cit. num.* 16. Sanch. *loc. cit. d.* 1. *num.* 32. Surdus *decis.* 268. *num.* 20. Sic dispensatus ad Provincialatum non est dispensatus ad Prioratum. Pass. *num.* 295. contra Peyr & Lezan. ab eo citatos, multóque minùs dispensatus ad unam Prælaturam regularem hoc ipso est dispensatus ad alias; idem contra Bordon. *resol.* 10. *num.* 21. Item dispensatus ad officia hujus Ordinis, non censetur dispensatus ad officia alterius Ordinis, ad quem transfertur, cùm Superiores vi privilegiorum non dispensent, nisi pro eodem Ordine. Sanch. *in Decal. l.* 5. *c.* 5. *n.* 16. Peyr. *ad constit. Julii* 2. *n.* 88. Mirand. *loc. cit. a.* 4. & alii apud Pass. *nu.* 298. similiter dispensatus in religione ad officia & beneficia illius, non est dispensatus ad officia extra Ordinẽ, sive in eo maneat, sive ab eodem ejiciatur. AA. iidem. sicut è contra dispensatus super irregularitate in sæculo ad beneficia, non censetur post professionem dispensatus ad Prælaturas in Religione. AA. iidem; secùs tamen quoad hoc ultimum censet Pass. *n.* 299. de eo, qui in sæculo dispensatus esset à Papa, vel à Legato de latere ad omnia officia & beneficia; excipiendo tamen etiam Prælaturam insignem, & speciali notâ dignam, v. g. Generalatum. Quin etiam licet dispensatio concepta per verba generalia, v. g. ad officia omnia regulariter loquendo debeat intelligi generaliter, ubi tamen clausula generalis ponitur post aliqua officia nominata, non extendatur ad majora nominatis. Peyr. *l. ult. cit. num.* 99. Strotius *de off. Vicarii l.* 2. *q.* 115. *num.* 10. apud Pass. *num.* 296.

4. Quarta conditio, ut voluntas dispensandi sit sufficienter demonstrata, dum nimirum non verbis aut scripto, sed facto sit dispensatio; uti ea sufficienter demonstratur, dum Superior habens potestatem

statem & causam dispensandi rationabilem, & notitiam illegitimitatis, promovet illegitimum ad beneficium vel prælaturam. Sanch. *de matrim. l. 8. d. 4. num.* 23. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 41. *l.* 3. *num.* 4. Pass. *num.* 301. Verumque id est in utroque foro. AA. iidem. Sayr. *loc. cit. l.* 7. *c.* 14. *num.* 12. nisi quòd in foro externo debeat dispensaturo constare de illegitimitate, & causa rationabili per probationes in eo foro legitimas & sufficientes. Pass. *num.* 303. Item verum est, etiamsi Pontifex ipse promoveat talem; etsi enim is sine justa causa dispenset validè, quia tamen sic non dispensat licitè, præsumi non debet dispensatus sine justa causa. Pass. *num.* 304.

Quæstio 287. *In quo differat legitimatio à dispensatione cum illegitimo?*

Respondeo: quòd legitimatio habiliter illegitimum universaliter ad omnia jura, à quibus de jure scripto civili vel canonico repellebatur; Dispensatio autem ad quædam solùm. Azor. 2. *p. l.* 2. *c.* 14. *q.* 1. Tusc. *l. c. concl.* 220. Item quòd legitimatio sit latè interpretanda, dispensatio strictè. Pass. *num.* 306. Porrò legitimatio civilis facta à Principe laico non valet ad functiones spirituales & Ecclesiasticas. *Suar. tom.* 5. *d.* 50. *s.* 3.

Quæstio 288. *An Electio vel promotio illegitimi non dispensati ad beneficia & prælaturas sit ipso jure nulla?*

1. Respondeo primo: in hoc sensu esse ipso jure nullam, quod ipso jure, sive juribus id præcipientibus sit annullanda, & validè confirmari nequeat, nisi ab eo, qui super hujusmodi defectu natalium potest dispensare; hoc enim ad minimũ probant textus supra adducti, & ille præcipuè *c.* 1. *& c. fin. de fil. Presbyt. illegitimi beneficium nullatenus habeant.*

2. Respondeo secundò: probabile est, esse in ipso jure nullam, uti expressè tenent Nav. *cons.* 4. *de fil. presbyt. & in sum. c.* 25. *nu.* 117. Paris. *de resign. l.* 4. *q.* 4. *num.* 13. Peyr. *in præl. q.* 3. *c.* 5. *num.* 132. sicque evincere videtur *to nullatenus*, utpote reddens & indicans actum invalidum, & jure nullum. Sanch. *l.* 6. *de matrim. d.* 32. *num.* 7. *& l.* 5. *in decalog. cap.* 15. *num.* 17. Gratian. *discep. forens. tom.* 1. *c.* 159. *num.* 18. Unde tenebitur illegitimus, etiam occultissimus, beneficium dimittere, si dispensationem impetrare nequit, quia invalidè promotus. Abbas *in c. nisi cùm pridem. de renunc. num.* 16. Sayr. *loc. cit. c.* 10. *num.* 37. Azor. *loc. cit. c.* 4. *q.* 25. Peyr. *loc. cit. num.* 131. Nihilominus contrarium satis probabiliter defendit Pass. *num.* 311. *& seq.* eò quòd cùm nullitas actûs ipso jure non sequatur ex natura ad prohibitionem superioris aut legis (multa enim facta tenent, quæ fieri prohibentur. *c. ad Apostolicam. de regul.*) locum non habeat; nisi in jure exprimatur (pœna enim non irrogatur, nisi expressè jure caveatur. Tusc. *l. p. concl.* 816. *n.* 4. Barb. *axiom.* 181. *n.* 7. in jure autem canon. dicta pœna nullitatis ipso jure nullibi exprimatur; nullus etiam textus existat, vi cujus declaretur vim significativam illius vocis *nullatenus* portare in ventre decretum irritans; negentque idipsum Gloss. *in Clem. unicam de sequest. possess.* & Gloss. *in Clement. unicam. de jure patronatûs.* Gemin. *in c. quoniam. de immunit. Eccles. num.* 7. Sylv. *v. excommunicatio n.* 6. citans Ang. Armil. &c. ad hæc, odia sint restringenda, & in pœnis benignior fieri debeat interpretatio. *reg. in pœnis. de reg. juris in* 6. præsertim ubi innocens punitur ob culpam alterius, uti punitur illegitimus ob culpam incontinentiæ paternæ. Quibus tamen etiam non obstantibus tenet Pass. *n.* 314. cum communi, peccare illegitimum occultum graviter, acceptando Prælaturam, & teneri dimittere illam, quia semper peccat, dum contra Canones prohibentes eam nullatenus, hoc est nullo tempore haberi à tali, eam habet. Quia tamen hoc ipsum sit præceptum humanum, ait eum posse retinere beneficium, si non potest sine gravi infamia sui, aut suorum illud dimittere, aut obtinere dispensationem, citátque pro hoc Rodriq. *tom.* 1. *q.* 13. *a.* 5.

* * * * * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * *
* * *
* *
*

CAPUT SECUNDUM.

DE CONDITIONIBVS PROMOVENDORVM QVASI SVPERNATVRALIBVS.

PARAGRAPHVS I.

De fide promovendi ad beneficia Ecclesiastica.

Quæstio 289. *An, & quo jure infidelis non baptizatus sit ineligibilis & impromovibilis ad officia Ecclesiastica?*

REspondeo: jure divino quasi connaturali institutioni Ecclesiæ Christi esse inpromovibilem, ita ut ex eodem jure electio vel promotio talis sit in ipso facto indispensabiliter irrita. Pass. *cit. c. 25. num. 56.* datur siquidem per baptismum primum veluti posse passivum, non tantùm ad sacramenta, sed ad ea omnia recipienda & obtinenda, quæ ad Christianum cultum spectant. D. Thom. *3. p. q. 63. a. 2.* adeóque non baptizatus incapax est omnis jurisdictionis & administrationis Ecclesiasticæ, tanquam non incorporatus Christo & Ecclesiæ, ut membrum ejus, & pars.

Quæstio 290. *Quid hac in re dicendum de infidelibus conversis?*

REspondeo: eos nec jure divino, nec humano communi esse ineligibiles aut aliter impromovibiles ad officia & beneficia Ecclesiastica, sumitur ex *c. eam te. de rescrip.* Abb. *ibidem.* Ita, etiam, ut nec auctoritate Capituli generalis, vel cujuscunque religionis sine speciali auctoritate Apostolica ordinari possit, ut tales sint ineligibiles, quidquid sit de non admittendis hujusmodi ad professionem religiosam. Pass. *loc. cit. num. 58.* citans Sanch. *de matrim. l. 3. d. 37. num. 30.* Suar. *tom. 4 de relig. l. 2. cap. 3. num. 6. & de cens. d. 43. s. 3. num. 8.* Sayr. *de cens. l. 6. c. 13. num. 12.* Peyr. *in præl. quæst. 2. c. 5. §. 6. num. 84. &c.*

Quæstio 291. *Quid dicendum de descendentibus ex parentibus, idololatris, Saracenis, Iudæis?*

REspondeo: neque hos jure communi esse ineligibiles, aut impromovibiles, sive eorum parentes in infidelitate permanserint, sive non. Nav. *c. 27. num. 205.* Suar. *de cens. d. 47. s. 3. num. 7.* Sanch. *l. 2. in decal. cap. 28. num. 11.* Peyr. *loc. cit. num. 85.* quin & Gregor. XIII. *in constitut. sua. 3.* apud Peyr. præcipit Minimis, ut ab eorum Ordine & dignitatibus non repellantur Judæorum & Mahumetanorum filii; similémque Constit. Pii V. latam pro Minoribus, refert Idem *num. 86.* quas tamen constitutiones, quia pœnales ad alios Ordines non extendi censet Pass. *num. 59.* citans Rodriq. *tom. 1. q. 67. a. 2.* Sigism. *à Bon. dub. 82. num. 1.* His tamen non obstantibus jure speciali, vi nimirum constitutionum Papalium, vel etiam aliquarum Ecclesiarum, vel Ordinum propriis statutis auctoritate Apostolica confirmatis repelluntur tales, etiam in plures generationes ab Ordinibus, beneficiis & Prælaturis; Sic Clemens VIII. pro Portugallia statuit, ne descendentibus ex genere Hebræorum usque ad septimam generationem dentur Canonicatus & dignitates in Cathedralibus, & principales dignitates in Collegiatis, aut parochiæ, vel beneficia curata. Barb. *de potestate Episc. p. 1. tr. 2. gl. 17.* apud Pass. *loc. cit.* sic Paulus IV. quod confirmavit Greg. XIII. statuit, ne filii Judæorum, & Saracenorum recipi possint ad religionem & dignitates in Ordine Minorum de observ. de quo vide Miran. *tom. 2. q. num. 1.* Peyr. *loc. cit num. 46.* Sanch. *in decal. l. 2. c. 27. num. 3.* Nav. *l. 5. cons. 2. de Judæis.*

Quæstio 292. *Quid dicendum de Neophytis, quo nomine veniunt solum adulti recenter baptizati?*

REspondeo: eos esse irregulares respectu omnium Ordinum. Suar. *de cens. loc. cit.* Barb. *de potest. Episc. loc. cit.* Sayr. *loc. cit. c. 10. num. 10.* Peyr. *loc. cit. num. 70.* Azor. *p 2. l. 6. c. 2. q 2.* & hinc excluduntur à Prælaturis solum & officiis, quæ exigunt exercitium Ordinum, non verò quæ puram jurisdictionem concernunt. Pass. *l. cit. n. 61.* finito autem Neophytorum statu, promoveri possunt sine alia dispensatione ad Ordines, officia, dignitatésque Ecclesiasticas. *c. eam te. de rescrip.* Abb. Felin. *num. 72.* Suar. *cit. d. 43. s. 3. num. 7.* Sanch. *in sum. l. 2. c. 28. num. 11.* & plures alii cit. à Pass. *num. 62.* Porrò finitur status Neophytorum regulariter decennio à conversione, juxta Suar. *loc. cit. num. 6.* Sayr. *num. 11.* Peyr. *loc. cit.* etsi Pass. *num. 62.* dicat, à quanto tempore Neophyti ordinari possint, non esse à jure determinatum. De cætero licet Episcopus in hac irregularitate dispensare, & Neophytum nondum per tempus congruum probatum, etiam in penuria ministrorum, vel etiam ob excellentiam qualitatum statim à suscepto Baptismo sine aliqua morali distantia ad Ordines promovere nequeat sine dispensatione Papæ; spectat tamen ad eum consideratis Neophyti eruditione, prudentia, fide, humilitate &c. & recta conversatione, arbitrari & decernere eum ad Ordines promoveri posse, adeóque exisse statum Neophytorum; quod tamen arbitrium quoad Neophytos promovendos ad Episcopatum relinquendum Papæ. Pass. *num. 61.*

& 62.

Quæstio 293. *Quid dicendum hac in parte de hæreticis?*

1. REspondeo primò: illos esse ineligibiles ad beneficia, officia & prælaturas Ecclesiasticas indirectè; quia nimirum ipso facto excommunicati. *c. Achatius 24. q. 1. c. quicunque. de hæret. in 6to. c. vovent. de sententia excom.* Item quia irregulares. Sanch. *in sum. l. 2. c. 25.* Sylv. *v. irregularitas. q. 5.* Suarez. *de cens. d. 43. s. 1. num. 2.* Garc. *de benef. p. 11. c. 10. num. 80.* Peyr. *loc. cit. num. 72.* Farinac. *de hæresi. q. 189. num. 43.* Item quia infames. *c. infames. 6. q. 1. c. excommunicamus. de hæret.*

2. Respondeo secundò: etiam directè & per se, præscindendo ab omni censura alióve impedimento canonico ad Ordines suscipiendos jure canon. sunt incapaces, & inhabiles ad omnes dignitates, officia & beneficia Ecclesiastica, ita ut eorum ad ea electio & promotio hoc ipso jure sit nulla, & confirmatio facta ab eo, qui in jure canon. dispensare nequit, irrita. *c. statutum de hæreticis. & c. quicunque eod. tit. in 6.* Pass. *loc. cit. num. 64. & 68.*

3. Respondeo tertiò: prohibentur quoque jure divino ad ea eligi, seu promoveri, eltque eorum ad hæc promotio jure divino cassanda; & dato validè talem electionem confirmari à Papa, non tamen id fiet licitè, sumitur ex illo 1. *ad Timoth. 3. hæreticum hominem devita*; Officiales autem & Prælati vitari non possunt, nec debent. Pass. *num. 66. & 68.*

4. Respondeo quartò: non est tamen electio hæretici, ejusdémque Electionis confirmatio jure divino nulla; non enim exstat lex divina talis irritans positiva; sed neque divina naturalis; ex quo enim hæreticus characterem baptismalem habet, capax est spiritualis potestatis, tam Ordinis, quàm jurisdictonis; validè enim hæreticus recipit Ordines, & sacerdos hæreticus in causa extremæ necessitatis validè absolvit; adeóque ex jure divino non est irrita collatio talis potestatis, si detur, vel electio ad talem potestatem habendam, si ad eam eligatur. Suar. *de fide. d. 21. s. 5. n. 9. & 14.* Sanch. *loc. cit. c. 9. num. 10.* Sylv. *v. confessor. q. 19. & 20.* Pass. *num. 67. & 68.*

Quæstio 294. *An, & qualiter hæc locum habeant in hæretico converso & occulto?*

1. REspondeo primò: hæreticum publicum, etiam post reconciliationē cum Ecclesia, manere inhabilem ad beneficia & officia. Castrop. *p. 1. d. 4. p. 5. num. 2.* vide Farin. *de hæresi. loc. cit. num. 82. & q. 393. num. 66.* Quin imò idem dicendum de occulto; hæreticus enim occultus per se irregularis est, & inhabilis ad officia & beneficia, à qua irregularitate, & inhabilitate vi præcisè absolutionis non liberatur, sed ad hoc necessaria est specialis dispensatio. Pass. *loc. cit. num. 65.*

2. Respondeo secundò: Electio hæretici purè mentalis, & per se occulti, non solùm non jure divino, sed nec ex jure canon. ipso facto est irrita, cùm talis hæresis sit extra judicium Ecclesiæ, adeóque si confirmetur, est valida. Pass. *num. 69.* ubi tamen prodierit hæresis extra mentem, talis etiam antecedenter electus & confirmatus jure canonico antiquo privatus erat omni jurisdictione. D. Tho. 2. 2. *q. 39. a. 3.* Suar. *de fide loc. cit. num. 12. & 15.* Modò tamen post Constit. Martini V. de qua supra, in hæretico occulto tolerato, licet per accidens simul toleratur quoad alios potestas jurisdictionis; unde absolutio data à tali per se est valida, non secùs ac data ab excommunicato non denunciato. Suar. & Pass. *ll. cit.*

Quæstio 295. *An, quæ dicta sunt in hoc puncto, extendenda quoque sint ad credentes, receptatores, defensores & fautores hæreticorum horum, & illorum filios & nepotes?*

REspondeo affirmativè; sic enim expressè & directè iis omnibus irrogatur pœna illa inhabilitatis ad officia & beneficia Ecclesiastica. *c. quicunque. de hæreticis in 6.* ibi: *hæretici autem, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorúmque filii ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur, quòd si secùs factum, decernimus irritum & inane.* Præterea credentes fautores (secùs est de eorum, uti & hæreticorum filiis) subduntur huic pœnæ indirectè quoque, nimirum ratione excommunicationis, quam incurrunt vi bullæ cœnæ, & *c. excommunicationis. de hæret.* & *c. noverit. de sentent. excomm.*

Quæstio 296. *Quinam hic vocentur credentes, fautores, receptatores, defensores hæreticorum?*

1. REspondeo primò: illos dici credentes hæreticorum, qui in confuso illorum errores credunt, quatenus nimirum credunt eos esse viros bonos, & habere bonam fidem, ad distinctionem illorum, qui distinctè eorum doctrinam amplectuntur. Suar. *de cens. d. 21. s. 1. n. 6.* Sanch. *in decal. l. 2. c. 10. num. 2.* Sa. *v. hæreticus. num. 11.* Ugol. *de cens. p. 2. c. 1.* Pass. *loc. cit. num. 70.*

2. Respondeo secundo: nomine fautorum, receptatorum, defensorum ut condistinctorum à credentibus hæreticorum hic veniunt illi, qui favent hæreticis, qua talibus, seu quia talem doctrinam profitentur, iisque ad eam docendam, propagandam, defendendam hospitium, auxilium, defensionem, similéve quid præstant; quod ipsum facere quis potest ex aliquo interesse suo tanquam fine extrinseco, absque eo, quòd sit credens hæreticorum, adeóq; etiam independenter à tali credulitate falsa, uti etiam independenter ab eo, quod vel hoc ipso suspecti habeantur de hæresi, vel tali errore (suspecti enim tantùm de hæresi non incurrunt pœnas hæreticorum. Garc. *p. 11. c. 20. num. 87.*) subduntur dictæ pœnæ inhabilitatis aliisque. Suar. *loc. cit. num. 4.* Sanch. *loc. cit. num. 4.* Nav. *c. 27. num. 55.* Pass. *num. 71. & 72.* Non verò dictis nominibus veniunt, adeóque nec dictis pœnis subduntur, qui hæreticis ad sustentandam vitam, vel titulo amicitiæ, vel ex alia rationabili causa donant aliquid, vel succurrunt. Pass. *ibid.*

Quæstio 297. *Qualiter hæc ipsa quoad hæreticorum eorúmque credentium fautorum filios & nepotes sint limitanda?*

1. REspondeo: sic esse limitanda. Primò, ut locum in iis non habeant, si Parentes resipuerint Ecclesiæ reconciliati. *c. statutum, de hæret.* Less. *l. 2. c. 34. num. 123.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 4. q. 1. & 2.* Garc. *loc. cit. num. 83.* Peyr. *in præl. q. 2. c. 5. num. 77.* tenétque idem, etiamsi Parentes ante peractam pœnitentiam obierint. Pass. *num. 75.* citans Penam. Tolet. Farinac. Verum tamen

etiamsi parentes post relapsum denuò egerint pœnitentiam, manent tamen eorum filii ineligibiles ad officia publica. Suar. *loc. cit. num.* 3. Peyr. *loc. cit.* Sigism. à Bon. *dub.* 79. *num.* 7. Pass. *num.* 76. citans alios.

2. Secundò, ut dicta inhabilitas extendat se ad secundam generationem solùm in viris, non in fœminis, ita ut patris hæretici ex filio etiam non hæretico filius sit infamis & ineligibilis, non verò ejusdem ex filia non hæretica filius, uti nec matris hæreticæ ex filio non hæretico filius. *cit. c. quicunque*, & *c. statutum.* Sanch. *in sum. l. 2. c.* 27. *num.* 2. Bonac. *de cens. d.* 7. *quæst.* 3. *p.* 7. *num.* 9. Azor. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 13. *quæst.* 8. Less. *loc. cit. num.* 121. Pass. *num.* 74.

3. Tertiò, ut extendatur non nisi ad filios & nepotes parentum, quorum hæresis vel fautoria hæreticorum est notoria notoreitate vel facti vel juris, vel per propriam confessionem factam in judicio, vel per sententiam judicis. Less. *loc. cit. nu.* 121. Peyr. *loc. cit. n.* 8. Sanch. *in decal. l.* 2. *d.* 27. *n.* 28. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *q.* 3. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 43. *s.* 3. *num.* 2. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 10. *nu.* 40. sumitur ex *c. statutum*, ubi requiritur, ut hæretici tales esse probentur; in jure autem illud probatum dicitur, quod aliquo ex dictis modis est notorium. Pass. *n.* 79. Quinimò non extendi ad filios eorum, quorum hæresis quidem notoria notoreitate facti, quia tamen conversati & decesserunt inter hæreticos, infamiam non incurrunt, tenent Sanch. *loc. cit. nu.* 28. Henriq. *l.* 14. *de irregul. c.* 5. *n.* 4. Sa. *V. hæresis. n.* 4. quod tamen reprobat Pass. *n.* 82. citans Suar. eò quòd hæresis semper generet infamiam apud quoscunque bene sentientes, & notoreitas facti non requiratur, ut generans infamiam, sed ut manifestans rem, ita ut exinde censeantur probati hæretici.

4. Quartò, ut non extendatur ad filios suspectorum de hæresi, (nisi fortè ideo suspectorum, quia fautores & receptatores sunt hæreticorum. Pass. *num.* 81. quamvis nec horum filii puniantur, quia eorum parentes suspecti de hæresi, sed quia favent hæresi (cum lex illa pœnalis, puniens in filiis peccatum parentum ultra expressa in lege extendi non debeat. Sanch. *loc. cit. nu.* 29. Farin. *de hæres. q.* 191. *n.* 67. Sigism. à Bon. *dub.* 79. *n.* 4. & alii contra Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *q.* 3.

5. Quintò nec ad eos filios, qui parentes hæreticos denunciant inquisitoribus. Sanch. *loc. cit. nu.* 30. Pass. *n.* 83. citans Simanc. Rojas, Pennam &c.

6. Sextò juxta Pass. *n.* 84. contra Molin. *d.* 658. *n.* 19. Sanch. *loc. cit. n.* 29. Peyr. *loc. cit. nu.* 80. & alios nec ad filios eorum, qui damnati sunt ut hæretici ob solam contumaciam etiam verè ac propriè talem, etiamsi eorum statua combusta sit, citra tamen quod eorum hæresis probata sit in judicio: per hoc enim, quòd tales in judicio Ecclesiæ, & in tribunali S. officii habentur & damnantur pro hæreticis, plus non habetur, quàm quòd suspecti de hæresi contumaces sint præsumptivè, & per fictionem juris hæretici; jam verò tales non sunt unicè & simpliciter hæretici, sed solùm analogicè, & secundùm quid, adeóque in constitutione pœnali, in qua innocentes puniuntur ob delictum alterius, non debet nomen hæretici extendi ad significationem hanc impropriam & analogicam. Præterea licet contumax in jure reputetur confessus, tamen hæc confessio non nocet hæredibus. *l. ejus qui delatorem. ff. de jure fisci.* Bart. *in l. cum filius familias. ff. de verborum oblig.* & sententiâ lata in contumacem neminem infamet. Surdus. *volum.* 2. *cons.* 173. *n.* 100. Nec in crimine læsæ Majestatis pœnæ patris damnati non nocent filiis. Roland. *vol.* 4. *cons.* 29. *n.* 21. & alii, nisi delictum in processu probatum, de quo casu intelligendi, qui id negant. Gigas *tr. de crim. læsæ majest. l.* 3. *tit.* 1. *q.* 13. *n.* 3.

7. Septimò ut dicta inhabilitas non respiciat beneficia filii acquisita, antequam pater incideret in hæresin, vel antequam hæc fieret notoria, saltem notoreitate facti, ita ut iis privati aut privandi non sint post, & propter subsecutam patris hæresin. Abb. & Felin. *in c. vergentis. de hæret.* Covar. *l.* 2. *variar. resol. c.* 8. *num.* 4. Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 76. Suar. *de cens. d.* 43. *s.* 3. *n.* 2. Sanch. *in decal. c.* 28 *n.* 28. citans Lancell. Julium clar. Matt. de Affl. & alios. Pass. *n.* 85. referens plurimos. alios contra Jo. And. *in c. ut commissi. de hæret. in 6to.* Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 77. Lavor. *c.* 16. *nu.* 74. & plures alios citatos à Sanch. dicitur enim *c. quicunque, de filiis hæreticorum; ad beneficia non admittantur*, & *c. statutum*: illi igitur non sunt admittendi ad beneficia, quorum patres probati sunt hæretici, vel in hæresi decessisse. Jam verò beneficiati ante hæresin patrum, cùm non fuerint admittendi, sed admissi tunc, cum non erant hæreticorum filii, non sunt beneficiis tunc adeptis privati, aut privandi. Bullæ autem Pontificum in contrarium citari solitæ intelliguntur juxta communem contextum *in cit. capitibus.* & sic loquuntur semper de beneficiis obtentis post patrum hæresin, cùm enim non exprimant beneficia adepta ante crimen paternum, sed generaliter loquantur de adeptis, generalitas illa intelligi debet de iis beneficiis, quæ contra jus obtenta sunt, qualia sunt quæ post patrum hæresin acquisita sunt. ita ferè ad verbum Pass. *n.* 85. Limitandum tamen hoc ipsum est ita, ut etiam privandi sint beneficiis obtentis ante notoreitatem, seu probationem hæresis paternæ, si beneficium obtinuerint ad preces patris, vel etiam alterius cujuscunque, quem filius & collator sciebant esse hæreticum, licèt id nondum esset notorium, & plus, vel aliud non vult *c. quicunque.* §. *ad hæc.* Suar. *loc. cit. n.* 2. Sanch. *loc. cit. n.* 31. Pass. *n.* 87.

8. Octavò juxta Sanch. *loc. cit.* limitanda sunt dicta, ut non conveniant filiis conceptis ante hæresin paternam, ita ut ii non sint inhabiles ad obtinenda beneficia, nec privandi obtentis, etiam post condemnationem patris: imò juxta Less. *loc. cit.* Bonac. *loc. cit. n.* 10. Simanc. *tit.* 29. *n.* 14. Ledesm. &c. nequidem de filiis natis ante hæresin paternam. Verùm cum jus commune loquatur absolutè & absque distinctione filios hæreticorum, quales & isti sunt, reddat inhabiles; rectius utrumque negant alii. Pass. *num.* 78. & 88. quoad secundum Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 74. Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 79. Barb. *in c.* 15. *de hæred. in 6to.* Covar. *l.* 2. *var. resol. c.* 8. §. 5. Peyr. *loc. cit. n.* 79. Suar. *loc. cit. n.* 2. &c.

Quæstio 298. *Qualiter dicta sint extendenda ratione beneficiorum & officiorum, ad quæ filii hæreticorum, eorundemque fautorum &c. sunt inhabiles?*

1. Respondeo primò: ut nomine beneficiorum etiam veniant pensiones Ecclesiasticæ, & harum quoque dicti filii sint incapaces. Gigas *de pension. q.* 94. *n.* 7. Sanch. *in decal. l.* 2. *c.* 28. *nu.* 36.

Garc.

Garc. *loc. cit. n.* 74. Pass. *n.* 90. dum enim jura loquuntur dicto modo universaliter: *ad nullum beneficium admittantur; quibuscunque beneficiis priventur;* beneficium accipitur latè. Gl. & Gemin. *in c. 2. de hæret. in 6to.* sublata autem acceptione beneficii venit pensio. Gigas *loc. cit. q.* 28. uti etiam, dum ita generaliter de beneficiis loquuntur. Felin. *in c. postulásti. de rescrip. n.* 8. Rebuff. *de pacificis possess. n.* 114. Gigas *q.* 26. *n.* 11. Adeóque hìc dum verba sunt universalia, & de mente legislatoris latè intelligenda, non tenet regula illa: in materia pœnali maximè ob alienum delictum, verba sunt strictissimè accipienda. Pass. *loc. cit.*

2. Secundò ut comprehendatur quoque permutatio beneficiorum, ita ut beneficium ante obtentum, dein post patris crimen permutare dicti filii nequeant, adeóque si id facerent, beneficium proprium amitterent, utpote quod cederet alteri, cum quo permutare volunt (valet enim ex illius parte permutatio) & aliud non acquirerent, cùm absolutè sint incapaces obtinendi beneficium. Sanch. *loc. cit. n.* 33. Pass. *loc. cit.*

3. Tertiò: ut nomine officiorum publicorum etiam veniant officia civilia spectantia ad sæculares (potest enim Ecclesia sæculares, ubi hi ejus præceptis non obediunt, punire, reddendo inhabiles, etiam ad officia sæcularia. Gemin. *in c. 2. de hæret. in 6to.*) ut judicis, consulis, rectoris civitatum aliorúmque locorum quocunque nomine vocentur, Cancellarii, Advocati, Procuratoris Thesaurarii, aliorumque similium, qui nomine publico officium exercent, de quo vide Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 73. Item consiliarii in Congregationibus, & Concilio publico, in quo negotia publica tractantur. Suar. *de fide. d.* 24. *s. ult. n.* 6. Pass. *loc. cit. n.* 92. Item juxta Carenam *p.* 2. *tit. de hæret. num.* 145. Comitis, Marchionis similiúmve dignitatum; unde & juxta illum & Parladorum, si hæ annexæ sint majoratui, non potest in eo filius Catholicus succedere patri hæretico.

4. Ac denique nomine officii publici venire munus eligendi; eò quòd eligere ad publica officia majus sit, quàm exercere munus consiliarii, & eligere ad Prælaturas Ecclesiasticas sit officii publici, utpote conveniens ex jure publico, ex munere commisso à Papa, vel à communitate ad publicum finem, docet Pass. *n.* 93.

Quæstio 299. *An filii hæreticorum eorundémque fautorum sint infames, & vel hinc etiam ad eligendum activè, aliósque actus legitimos sint inhabiles?*

REspondeo: negativè. Suar. *de Cens. d.* 46. *s.* 3. *n.* 2. Sanch. *in decal. l.* 2. *c.* 28. *n.* 5. Sayr. *de Cens. l.* 6. *c.* 10. *n.* 40. Menoch. *vol.* 9. *cons.* 808. *num.* 44. Sigism. à Bon. *de elect. d.* 80. *nu.* 1. Pass. *n.* 95. contra Molin. *d.* 658. *num.* 202. Covar *l.* 2. *var. resol. c.* 8. *n.* 1. *&c.* in jure enim Canonico nullibi lata est pœna infamiæ contra hujusmodi filios. Licèt autem inhabilitas ad beneficia & officia publica sit veluti quædam irregularitas (dico quasi quædam irregularitas; nam neque irregularitas propriè dicta in jure directè infertur contra tales filios, & inhabilitas eorum quoad Ordines non est ratione sanctitatis illorum, sed ut hi sunt officia publica, adeóque non propriè dicta irregularitas. Pass. *n.* 97. citans & concilians Suar. Sanch. Valent. Majol tenentes tales filios esse irregulares cum Tolet. Sayr. & aliis, id negantibus) non autem infamia, ad quam etiam ab irregularitate (utpote quæ plures diversósque quàm irregularitas parit effectus) non tenet consequentia. Pass. *n.* 96.

Quæstio 300. *Specialiter de regularibus, num hi in officio pœnitentiali, hoc est ob delictum ad inquisitionis officium pertinens, pœnitentia aliqua affecti, etiam post peractam pœnitentiam, & postquam in gratiam recepti, inhabiles sint ad Prælaturas Ecclesiasticas & officia religionis suæ, nisi cum eis dispenset Pontifex?*

REspondeo affirmativè: si pœnitentiæ non fuerint tantùm salutares (quales dicuntur, quæ solùm extrajudicialiter imponuntur, & privatim complentur, ut jejunia, cilicia, orationes. Tambur. *de jure Abb. d.* 5. *q.* 21. & quales adhuc censentur, etsi extrajudicialiter jussu inquisitionis à Prælatis regularibus imponantur, & aliàs in religione pro pœnitentiis salutaribus habentur. Pass. *n.* 99.) idque ob decretum Urbani VIII. editum in Congreg. S. officii 1. *Octobris anno* 1626. de quo vide Tambur. & Pass. *ll. cit.* Porrò licèt abjuratio hæresis secundum substantiam non sit pœna, sed potiùs actus & confessio fidei, ratione tamen solennitatis, quam habet ex jure positivo, ut fiat coram judice, Notario, testibus, cum juramento & obligatione & pœnis relapsorum in hæresin post jam ejuratam, est pœna gravis judicialis, diversæ rationis, quàm sint pœnæ salutares. Pass. *nu.* 100. citans Pennam, Canteram, Donat. &c. adeóque talem ad ejurandam taliter hæresin damnatum, etiam de levi reddit ineligibilem. Dian. *p.* 2. *tr.* 8. *resol.* 64. Pass. *num.* 101. Donat. *p.* 3. *tr.* 5. *q.* 23. *&c.* contra Peyr *in præl. q.* 2. *c.* 5. *n.* 92. Rodriq. *to.* 2. *q.* 82. *a.* 2. Excipiuntur tamen suspecti tantùm de hæresi sponte comparentes, abjurantes, etiam de vehementi; eò quòd non indicatur ista abjuratio illis tanquam pœna, nec fiat cum ista solennitate, quâ fit post condemnationem reorum denunciatorum, de quo vide Pass. *n.* 102.

Quæstio 301. *Num Schismaticus (qualis dicitur, qui voluntariè & pertinaciter subtrahit se & separat ab obedientia universalis Ecclesiæ, vel summi Pontificis S. Th. 2. 2. q.* 39. *a.* 1.) *purus (hoc est, non simul infectus hæresi) independenter ab eo quod sit excommunicatus per Bullam cœnæ, vel etiã irregularis (quamvis schismaticum vi schismatis esse irregularem, eò quòd hæc pœna nullibi expressa in jure, rectiùs negent. Suar.* de cens. d. 43. s. 2. n. 7. *Sanch.* in decal. l. 2. c. 36. n. 18. *Sayr. apud Pass.* n. 105. *contra alios cit. à Sanch.*) *sit inhabilis ad omnia beneficia Ecclesiastica?*

REspondeo affirmativè. *c. quia diligentia. de elect.* Host. Imol. Barb. *ibid.* Sanch. & Suar. *ll. cit.* Majol. *de irregul. l.* 5. *c.* 46. Pass. *num.* 103. citans quamplures alios. Uti etiam Episcopus schismaticus inhabilis est ad conferenda beneficia, & talis collatio ipso jure nulla, & universaliter gesta per talem nulla sunt. *cit. c. quia diligent.* vide Pass. *loc. cit.* Porrò in hac irregularitate solus Papa dispensare potest, si schisma non est occultum. *cit. c.*

quia

quia dilig. & *ibi.* Abb. *n.* 7. Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *num.* 161. Sanch. Barb. & alii apud Pass. *loc. cit.* si vero est occultum, etiam Episcopus AA. iidem.

PARAGRAPHVS II.

De Clericatu, SS. Ordinibus, & Professione.

Quæstio 302. *An ad obtinendum viâ electionis, vel alia quacúnque beneficium quodcúnque Ecclesiasticum requiratur Clericatus seu prima tonsura?*

Respondeo affirmativè. *c. cum adeo. de rescrip. ibi.* Abb. *n.* 3. & Felin. *num.* 4. *c. ex literis. de transact.* Garc. *p.* 7. *c.* 1. *n.* 10. Selva. *de benef. p.* 1. *q.* 7. *num.* 8. Paris. *de resign. l.* 4. *q.* 2. *n.* 4. Rebuff. *in praxi tit. de Clericis. n.* 4. Corrad. *in praxi benef. l.* 1. *c.* 5. *n.* 100. Laicus enim est incapax possidendi jura spiritualia. *c. si quis deinceps.* 16. *q.* 7. Non sufficit itaque destinatum esse ad Clericatum iidem AA. & Pass. *cit. c.* 25. *n.* 335. contra Gl. *in c.* 2. *de institut.* sentientem Laicum esse capacem beneficii, si sit alicujus Ecclesiæ conversus, qui incedat tonsuratus, & animi destinatione jam sit Clericus. Nec sufficit aliquem communiter reputatum pro Clerico. Garc. *loc. cit. n.* 12. citans Zech. Paris. *loc. cit.* Pass. *n.* 337.

Quæstio 303. *An igitur collatio beneficii facta alicui, qui tempore collationis non erat actu Clericus, sit ipso jure nulla?*

Respondeo affirmativè: Sixtus V. *in Constit. sua: cùm sacrosanctam* 97. apud Pass. *num.* 338. Neque collatio tali facta per supervenientem Clericatum revalidatur. Corrad. *loc. cit. nu.* 101. citans Mandos. & Garc. cùm habilitas superveniens, actu nullo ex defectu existente tempore actûs, nihil operetur. Paul. de Castro. *in l. si cum dotem. ff. soluto matrim. quem. dos petatur.* Proceditque adeò responsio, ut si post receptam supplicationem & expeditionem literarum in continente, etiam antequam eas obtineat orator, fiat Clericus, collatio adhuc sit nulla. Corrad. *loc. cit. n.* 109. Paris. *loc. cit. n.* 17. Item ut, si Papa conferret beneficium laico tanquam Clerico, nominando illum in literis provisionis Clericum, talis provisio & nominatio jus nullum conferat. Corrad. *loc. cit. n.* 105. citans Boër. *decis.* 171. *nu.* 35. Item ut, si Papa conferat beneficium alicui destinato ad Clericatum nondum Clerico, collatio nulla sit, si in rescripto non fieret hujus tantùm destinationis ad Clericatum mentio his vel similibus verbis: *mandamus provideri, vel conferimus tali, cupienti adscribi militiæ Clericali.* Sanch. *l.* 2. *opusc. dub.* 9. *n.* 3. Abb. *in cit. c. ex literis.* Pass. *n.* 636. Observátque hic Corrad. *loc. cit. n.* 121. contra Mandos. hodiedum non admitti à Dataria Apostolica supplicationes laici, in quibus is asserit se scholarem esse, qui Clericali charactere insigniri cupiat. & *n.* 126. ait: hanc tamen esse praxin, ut si Papa provideri velit Oratori nondum Clerico, non admittat supplicationem sub nomine Oratoris laici, sed is nondum Clericus, nominetur tamen Clericus in supplicatione, quæ postquam fuerit signata, retinetur in officio parvæ datariæ, usque eò, quod apponatur data, interim verò orator fit Clericus, & sic postmodùm habebit datam post Clericatum. Quòd si eodem die, quo apponitur data in supplicatione reperiretur orator Clericatus, nec discerni posset, an data vel Clericatus præcessisset, tunc, quia ubi ad essentiam actus aliquid debet esse priùs altero, si utrúmque reperitur factum eodem die, præsumitur in dubio præcessisse id, quòd pro ipsius actus validitate præcedere debebat. Paris. *cit. q.* 2. *n.* 35. Qualiter autem orator, qui in supplicatione se Clericum falsò dixit, adeóque beneficium etiam à Papa obtinuit nulliter, ex usu datariæ de novo supplicationem formare debeat. Vide apud eundem Corrad. *loc. cit. num.* 134. His tamen non obstantibus, Capellania erecta in beneficium auctoritate Ordinarii conferri poterit infanti ante primam tonsuram; non ut eam possideat tunc titulo beneficii, seu ut beneficium, sed titulo sæculari, usq; dum fiat Clericus, & ex tunc eam teneat ut beneficium, si fundator sic disposuerit, exprimendo eam dari posse puero ante primam tonsurâ titulo sæculari: nam ubi simpliciter tantùm disposuisset dari eam posse puero ante primam tonsuram, intelligeretur de Capellania ut beneficio, adeóque non valeret talis dispositio. Garc. *1. p. c.* 2. *n.* 31.

Quæstio 304. *Num igitur Papa etiam laico mansuro laico conferre possit beneficium Ecclesiasticum?*

Respondeo affirmativè. Felin. *in c. causam. de præscrip. num.* 6. Abb. *in c. quòd DEI timorem. de statu Monach.* Corrad. *lo. cit. num.* 135. Paris. *loc. cit. num.* 32. & Canonistæ communiter *in c. Joannes. de Clericis conjugat.* Et sic de facto Rex Galliæ est Canonicus in Ecclesia S. Hilarii Pictavii. idémq; privilegium habent familiæ quædam principales aliæ, de quo vide Corrad. *num.* 138. *& seq.* Barb. *de potest. Episc. alleg.* 72. *n.* 75. quanquam dicat Garc. *loc. cit. num.* 29. quòd dum ex privilegio principali conceditur laico beneficium, illud efficiatur quid sæculare in mera temporalitate percipiendi fructus consistens; sic quoque ex privilegio Apostolico fœmina incapax Clericatus, obtinere potest beneficium. Corrad. *loc. cit. n.* 141.

Quæstio 305. *An etiam præsentatio (quæ tunc censetur fieri, quando literæ præsentationis traduntur Ordinario) alicujus tunc actu non Clerici sit ipso jure nulla, etsi in continenti post fiat Clericus?*

Respondeo affirmativè. Lambert. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 7. *a.* 2. *num.* 15. Corrad. *num.* 110. Hojed. *de incompat. benef. p.* 1. *c. ult. n.* 71. Pass. *n.* 339. Non tamen requiritur Clericatus tempore nominationis, sive dum conficiuntur dictæ literæ. Lamb. *loc. cit. q.* 4. *a.* 16. Pass. *loc. cit.* citans plures alios; sed &, dum præsentatur quis non absolutè, sed præsentans dicit: *præsento talem de proximo clericandum:* vel *præsento talem, & peto illum ordinari prima tonsura*; sufficit, ut sit Clericus intra tempus concessum patrono ad præsentandum, quia ex eo modo præsentandi satis colligitur, quòd saltem virtualiter præsentetur in tempus, & pro tempore, in quo præsentatus sit Clericus. Pass. *loc. cit. n.* 340. Garc. *p.* 7. *c.* 1. *num.* 28. & 29. Quin imò, si intra tempus

ad

ad præsentandum concessum clericandus præsentetur absolutè, absque tamen eo, quòd præsentetur ut factus Clericus, deberet hoc ipsum (nimirum quòd præsentetur in tempus, quo fit Clericus, subintelligi & præsumi, cùm quisque præsumatur agere validè & non inutiliter. Pass. *loc. cit.* citans Paris. *l.* 4. *q.* 2. *n.* 6.

Quæstio 306. *Num quoque electio actu non Clerici sit ipso jure nulla?*

REspondeo affirmativè: eò quòd laicus, ut dictum, incapax sit omnis juris spiritualis, quale nascitur electo etiam per electionem, adeóque postulari possit, non eligi. Quin etiam non tenet electione, quod modo dictum, de præsentatione, quia per electionem de præsente datur electo jus, & electio nequit esse conditionata tali conditione, ut electus fiat Clericus. Sed neque in exemplum trahi possunt electiones quædam factæ ex speciali instinctu Spiritûs sancti, puta S. Nicolai, S. Ambrosii, &c. Pass. *num.* 341. contra Felin. *ad c. super his. de accus. num.* 16. Barb. *ad c. massana. de elect. num.* 3. sentientes posse laicum sanctitate præcellentem eligi in Episcopum; eò quòd non eligatur, ut præsit, nisi fiat Clericus, & laicus consentiens electioni non acquirat jus, priusquam consenserit in Clericatum.

Quæstio 307. *An dicta de nullitate collationis, præsentationis, electionis locum quoque habeant in Clericis conjugatis (intellige in Ecclesia latina, seu non viventibus ritu Græcorum) vel etiam carentibus executione Clericatûs, seu quibus Clericatus collatus nulliter quoad executionem, v. g. ordinatis ab alieno Episcopo sine dimissoriis?*

1. REspondeo ad primum affirmativè. *c. sanè. c. quod à te. de Clericis conjugat.* Garc. *p.* 5. *c.* 8. *num.* 3. Sanch *de matrim. l.* 7. *d.* 46. *num.* 14. Corrad. *num.* 131. citans plures alios; Clericus enim conjugatus reputatur in omnibus tanquam laicus, præterquam in privilegio canonis: *si quis suadente.* & in privilegio fori Ecclesiastici in criminalibus. *c. unico de Cler. conjugat. in* 6. Porrò cum tali, nequidem in ordine ad simplex beneficium dispensare potest Episcopus. Selva. *de benef. p* 1. *q.* 7. *n.* 17. Hojeda *de incompat. benef. p.* 1. *c.* 24. *num.* 77. Corrad. *loc. cit. num.* 117.

2. Respondeo ad secundum quoque affirmativè. Corrad. *n.* 147. *& seq.* Boërius *decis.* 171. *n.* 26. cùm paria sint ad effectum obtinendi beneficii, non esse, & esse, & non habere administrationem, seu non habere characterem, & habere illum tali modo, ut careat executione, quia tunc est quasi non esset. Boër. *loc. cit.* Carol. de Grassis. *de effect. Clericatûs eff.* 15. *num.* 28. ubi & vide plures alios, in quibus Clericus efficitur beneficii incapax. Porrò licèt in casu istiusmodi malæ collationis Clericatûs possit ea ab Episcopo proprio ratificari, & sic in taliter Clericato tolli dicta inhabilitas. Paris. *loc. cit. num.* 66. necesse tamen est, ut ea ratificatio fiat prius, & sic malè Clericato conferatur beneficium, alioqui ipsa collatio adhuc erit nulla. Franc. *in c. si eo tempore. de rescrip. in* 6. *num.* 8. Etsi interea idem beneficium conferatur alteri, ratihabitio ista seroveniens non operatur, aut retrotrahitur in præjudicium tertii impetrantis. Paris. *loc. cit.* apud Corrad. *num.* 150.

Quæstio 308. *Num dicta de inhabilitate non Clerici ad obtinenda beneficia Ecclesiastica locum quoque habeant quoad pensiones super fructibus beneficii?*

REspondeo affirmativè. Lotter. *de benef. l.* 1. *q.* 40. *n.* 121. Corrad. *loc. cit. num* 156. Ugol. *de potest. Episc. c.* 50. §. 1. *n.* 2. Tusc. *l. B. concl.* 56. contra Abb. & alios. *ad cap. audientiam. de rescrip.* Licet enim pensio in rigore non sit beneficium Ecclesiasticum. Selva *loc. cit. q.* 3. *nu.* 11. differátque ab eo in pluribus, de quo vide Paris. *l.* 2. *q.* 15. Licet etiam de jure communi laicus sit capax pensionis. Gigas *de pension. q.* 21. & alii; hodiedum tamen ex diuturna Curiæ Romanæ praxi & stylo receptum, ut pensiones tales non nisi primâ tonsurâ insignitis constitui possint, AA. iidem pro responsione citati. Nec dataria Apostolica in praxi admittere consuevit pensionum reservationes, nisi pro Clericis beneficiorum capacibus, ac proinde dictus stylus & praxis servatur pro lege. Corrad. *num.* 163. citans plures alios. Ita etiam, ut, si pensionarius tempore reservationis pensionis sit laicus, reservatio sit nulla. Corrad. *n.* 165. citans decisiones Rotæ, *Ro. p.* 3. *l.* 3. *divers.* item *num.* 70. Confirmantur hæc ex eo, quòd Less. *de just. l.* 2. *c.* 35. *n.* 29. dicat, pensionem esse rem spiritualem tanquam beneficium quoddam, & hodie Rota teneat, quòd pensio non sit res profana. Paris. *loc. cit. q.* 4. *n.* 54. eò quòd hodiedum ex moru proprio Pii V. habeat annexum onus spirituale, nempe recitandi quotidie officium B. Virginis; de quo tamen vide dicenda in contrarium 3. p. ubi de resignatione sub reservatione pensionis. Item quòd quoad privilegium fori pensionarius veniat appellatione beneficiati. Sperel. *in decis. fori Eccl. decis.* 65. *num.* 24. Porrò idem de reservatione fructuum loco pensionis dicendum, nimirum hos non constitui nisi Clericis. de quo vide Corrad. *n.* 167. *& seq.* uti & de hac materia pensionum competentium nonnisi Clericis.

Quæstio 309. *An, & qualiter in impetratione beneficii exprimendus sit Clericatûs?*

REspondeo: tametsi olim satis erat implicitè narrare qualitatem Clericatûs, & non narrata includebatur sub clausula: *si idoneus sit: c. cùm adeo. de rescrip.* modò tamen positivè & explicitè ex stylo Curiæ est exprimenda. Lott. *l.* 3. *q.* 35. *num.* 1. & 2. citans Abb. Jo. Andr. Imol. & alios passim *in cit. c. cùm adeò.* Neque aliter hodie signatur supplicatio, & signata per officiales relaxatur. Lott. *ibid. n.* 3. citans Paris. *de resignat. l.* 4. *q.* 2. *n.* 9. Et si literæ exhiberentur expressæ sine hac narrativa, utique velut contra stylum extortæ, suspectæ essent de falso. Lott. *nu.* 4. citans Rebuff. *ad reg. constit. tom.* 3. *de consuet. a.* 7. *gl* 13. *nu.* 347. Porrò observandum, nomen Clerici sumptum in genere generalissimo, prout suadet ratio nominis (utpote deductum à verbo κλῆρος, quod sortem significat) sumitur pro electo in sortem Domini, id est, pro addicto servitio Ecclesiæ; non solùm capit ordinatum sacramento Ordinis, aut prima tonsura, sed etiam qui citra ordinem aliquem est mancipatus Ecclesiæ, adeóque omnes omnino Ecclesiasticas personas juxta *c. cum non ab homine.* & Abb. *ibi n.* 2. Dec. *n.* 8. Alciat. *n.* 8. Lott. *loc. cit. n.* 12. Unde si laicus conversus aut Miles Hierosolymitanus, nequidem

quidem habens primam tonsuram, nuncupavit se Clericum pro obtinenda pensione Ecclesiastica, non poterit redargui de mendacio, quia hi omnes largo modo sunt Clerici ex mente juris) quatenus ab eo non habentur pro merè laicis. Lott. *nu.* 14. Sumptum verò hoc nomen in genere subalterno pro electo quidem in sortem Domini, sed ordinato, non egreditur proprias species, adeóque non capit simplices Monachos & conversos, & juxta proprietatem generis complectitur omnes proprias species qualitercunque ordinatorum sive initiatorum primâ tonsurâ, sive etiam minoribus sivè majoribus, ad Episcopatum usque Lott. *num.* 15. *&* 16.

Quæstio 310. *Num ad hoc, ut eligi quis possit in superiorem regularem, requiratur Clericatus?*

REspondeo negativè, loquendo nimirum per se. Pass. *c.* 25. *n.* 344. ex natura enim rei, & per se simpliciter ad regimen religiosum, & regulare non est necessaria in superiore potestas jurisdictionis (quæ est potestas de publico, introducta dicendi jus, sententiandi, statuendique quod æquum est, ligandi, solvendi, puniendi in foro contentioso &c.) sed sufficit potestas dominativa spiritualis & paterna, quæ competit superioribus regularibus ex voto obedientiæ supra subditos suos, ut eos secundùm regulam dirigant in vitam æternam. Pass. *loc. cit.* patéque idipsum, non tantùm in Abbatissis, aliisque antistitibus Monialium, quæ licèt sufficientem potestatem gubernativam velut maternam habeant, carent tamen jurisdictione spirituali propriè tali. D. Th. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 1. Suar. *to.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Sed & in Abbatibus antiquorum Monachorum, Antonio, Hilario &c. qui non erant Clerici. sumitur ex *Epist. D. Hieron. ad Eliod. &* 4. *ad Rusticum*, quæ referuntur *dist.* 16. *q.* 1.

Quæstio 311. *Num ad officia, beneficia, dignitates habentes annexũ sacrum ordinem, eligi, aut aliter promoveri possint, non habentes actu tempore electionis vel promotionis dictum ordinem?*

REspondeo affirmativè: per se nimirum loquendo, & ubi simpliciter solùm annexus est Ordo, sive, ut ait Lott. *l.* 2. *q.* 47. *n.* 13. ubi annexus est Ordo per necessariam quandam consequentiam, & non qualificativè ad personam promovendam de ipso promotionis tempore veluti si simpliciter dispositum, ut beneficiũ sit sacerdotale, qualia ferè sunt, quibus jure communi Ordo annectitur, quia ista annexio intelligitur habitu, non actu, & ita annexa est potiùs obligatio suscipiendi Ordinem, sufficitque proinde electum vel promotum ad ea, intra tempus sibi à jure statutum initiari Ordine requisito, sumitur ex *c. cum in cunctis. de elect. & clem.* 2. *t. eod.* Conrad. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 84. cum communi. Ac ita de Canonicatibus, & dignitatibus statuit Trid. *sess.* 24. *c.* 12. Idem est dum ex statuto, consuetudine, vel privilegio requiritur presbyteratus simpliciter. Conrad. *loc. cit. num.* 85. Secùs tamen est, & non sufficit sola aptitudo v. g. ætas ad Ordinem necessaria, sed requiritur ipse Ordo habitus actu tempore promotionis, ubi à jure, vel ubi ex speciali statuto, consuetudine, vel etiam ordinatione fundatoris ad hoc vel illud beneficium requiritur Ordo actu tempore provisionis habitus: dum nimirum hoc exprimatur jure, statuto vel fundatore dicente v. g. *conferatur beneficium habenti talem Ordinem*: vel: *non conferatur, nisi habenti talem Ordinem*, ut Lott. *n.* 7. cùm qualitas juncta verbo debet intervenire tempore verbi, id est in ipso actûs initio. Lott. *n.* 11. *&* 12. ex Cardin. *ad c. perpendimus. de sent. excommunicat. n.* 7. & Gonet. *decis.* 72. *in principio. l.* 1. vel adjectum est aliquid, unde id colligatur v. g. dum dicitur: *præsentetur sacerdos, vel promoveatur Capellanus*, qui missas celebret; vel habetur in fundatione, quòd non possint missæ celebrari, aut sacerdotalia officia exerceri per substitutum. Conrad. *loc. cit. nu.* 89. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancel. Gl.* 5. *n.* 101.) Lott. *n.* 10. citans Gonz. *ad reg.* 8. *Gl.* 5. *n.* 105. Paris. *cons.* 50. *n.* 12. *l.* 4. Lamb. *de jurep. l.* 2. *p.* 1. *q.* 2. *a.* 22. *n.* 8. *&* 29. & plures alios.

Quæstio 312. *Circa annexionem illam Ordinis ad beneficium, sive ea sit aptitudine, sive actu, quid attendatur, sive unde ea dignoscatur?*

1. REspondeo primò: dum ea annexio dicitur esse ex consuetudine, attendendum est, num præcesserit prohibitio cùm tempore habili ad prohibendum, nisi enim ea præcesserit, consuetudo talis induci nequit. Lott. *cit. q.* 47. *n.* 27. citans Surdum *cons.* 127. *n.* 21. Unde ex eo solùm, quòd beneficium supponatur semper collatum sacerdoti, dici non potest sacerdotale. Lott. *num.* 28. citans Geminian. *in c. cum de beneficio. de præbend. in* 6to. *num.* 2.

2. Respondeo secundò: dum ea annexio dicitur esse ex statuto aliove jure, aut privilegio, quod scripto constat, nihil aliud attenditur, quàm ipsius tenor, & secundùm illum judicatur, an & qualiter Ordo annexus. Lott. *n.* 29. ex Probo *ad Monach. in c. is, cui. n.* 44. qui tenor si dubius est, explicatur ab observantia. Lott. *n.* 30. citans Paris. *l.* 4. *cons.* 20. *n.* 19. Gonz. *ubi ante n.* 86. si verò est clarus, statur verbis, & non attenditur quid prius fuerit servatum, est enim regula: ubi verba sunt clara, & sensus manifestus, cessat omnis interpretatio juxta *l. continens. de verb. obligat.* ac proinde frustra allegatur observantia, ut Rota *decis.* 136. *nu.* 10. *&* 12. *p.* 1. *recent.* Lott. *n.* 31. *& seq.*

3. Respondeo tertiò: nihil attentiùs considerari oportere quàm proprietatem vocis expressivæ qualitatis Ordinis secundum verisimilem disponentis mentem. Lott. *n.* 51. unde licèt nulla videatur facienda differentia inter has voces: *Sacerdos* & *presbyter*, nisi quoad verbalem eorum derivationem, dum *sacerdos* à sacrificando dicitur, *presbyter* autem vox græca seniorem significet, ex quo SS. Canones senium seu senioratum illum ad ipsam sacerdotalem dignitatem ttanstulerunt, vox hæc *presbyter* veram & propriam Ordinis sacerdotalis significationem suscepit, dictusque est presbyteratus Ordo ad distinctionem duorum Ordinum inferiorum diaconatus & subdiaconatus tam apud Canonum conditores, quàm legum profanarum latores. Lott. *à n.* 52.) Nihilominus si dispositio facta fuit in loco ubi quilibet, etiam Ordinum inferiorum clerici, vocari solent *presbyteri* (cùm interpretatio verborum potiùs facienda sit secundùm sensum vulgarem, & communem usum loquendi, ut Felin. *in proœm. decretalium. à n.* 5.)

vox

vox dicta *presbyter* non debet sumi adeò tenaciter secundùm proprietatem latini sermonis, quin admittat etiam interpretationem secundùm sensum vulgarem ex aliqua circumstantia, v. g. si dispositio non sermone latino, sed vulgari concepta esset, & maximè, si ageretur de fundatione facta ab homine idiota: seu vulgarem, cùm verba intelligantur secundùm qualitatē proferentis personæ, ut Surd. *cons.* 140. *n.* 25. *&* 81. juxta. *l. plenum. ff. de usu & habitat.* Item si beneficium sit simplex, vel hæc vox alternata cum alia generaliori v. g. cum *to Capellanus*. Item si concurreret observantia, quia fuissent quandoque etiam admissi Clerici inferiorum Ordinum. Lott. *à num.* 55. C. Luca. *de benef. d.* 61. *n.* 11. Nisi tamen probetur communis ille sensus vulgi, non potest recedi à potentiori significatu hujus vocis, etiamsi concurreret observantia in contrarium; quia hæc non attenditur, ut dictum, ubi verba non sunt dubia, maximè, si agitur de beneficio fundato per laicum, contra cujus leges nequidem Papa intelligitur velle providere. Lott. *n.* 62.

4. Respondeo quartò: attendendum, an termino significativo certi ordinis adjectus sit alter terminus æquivocus per copulam, vel potiùs per disjunctionem, seu alternativam, nam in primo casu terminus æquivocus explicatur per terminum univocum: in secundo verò terminus æquivocus servat regulam alternativæ, ut sufficiat nempe alterutrum verificari. Lott. *loc. cit. num.* 71. v. g. si jussum fuit præsentari sacerdotem & altaristam, cùm nihil sit, quin nomen *altaristæ* conveniat etiam sacerdoti, tanquam principaliori altaris ministro, utraque vox reputabitur pro eodem, & erunt synonyma. si autem jussum fuit præsentari sacerdotem vel altaristam, servabitur dicta regula alteruativorum, ut in simili casu, dum jussum fuit præsentari presbyterum aut Capellanum, censuit Rota *in Lucana Capellaniæ.* 17. *Decemb.* 1593. Lott. *n.* 72. *&* 73. Cum enim diaconus, & subdiaconus dicantur ministri in altari, ut Host. Butr. Abb. *in c. 1. ne Clerici vel Monachi.* Lott. *n.* 74. Quinimo propriè & in potentiore significatione subdiaconus dicatur minister altaris, non autem diaconus vel presbyter juxta. *c. tribus. de consecrat. dist.* 2. & Archd. & Bellam. *ibi.* Lott. *n.* 75. & quemadmodum vox illa *altare*, non semper sumitur pro altari materiali ad sacrificandum instructo, sed aliquando pro ipsa Ecclesia, seu titulo beneficiali, ut *c. si quis il. 1mo 16. q.* 1. Lamb. *de jurep. l.* 1. *p.* 2. *q.* 11. *a.* 9. *n.* 9. & Lott. *l.* 1. *q.* 30. *n.* 9. ita ejus derivatum *altaristæ* in hac materia debet potiùs exponi pro simplici Rectore altaris, id est, beneficii, quàm pro ministro domini in altari. Lott. *cit q.* 47. *n.* 77. atque ita vox ista *altaristæ*, si per se sola fuerit posita, vel addita alteri termino per alternativam, seu sub disjunctione, non sumitur aliter, quàm vox illa *Capellanus*, cujus significatio potest pertinere ad quemcunque Clericum beneficiatum, etiam primæ tonsuræ. Lott. *n.* 78. citans Boich. *in c. super in ordinata. de præbend. n.* 6. Idem tradit de Luca *de beneficiis. d.* 61. *n.* 7 8. *&* 9. dum dicitur: *præsentetur presbyter vel Clericus*: ait tamen, quòd saltem dicta alternativa posita inter presbyterum & Clericum inducat prælationem presbyteri, seu sacerdotis præ Clerico. vide plura de his dicta alibi, ubi de Capellaniis, quandonam hæ sint dicendæ sacerdotales.

5. Respondeo quintò: dum per statutum seu jus aliquod speciale aut fundatorem dispositum est, ut qui obtinet præbendam, teneatur fieri sacerdos, aliàs non faciat fructus suos; præbenda non dicitur sacerdotalis, nec actu nec aptitudine simpliciter, id est per annexionem Ordinis; adeò ut nec hoc casu requiratur vel ætas in promovendo, sed solùm dicetur sacerdotalis secundum quid, id est causativè propter fructus, ut in simili dicitur de residentia causativa, quæ est adjecta propter fructus, & distinguitur à residentia præcisa, quæ separari nequit à beneficio. Lott. *l.* 2. *q.* 47. *n.* 48. Unde qui tali beneficio seu præbenda est provisus, licet possit etiam præcisè cogi ad suscipiendum Ordinem pro utilitate, & necessitate Ecclesiæ, ut Abb. *in c. cum in cunctis. de elect. n.* 10. & Rota (sub verbo tamen *forte*) *in Tridentina Canonicatûs* 21. *April.* 1608. Lott. *nu.* 49. interim tamen non dicetur beneficium sacerdotale, cùm à persona retento beneficio detur separatio Ordinis, ita ut in solis fructibus jacturam sentiat. Lott. *n.* 50. citans Gemin. *in c. ei cui. de præbend. in* 6. *n.* 12. & Rotam in *cit. Trident. Canonic.*

6. Respondeo sextò: cùm Canonicatus sit & considerari possit tanquam diversum quid à præbenda. Lott. *cit. q.* 47. *n.* 40. juxta Gl. *in c. M. Ferrariens. V. receperint. de constit.* & quandoque etiam ab ea separetur, possitque esse Canonicus sine præbenda. Abb. *in cit. c. M. Ferrariens.* etsi econtrà præbenda esse nequeat sine Canonicatu, cùm perpetuò sit ad Canonicatum accessoria. Lott. *n.* 46. juxta AA. passim. *in cit. c. M. Ferrariens.* Possitque etiam Ordo esse annexus uni, & non alteri, ac proinde non valeat illatio, præbenda est sacerdotalis, diaconalis vel subdiaconalis, ergo etiam Canonicatus est sacerdotalis, diaconalis, vel subdiaconalis; vel etiam utrique, nempe & præbendæ, & Canonicatui. Lott. *num.* 40. citans Jo. And. Lap. Butr. Gemin. Franc. *in cit. c. ei cui.* attendendum est, cuinam facta sit Ordinis annexio. Pro quo duo sunt casus distinguendi, primus quando præbenda & Canonicatus prorsus inseparabiles sunt propter perpetuam annexionem constitutivam unius individui, de quo vide Lott. *l.* 1. *q.* 19. *n.* 22. & in hoc casu cùm non possit unum sine altero obtineri, non jure accessorii, sed jure connexionis, consequitur, quod si per statutum, aut aliud jus singulare Ordo sit annexus uni, censeatur etiam annexus alteri. hinc si supponatur annexionem esse factam præbendæ, & quis sibi provideri faciat de Canonicatu & præbenda, nec habuerit ordinem actu, vel aptitudine, prout requirit statutum, provisio sit nulla. Et econtra sequitur, si idem provisus narret Canonicatum & præbendam esse presbyterales, diaconales &c. eò ipso hanc narrativam justificet, quod doceat de hujusmodi annexione perpetua, quia tum narrativa de Canonicatu, cui in specie non est facta hæc annexio Ordinis, sustinetur, dum in specie præbendæ facta est ista annexio, quia hæc connexio censetur facta in ordine ad alterum, cui annexus est Ordo. Lott. *n.* 44. Alter casus dum præbenda & Canonicatus non sunt connexa connexione perpetuâ, & in hoc casu, si quis impetravit utrumque tanquam eodem ordine qualificatum, v. g. utpote sacerdotale, tenetur qualitatem hanc probare respectu utriusque. Lott. *n.* 45. Porrò dum provisus quis de Canonicatu & præbenda non habet Ordinem, nec actu, nec habitu, sustineri potest provisio in Canonicatu, dum ei annexus non est Ordo, sed præbendæ tantùm,

non tamen sustineri potest provisio respectu præbendæ, si ei annexus non est Ordo, sed Canonicatui tantùm, eò quòd, ut dictum, esse quis possit Canonicus sine præbenda, non tamen præbendatus sine Canonicatu, cùm licèt præbenda non sit annexa annexione perpetua, perpetuò tamen sit ad Canonicatum accessoria. Lott. *n.* 46.

7. Respondeo denique: dum annectitur certus Ordo actu aut habitu presbyteratus, aut diaconatus, aut subdiaconatus dignitatibus & præbendis omnibus alicujus Collegii, absque eo quòd determinetur, quædam præbendæ debeant esse presbyterales, quæ diaconales, quæ subdiaconales (uti reipsa Trident. *sess* 24. *n.* 12. constituit, ut in omnibus Cathedralibus omnes Canonicatus & præbendæ habeant annexum Ordinem presbyterii, vel diaconatûs vel subdiaconatûs, Episcopis relicto, ut cum consensu Capituli determinent, quibus quisque Ordo imposterum annexus esse debeat) Episcopus autem cunctetur in tali distributione facienda, licet dici & determinari nequeat, quod uni magis quàm alteri præbendæ, hic potiùs quàm alius Ordo sit annexus; dicendum tamen unicuique in genere esse annexum sacrum Ordinem, adeóque qui provisus fuerit de aliqua ex his præbenda, debeat esse ad minimùm subdiaconus actu, aut saltem habere ætatem requisitam ad subdiaconatum, quamvis enim videri possit annexio presbyteratus vel diaconatus aliquo modo remota à singulis præbendis, annexio tamen subdiaconatûs videtur omnino proxima singulis, etiam respectu istius distributionis, faciendæ per Episcopum, cùm esse non possit, quin ei præbendæ ad minimùm annectatur subdiaconatus. Lott. *n.* 83. citans Hojed. *de benef. compat. p.* 1. *c.* 24. *n.* 16. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 5. *q.* 5. Less. *de justit. c.* 34. *n.* 109. Garc. *p.* 7. *c.* 4. *n.* 28. ubi refert, sic pluries declarâsse S. Congregationem.

Quæstio 313. *Quis dispensare possit, dum actu à fundatore requiritur sacerdotium?*

Respondeo: in hoc casu, nequidem de consensu Patroni, & nequidem pro una vice dispensare potest Episcopus argumento Trident. *sess* 25. *c.* 1. *de reformat.* Corrad. *loc. cit. n.* 145. Garc. *p.* 7. *c.* 1. referens plures hac de re declarationes S. Congregat. & decisiones Rotæ. Sed neque dum ipse Papa providet de tali beneficio, derogatur tali fundatoris voluntati, vi clausulæ: *non obstantibus*: adjici solitæ; sicut per eam derogatur tali qualitati requisitæ ex speciali statuto alicujus Ecclesiæ. Corrad. *loc. cit. n.* 96. contra Gonz. *loc. cit. n.* 106. ubi etiam ait in praxi Romanæ Curiæ, datariæ, & Cancellariæ non derogari tali fundationi per prædictam clausulam, nisi fundationis talis fiat expressa mentio, etiam dum conceditur gratia ex motu proprio. Et etiamsi fundator expresè non addiderit in fundatione, non sufficere promovendum esse in ætate sufficiente ad suscipiendum sacerdotium. Sunt tamen hæc intelligenda de fundatore laico; nam per dictam clausulam: *non obstantibus*, vel *motu proprio*: derogari à Papa constitutioni tali factæ à fundatore Clerico negari nequit. Corrad. *num.* 103. citans Vivian. *in praxi jurispatron. l.* 14. *c.* 3. *n.* 16. & 127. Quòd si verò dixisset fundator: *volo, ut obtinens Capellaniam dicat septimanatim tot missas* (vel etiam juxta Felin. *in c. cùm omnes. de constitut. n.* 2. *volo, ut Ecclesia conferatur uni, qui quotidie in ea celebret*) non rectè arguetur inde, requisivisse illum in promovendo ad talem Capellaniam, vel Ecclesiam actu sacerdotium; potest enim isti oneri satisfieri tunc adhuc per alium; cùm verbum illud *celebret* non respiciat actum celebrationis faciendæ præcisè per ipsum Capellanum; sed tantùm denotet onus impositum isti Capellæ, ut obtinens illam, faciat in ea celebrari per se vel per alium; & satis censeatur provisum voluntati fundatoris, si promotus per alium divina celebrari faciat, nisi expresè caverit, ut per se ipsum id agat. Gonz. *loc. cit. Gl.* 5. *n.* 76. Lapus. *alleg.* 35. *n.* 2. Corrad. *lo. cit. num.* 112. & *seq.* Secùs iterum esset, & requiritur actu sacerdotium si dixisset fundator laicus (contrarium tamen est si idé dixisset fundator Ecclesiasticus, & esset personatus, sufficeret enim tunc sacerdotium habitu) *promoveatur ad Capellaniam sacerdos, qui celebret*; vel *eligatur persona idonea ad celebrandum.* Corrad. *ibid. n.* 117. & *seq.* citans plures decisiones Rotæ. Vide de hoc fusè agentem. Garc. *p.* 7. *c.* 1.

Quæstio 314. *An & quis Ordo sacer actu habitus requiratur, & sufficiat, ut quis eligi vel promoveri possit in Episcopum?*

Respondeo: subdiaconatus sumitur ex *c. à multis. de ætate & qualit. præsic.* cùm enim quod jam antiquitùs ex decreto Urbani I. ad hoc requirebatur & sufficiebat, ut habetur *c. ult. d.* 60. nimirum constitutum esse in Ordinibus sacris (adeóque tunc, cùm subdiaconatus erat necdum Ordo sacer, eligi non poterat in Episcopum, nisi ad minimum diaconus) modò, postquam jam subdiaconatus per annexum ei votum castitatis annumeratus est Ordinibus sacris, invariatum maneat, hic Ordo sufficiet. Castrop. *p.* 2. *tr.* 13. *d.* 4. *n.* 2. Ugol. *de potest. Ep. c.* 1. §. 2. *n.* 1. Pass. *c.* 25. *n* 352. Pirh. *ad tit. de ætat. & qual. præs. n.* 36. contra Barb. ad cit. *sess.* 22. *c.* 2 *n.* 2. & *de off. Ep. alleg.* 1. *n* 37. Lavor. & Campanil. apud Pass. putantes requiri sacerdotium, eò quòd Greg XIV. in *Constit. sua. onus Apostolicæ.* dicat in plurali. *sacris Ordinibus.* Quòd ipsum enim constitutum esse in Ordinibus accipiendum non esse collectivè, ita ut omnibus ordinibus initiatus esse debeat, patet ex eo, quòd pari modo Urban. I. loquatur in plurali. Requiritur præterea à Trident. *sess.* 22. *c.* 2. ut eligendus in Episcopum, priusquam eligatur jam sex mensibus fuerit in Ordine sacro. Porrò electionem non subdiaconi in Episcopum, Pass. *n.* 353. censet esse jure irritandam, non ipso jure irritam; eò quòd neque *cit. c. à multis*, neque decretum Trid. habeat adjunctum decretum irritans.

Quæstio 315. *An & quo tempore suscipiendi sacerdotii obligatio annectatur Episcopatui?*

Respondeo: cùm electus Episcopus teneatur consecrationem recipere intra tres menses. *c. quoniam. d.* 70. sub pœna privationis fructuum perceptorum, quin & sub pœna privationis Episcopatus ipso facto incurrenda, si per alios tres menses eam neglexerit. Trid. *sess* 23. *c.* 2. non possit autem Episcopus consecrari, quin antecedenter sit sacerdos. Gl. *in c. unic. de Clericis per saltum prom.* Suar. *de cens. p.* 31. *s.* 1. *n.* 53. Azor *p.* 2. *l.* 2. *c* 30. *q.* 9. &c. contra quosdam cit. à Barb. *ad cit l. Trident.* tenebitur electus fieri sacerdos intra tres menses. Pass. *n.* 354. ducendo hujus trimestris initium à die confirmationis. Gl. *in c. cùm in cunctis. de elect. V.*

tempore

tempore. Pass. *loc. cit.* vel si negligens fuit in procuranda confirmatione, à tempore, quo post electionem per eum stetit, quo minùs confirmaretur. AA. iidem.

Quæstio 316. *An & quis Ordo sacer requiratur in promovendo ad dignitates, & Prælaturas Ecclesiasticas alias Episcopatu inferiores tam sæculares quam regulares, aut etiam beneficia, quibus cura animarum incumbit?*

REspondeo: sacerdotium, non quidem actu habitum, sed vi electionis acceptatæ suscipiendum infra tempus à jure statutum, sumitur ex *c. 1. de ætat. & qualit. præficiend.* ubi statuitur, si tales presbyteri non sint, fiant. Abb. *ibid.* Suar. *to.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 2. Sanch. *opusc. l.* 2. *c.* 2. *dub.* 22. *n.* 1. cum communi, sed neque de jure communi requiritur actu habitus subdiaconatus; nam *capiti præterea. de ætat. & qualit. præf.* ubi id requirebatur, derogatum est jure novo, nempe per *c. si pro Clericis. de præb. in 6to.* Verùmque id est non tantùm, ubi quis tale beneficium impetrat à Papa, vel etiam via præsentationis, sed etiam via electionis. Franc. *in cit. c. si pro Clericis. n.* 5. Pirh. *ad tit. de ætat. & qualit. n.* 42. Quin & sufficit actu habita prima tonsura absque minoribus, modò sit talis ætas, ut promotus, etiam via electionis, ut intra annum fieri possit sacerdos. Garc. *p.* 7. *c.* 4. *n.* 44. Rebuff. *in praxi tit. requisita ad benef. collat. nu.* 33. Paris. *de resign. l.* 4. *q.* 9. *n.* 34. Pass. *n.* 357. contra Sanch. *opusc. l.* 7. *c.* 1. *dub.* 48. *n.* 4. Franc. Lambert. Pirh. *loc. cit.* Fagn. *in c. licet. de elect. in 6to. n.* 6. (quamvis is fateatur ad *cit. c. præterea.* apud Pirh. *loc. cit.* in praxi parochiales Ecclesias conferri etiam Clericis primæ tonsuræ) requirentes ad beneficium vel officium sacerdotale ad minimum actu minores Ordines, eò quòd quoad hoc non sit derogatum. *c. præterea*, sed potiùs confirmatum, dum *c. si pro Clericis.* dicendo non requiri, ut promovendus sit constitutus in sacris, excludat solos Ordines sacros, & vel sic requiri saltem minores, tacitè innuat Pirh. *loc. cit.* Neque juxta Suar. excipitur Abbas propter *c. tuam. de ætat. & qualit.* ubi dicitur, in necessitate etiam tantum in minoribus constitutum posse assumi in Abbatem; nam ibi sermo est de Abbate, qui in minoribus constitutus simul erat irregularis, adeóque decernit solùm Pontifex, ordinatum minoribus, qui non potest sacris initiari ob irregularitatem, extra necessitatem in Abbatem assumi non posse. Suar. *de relig. loc. cit. n.* 22. Quamvis tamen communior hujus *capitis* sensus & interpretatio sit, quòd constitutus tantùm in minoribus extra necessitatem (in necessitate autem, vel ob utilitatem Ecclesiæ cum tali dispensare poterit Episcopus. Pirh. *loc. cit. n.* 40.) eligi nequeat in Abbatem, cum quo optimè stat, quod in Abbatem eligi adhuc possit subdiaconus tantùm, neque requiratur, ut plures volunt, sacerdotium. Abb. *in cit. c. tuam. n.* 2. Pass. *loc. cit.*

Quæstio 317. *Quænam sint dignitates, quibus de jure communi annexum est sacerdotium?*

REspondeo: earum enumerari quatuor. *c.* 1. *de ætat. & qualit. præfic.* scilicet Abbatiam, præposituram, decanatum, Archipresbyteratum, ita etiam, ut si nolint, vel etiam justâ causâ impediantur suscipere sacerdotium, amittant has dignitates. Hoc tamen intelligendum de his dignitatibus, dum collegium vel conventus & curam animarum habent. Ad hujusmodi enim dignitates non curatas obtinendas dum juxta Tridentinum *sess.* 24. *c.* 12. sufficit annus ætatis vigesimus secundus completus, patet non requiri jure communi sacerdotium, cùm quis viginti duorum annorum tantùm intra annum nequeat ordinari sacerdos, prout requiritur in obtinentibus dignitates, quibus annexus est presbyteratus. Pirh. *de ætat. & qualit. n.* 380. Fagn. *in cit. c.* 1. *num.* 6. referens pro hoc decisionem *S.* Congreg.

Quæstio 318. *An, & qualis Ordo sacer susceptus, vel suscipiendus requiratur in Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum?*

REspondeo: jure communi, & præscindendo à decreto Tridentino; quo voluit Canonicatus Cathedrales distingui in subdiaconales, diaconales & presbyterales, nullum nec actu, nec habitu requiri in iis Ordinem sacrum. Pirh. *loc. cit. num.* 44. cum communi. Neque enim ad substantiam Canonicatûs requiritur, habere suffragium in Electionibus aliisque actibus capitularibus (ad quod nec ex confessione Capituli, nec ex Episcopi dispensatione admitti possunt absque actu habito Subdiaconatu, ut dictum aliàs. *Clem.* 2. *de ætat. & qualitat. præf.*) retinéntque absque jure ferendi suffragium in capitulo, stallum in choro, ageréque possunt omnia, quæ fiunt extra Capitulum; unde si collatio beneficii spectet ad turnarium potest is, etsi in sacris non constitutus, illud conferre, nisi obstet specialis consuetudo, vel statutum. potest item optare præbendam, cùm isti similésque actus non sint collegiales, sed competant ratione canoniæ, non ex voce Capituli. Pirh. *loc. cit. num.* 45. vide Garc. *p.* 3. *c.* 4. *nu.* 32. sic etiam possunt Decani, qui non sunt Prælati principales convocare Capitulum, & in eo proponere, & resolutiones accipere (non tamen dare suffragium) absque eo quòd sint in sacris. Barb. *de canon. c.* 27. *num.* 12. Potest etiam Prælatus principalis Ecclesiæ collegiatæ, etiamsi in sacris non constitutus, etiam negligens infra annum promoveri ad Ordinem illi dignitati annexum, præsidere & habere vocem in Capitulo, eò quòd tale caput Capituli diversum à membris nomine Capituli non veniat, præsertim in materia pœnali & correctoria juris antiqui, qualis est dicta *constit. cit. clement. ibid. gl.* 5. *in eisdem.* Abb. *nu.* 14. Barb. *n.* 12. vide Pirh. *loc. cit. num.* 45.

Quæstio 319. *Quantum sit tempus, intra quod electus, vel aliter promotus ad beneficium curatum, debeat suscipere sacerdotium, & quo die incipiat illud tempus?*

1. REspondeo ad primum: tempus est annus. sic expresse de parochis *c. licèt. & cum ex eo. de elect. in 6to.* Rebuff. *tit. de non promotis intra annum. in principio.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 8. *q.* 2. Barb. *ad cit. c. licèt. nu.* 7. Pass. *n.* 360. De obtinentibus verò in Cathedrali, vel collegiata sæculari vel regulari, dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, aliáve beneficia habentia annexum sacerdotium, vel etiam alium Ordinem, Trident. sess.

sess. 22. c. 4. clem. ut ii 2. de ætat. & qualit. Navar. *de ætat. & qualit. l. 1. consil. 45.* Pass. *n. 375.* de Abbatibus & Prælatis regularibus promotis fortè ex non sacerdotibus. *c. cùm in cunctis. de elect. c. licet. eod. in 6.* Navar. *comment. 3. de regularibus. nu. 2?.* Pass. *n. 410.* tenétque hoc ipsum, seu tenebitur adhuc provisus intra annum promoveri ad sacerdotium, etiamsi non omnium redituum, sed partis solùm nactus sit possessionem. Laym. *ad c. commissa. de elect. n. 3.* citans Gloss. *in cap. si tibi concesso. de præb.*

2. Respondeo ad secundum: incipit hic annus à die obtentæ pacificæ possessionis beneficii. *c. commissa. de elect. in 6to.* Sanch. *l. 2. opusc. c. 2. dub. 22. n. 9.* Rebuff. *loc. cit. nu. 41.* adeò cùm nesciens se promotum accipere nequeat possessionem, annus ille ante habitam notitiam obtenti beneficii non currit. Pass. *n. 368.* Sanch. *loc. cit.* Selva, *p. 3. q. 3.* contra Rebuff. *n. 54.* uti etiam illi non currit tempus anni, cui statim post adeptam possessionem movetur lis super parochia, secùs est de eo, qui aliquamdiu, nempe uno alterove mense pacificè possedit. Laym. ib. juxta eandem gloss. Quòd si verò negligens quis fuerit in acquirenda possessione, numeratur annus ab ea die, in qua per ipsum stetit, ne possessionem acciperet. *cit. c. commissa.* Ac denique si justè impeditus fuit à sumenda possessione (vel etiam juxta Pass. *n. 369.* à suscipiendo sacerdotio, de quo tamen paulò post) durante impedimento, non currat illi tempus, juxta *reg. 41. de reg. juris in 6.* Nav. *c. 25. num. 116.* Rebuff. *loc. cit. n. 47.* Sanch. *loc. cit. num. 12.* Porrò hîc dicta intelligenda sunt de promoto ad Ecclesiam actu parochialem; is enim, qui nactus est Ecclesiam habitu tantùm, & non actu habentem parochianos, eò quòd v. g. hi omnes captivi abducti sint, vel ob pestem aliò profecti, necesse non sit promoveri ad sacerdotium, eò quòd cesset jam in eo ratio dictæ legis, quæ erat cura pascendi gregem commissum; cùm jam grex nullus sit. Ubi tamen parochiani redierint, tenebitur intra annum ab hoc eorum reditu promoveri. Azor. *p. 2. l. 6. c. 8. q. 9.*

Quæstio 320. *An, & qualiter non intendentes, negligentes, vel etiam legitimè impediti suscipere intra annum Ordines annexos beneficiis, iis excidant, alitérve puniantur, & peccent?*

1. Respondeo ad primum: promoti ad parœcias (quo nomine etiam veniunt Vicarii perpetui Ecclesiæ parochialis, & religiosi, quibus datur Ecclesia parochialis. *Clem. unica. de off. Vicarii.* Rebuff. *loc. cit. num. 4. & 7.* Sanch. *loc. cit. num. 3.* Pass. *num. 363.*) si neglexerint intra annum fieri sacerdotes, nullâ etiam prævia monitione, ipso jure privati sunt parochiis; sic expressè statuitur *c. licèt. de elect. in 6to.* sed non nisi post annum integrè elapsum à die obtentæ pacificæ possessionis, juxta *cit. c. commissa.* Laym. *ibid. num. 1.* siquidem pœna legalis statuta, nisi intra certum tempus aliquid factum fuerit, non incurritur antequam hoc tempus integrè elapsum sit. Laym. *ibid. num. 2.* citans seipsum *in Theol. moral. l. 3. tr. 4. c. 16. num. 12.* Ac proinde parochus non statim, ac ad illud tempus devenerit, ut jam intra annum nequeat fieri sacerdos, amittit parochiam, sed exspectandus lapsus integri anni. Azor. *p. 2. l. 6. c. 8. q. 10.* procedit verò idipsum, juxta Pass. *num. 364.* etiamsi obtinens & possidens parochiam non percipiat fructus primi integri anni. Veruntamen non comprehendi hic Ecclesias collegiatas, etiamsi aliàs simul sint parœciales, expressè habetur. *c. statutum. de elect. in 6to.* quia in talibus Ecclesiis supponuntur esse plures sacerdotes, per quos cura animarum exerceri possit ex concessione parochi non sacerdotis. Pass. *loc. cit.* Sanch. *loc. cit. num. 5.* ubi etiam addit Collegium latè esse sumendum, ut sub eo veniat etiam plebania habens sub se capellas, in qua sunt sacerdotes, qui curati vices suppleant. Multò minus comprehenduntur parochiales Ecclesiæ, dum hæ in Cathedrales eriguntur; neque etiam decanatus, præpositura, Archidiaconatus Ecclesiæ curatæ, cùm sub nomine parochialis simpliciter, non veniat parochialis, quæ est dignitas. Rebuff. *loc. cit. num. 29.* Sanch. *num. 7.* Pass. *num. 367.* Neque etiam parochia unita principaliter beneficio simplici. Sanch. *ibid. n. 8.* Rebuff. *n. 31.* Quod tamen limitat Pass. nimirum, si habens beneficium simplex possit administrare curam animarum per Vicarium, secùs, si id teneatur facere per se, eò quòd tunc potius beneficium simplex transeat in parochiam. Neque parochus non habens curam fori pœnitentialis, sed solùm contentiosi. Pass. *ibid.* Neque denique parochus solùm habitu, hoc est actu non habens parochianos. Gloss. *in cit. c. licet.* Selva apud Sanch. *num. 7.* Rebuff. *n. 24.* Addens, talem teneri promoveri intra annum à die, quo incipit habere parochianos. Verùm de privatione beneficii ob neglectam hanc promotionem intra annum vide plura *3. part.* ubi de vacatione ex delicto.

2. Respondeo secundò: si promoveri ad sacerdotium non intendens parœcialem receperit Ecclesiam, ut fructus per annum percipiat (vel etiam ob finem alium quemcunque Garc. *p. 3. c. 4. num. 58.* Pass. *n. 404.*) ipsam postmodum dimissurus, tenebitur ad restitutionem fructuum eorundem (etiam in foro conscientiæ, & ante sententiam judicis. Sanch. *l. 7. de matrim. d. 45. num. 3.* Castrop. *p. 2. tr. 13. d. 4. p. 7. n. 6.* ex Less. & Vasq. apud Pass. *num. 403.*) nisi voluntate mutatâ intra annum promotus fuerit (quod ubi factum, non tenebitur ad restituendos fructus, quos ante illam mutationem percepit. Garc. *loc. cit. n. 51.* Castrop. *loc. cit. n. 7.* Sanch. *loc. cit. num. 7.* Pass. *n. 400.*) ita expressè. *c. commissa. de elect. in 6.* vide Castrop. *loc. cit. n. 3.* Eum etiam, qui parochialem contulit sciens, providendum non habere animum intra annum suscipiendi sacerdotium, præter offensam Dei contrahere obligationem erga Ecclesiam, ut eam servet indemnem, scilicet in defectum talis parochi fraudulenti, ut si is non restituat fructus, quatenus Ecclesia læsa est, talis obligatio redundet in promoventem, quippe participem commissæ fraudis, tenet Laym. *paulo ante cit.* juxta *cit. c. commissa. de elect.* & Gl. *ibid. v. indemnem.* Castrop. *loc. cit. num. 3.* comprehendi quoque hac constitutione, & peccare mortaliter, tenerique ad restituendos fructus recipientem beneficium, qui cum dubio vel conditionatè solùm intendit intra annum suscipere ordinem annexum, tenet Pass. *n. 397.* citans Soto. Guttier, & Azor. *p. 2. l. 6. c. 9. q. 3.* idem tenet Castrop. *loc. cit. n. 5.* nempe peccaturum mortaliter, & obligatum restituere fructus, qui cum animo dubio de suscipiendo sacerdotio recipit tale beneficium, eò quòd qui habet animum dubium, revera caret voluntate suscipiendi sacerdotium, cùm tamen recipiens tale beneficium obligatus sit, habere voluntatem ea impleudi, quæ tali beneficio annexa sunt;

negat

negat verò de habente animum conditionatum, nimirum susçipiendi sacerdotium, nisi tibi aliquid felicius obveniat, quia voluntas conditionata est vera voluntas, & illa posita, potes susçipere sacerdotium (qualiter stante animo dubio illud susçipere non potes) si beneficium non dimittas. citat pro hoc Ludov. Lopez. *p. 1. instructorii. c. 255.* Vegam *tom. 1. sum. c. 36. casu. 23.* Sanch. *de matrim. l. 7. d. 45. n. 10. &c.* Non comprehendi verò illum, adeóque non teneri ad fructus restituendos, qui bona fide, animoque susçipiendi intra annum sacerdotii recipit parochialem, dum mutata postmodum voluntate, non recipit sacerdotium, tenent Navar. *in man. c. 25. n. 118.* Sanch. *de matrim. d. 45. num. 11.* Castrop. *loc. cit. n. 9.* Pass. *nu. 402.* cum communiore, eò quòd talis fraudulenter non susceperit parochiam, de quo solùm loquitur *c. commissa*; Item eum non comprehendi, seu non teneri ad restituendos fructus (saltem ante sententiam, ut Castrop. *n. 13.* citans Less. Sanch. Gutt. Azor. &c.) recipientem aliud beneficium non parochiale, seu non curatum, sine animo recipiendi annexum illi sacerdotium aliúmve Ordinem sacrum (etsi juxta Sanch. *loc. cit. num. 14.* Less. *l. 2. c. 34. num. 132.* Castrop. *loc. cit. n. 14.* Garc. *p. 3. c. 36.* Pass. *n. 405.* & alios peccet mortaliter, quia fraudulenter contra mentem Ecclesiæ, & legis obligantis beneficiatum ad recipiendum ordinem intra annum recipit illud) tenet *ibidem* Pass. contra Garc. eò quòd lex loquatur de solis parochis; cæteri autem habeant alias pœnas sibi statutas, de quibus paulò post idem tenent Sanch. Less. Navar. Castrop. *loc. cit.*

3. Illum porrò qui habet animum susçipiendi sacerdotium infra annum, si nimirum, ut addit Castrop. retineat interea beneficium tale parochiale, satisfaciendi officio suo, & residendi prout oportet, & hæc præstat, etsi aliàs habeat animum resignandi beneficium cum venia Superioris vel permutandi, non subjacere pœnis dictæ constitutionis, nec peccare saltem mortaliter tenent Castrop. *loc. cit. p. 7. n. 11.* Sanch. *de matr. l. 7. d. 45. n. 12.* Less. *loc. cit. num. 136.* contra Abbatem *in c. relatum. de Cler. non resident. n. 7.* & Host. *ibidem n. 2.* Neque enim recipiens beneficium, etiam parochiale, obligatus est illud semper retinere, sed potest illud permutare, vel aliter resignare; ergo habens hanc voluntatem, cùm beneficium susçipit, nihil juri contrarium facit, tametsi unico die illud retinere proponat. Castrop. *cit. n. 11.* ex Nav. *l. 3. tit. de præbend. cons. 24. nu. 2.* Sanch. *l. 7. de matr. d. 45. nu. 12.* Vasq. *opusc. de benef. c. 3. §. 3. dubio*, quos citat Castrop. De cætero recipiens beneficium simplex, nullum ordinem annexum habens, animo fruendi ejus fructibus aliquo tempore, & postmodùm relinquendi, transeundo ad statum conjugalem, non peccabit mortaliter. Castrop. *cit. p. 7. n. 15.* contra Sotum *l. 10. de justit. q. 5. a. 6.* Tolet. *in sum. l. 3. c. 18. n. 4.* Navar. *Miscellan. de orat. 44. nu. 2.* imò nequidem peccaturum venialiter tanquam probabilius censet Castrop. *n. 16.* citans Garc. *p. 3. c. 4. nu. 43.* contra Sanch. *de matr. l. 7. d. 45. nu. 19.* Less. *l. 2. de just. c. 34. dub. 16. nu. 132.* agnoscentes in hoc culpam venialem, quia aliquo modo decipitur Ecclesia. Rationem hanc dat Castrop. quòd nullius præcepti in hoc fiat violatio, cùm nullum præceptum, nec naturale, nec positivum obliget beneficiatum ex susçeptione beneficii ad perseverandum in statu clericali, imò potius à jure liber transitus ad nuptias conceditur beneficiatis, modò beneficia relinquant. *c. Joannes. c. diversis fallac. de Clerico conjugat.* Neque in hoc decipitur Ecclesia, neque justè est invita, cùm talis non intendat aliquid contra id, quod ab Ecclesia est dispositum, siquidem datur beneficium ad sustentandum beneficiatum in statu clericali eo tempore, quo beneficium habuerit, non tamen cum obligatione, ut beneficium semper retineat. Veruntamen recipere pro se ipso principaliter beneficium, cum animo resignandi illud alteri, prohibetur sub excommunicatione latæ sententiæ, aliisque gravissimis pœnis à Paulo IV. *constit. 12. edita anno 1557* quæ incipit: *Inter cætera*, hanc tamen Constitutionem non habere locum, nisi in Romana Curia tenent Castrop. *to. 6. d. 3. p. 30. n. 8.* Card. Lugo. *in respons. mor. l. 5. dub. 4. n. 2.* Garc *p. 11. c. 3. n. 291.* Dian. *p. 8. tr. 7. resol. 14. negant id* Pass. *num. 385.* Mart. à Prado, eò quòd licet in proœmio hujus constitutionis fiat mentio fraudum in impetratione beneficiorum apud Datariam, adeóque occasio hujus Bullæ habuerit ortum in Curia Romana, nihil tamen in ea sit, quod restringat illam taliter, finalisque ratio illius sit, tollere omnes fraudes, quæ hac in parte ubique terrarum intervenire possunt, vide Pass. *à num. 383.* fusè agentem de sensu hujus Constitutionis, & quinam illâ comprehendantur. De cætero dum currit adhuc annus, poterit talis permutare cum alio parochiale beneficium, & tunc is, cum quo permutat, habebit annum alium ad hoc, ut fiat sacerdos. Rebuff *num. 37.* Sanch. *num. 31.* apud Pass. *num. 371.* & si talis negligens se promoveri moriatur die ultimo anni, vacabit beneficium ob mortem illius, quia necdum fuit eo privatus. Sanch. *ibid.* Rebuff. *num. 44.* ex Paris.

4. Respondeo tertiò: Abbates Præpositi, Decani, Archipresbyteri (intellige Curati) si intra annum sacerdotes, Archidiaconi, si diaconi non fiant, amittunt dignitates. *c. ut Abbates. de ætat. & qualit. præf. c. cùm in cunctis. de elect.* Trid. *sess. 24. c. 12.* non quidem ipso jure iis privati, sed solum privandi, si admoniti id non fecerint; dicitur enim *c. cùm in cunctis: priventur.* Privandi autem adhuc sunt suis dignitatibus, etiamsi ex justa causa impediti fuerint, fieri intra annum sacerdotes. *cit. c. Abbates.* intelligendus autem est hic textus de justo impedimento, contracto tamen ex culpa promoti supervenerunte, v. g. si suspensionem incurrit, vel irregularitatem ex delicto, ut ad Ordines promoveri non possit: ita ut si ideo recipere non potuerit Ordinem requisitum, adhuc privandus sit dignitate vel beneficio, nisi fortè alias valde utilis esset Ecclesiæ, cui præest. Host. *in c. ut Abbates. in fine.* apud Pirh. *de ætat. & qualit. num. 39.* Alia verò jura, puta *c. 1. de Clericis ægrotis. cit. c. commissa &c.* expresè excipientia impedimentum justum de impedimento contracto sine culpa, (v. g. si promotus, vel Episcopus ordinaturus illum fiat infirmus, si absque culpa sua incidat in irregularitatem. Sanch. *num. 12.* Rebuff. *num. 48.* si Episcopus cum eo, qui habens annos 24. & solùm Minores recipit beneficium tale curatum, nollet dispensare super interstitiis inter subdiaconatum, diaconatum, & presbyterium. Pass. *num. 370.* citans Nav. & Sanch. ita ut tunc ob sacerdotium non susceptum nequaquam privari debeat dignitate. Gloss. *in c. Abbates, v. amittunt. & in cit. Clem. v. impedimento* cum communi. Vel fortè meliùs conciliantur hæc jura hoc modo, ut *c. Abbates.* intelligatur de impedimento perpetuo, vel diu duraturo;

alia jura de impedimento temporali, seu non diu duraturo Ordinis suscipiendi, modò tamen justum sit, etiamsi prævisum, vel etiam ex culpa contractum, v. g. si in rixa promotus sit vulneratus, ut anno currente ordinari nequeat. Laym. *ad c. Abbates.* Arg. *c. unici, ne sede vacante. in 6to.* Observandum autem hic in genere, quoad pœnam illam privationis beneficii, quod qui semel ob non susceptum intra annum sacerdotium privatus fuit beneficio, non possit, etiam cum dispensatione Episcopi, iterum obtinere illud beneficium. *cit. c. commissa.* & *Clem. ne in agro. de statu monach.* apud Pass. *num.* 374.

5. Respondeo quartò: cæteri, etiam habentes in Cathedrali, vel collegiata sæculari, vel regulari dignitates (etiam curatas. Pass. *n.* 406) personatus, officia, præbendas, portiones, quibus annexus Ordo, si ad eum intra annum non promoveantur, præterquam, quod moniti possent privari etiam beneficio. Abb. *in c. quæris. de ætat. & qualit. num.* 6. Garc. *p.* 3. *c.* 4. *num.* 16. privantur (non quidem ipso jure, sed per Episcopum, qui etiam ad hanc pœnam infligendam procedere nequit sine solennitate à Trid. requisita. Barb. *ad c.* 4. *sess.* 22. *Trident. num.* 23.) dimidia parte distributionum, (intellige propriè talium, hoc est, quæ quotidianæ dicuntur, dantúrque illis, qui certis horis intersunt, non verò extraordinariarum, quæ dantur pro funeribus & anniversariis defunctorum. Moneta de distribut. *p.* 1. *q.* 3. Barb. *loc. cit.*) usque dum requisitum Ordinem receperint. *cit. clem. ut ii.* Trident. *loc. cit.* etiamsi horis interfint. Gloss. *in cit. clem. v. interfint.* Sanch. *l.* 7. *opusc. c.* 1. *dub.* 48. *num.* 7. Navar. *de temp. ordin. cons.* 45. imò licet altera dimidia pars non sufficiat sustentationi; hoc ipsum enim imputare debent negligentiæ suæ. Gloss. *loc. cit. v. pars. ibid.* Imol. Pass. *num.* 377. contra Sanch. & Barb. Privantur item voce in capitulo. *cit. clem.* Trid. *loc. cit.* activâ tantum. secundùm Garc. apud Pass. activâ & passivâ simul, juxta Pass. *num.* 380. & Less. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 150. Porrò pœnalis hæc constitutio. *cit. clementina,* cùm non meminerit, nisi beneficiatorum in Cathedrali & Collegiata, non extendit se ad beneficiatos aliarum Ecclesiarum. Gloss. *in cit. clement. v præbendas.* Garc. *in addit. ad* 5. *p. c.* 4. *n.* 5. secùs dicendum de Tridentino, etsi loquente in iisdem terminis. *cit. clement.* tenent Barb. *ad cit. l. Trident. num.* 15. Riccius *resol.* 286. *num.* 1. ob contrariam declarationem S. Congregationis, quam refert Garc. *loc. cit.* cui sententiæ subscribit Pass. *num.* 379. modò authenticè constet de ista declaratione.

Quæstio 321. *Qualiter objectus circa defectum Ordinis formari, vel etiam excludi possit?*

Respondeo: ubi prætenditur totalis defectus Ordinis, verus modus justificandi objectum est, exhibere literas sive instrumenta ordinationis factæ post tempus provisionis, quia cùm Ordo non sit iterabilis, probatâ initiatione certo tempore excluditur quodcunque aliud tempus. Lott. *l.* 2. *q.* 47. *n.* 85. citans *decisionem Rotæ* 158. *num.* 4. *p.* 1. *recent.* ubi verò non prætenditur totalis defectus, sed Ordinem non fuisse exequibilem propter irregularitatem, eum suscipientis, objectus non constituitur aliter, quàm justificando Ordinem dolosè & in contemptum susceptum. Lott. *num.* 87. Unde etiam constitutio Pii II. contra malè promotos ad Ordines varias pœnas decernens locum non habet, nisi probato dolo & contemptu. Lott. *n.* 88. citans Navar. *in man.* 27. *n.* 155. & Rotam *in aquensi irregularitatis* 14. *Maji* 1607. Neque etiam objiciens pro justificatione objectus replicare potest, sufficere probare se incapacitatem; quia etiam collatio facta incapaci bonâ fide tenet mero jure, ut Innoc. *in c. cum nostris, nu.* 3. *de conces. præb.* Lott. *num.* 91. Debet præterea objectus hic concludi, ut defectus Ordinis percutiat tempus ipsum provisionis, non autem vacationis. Lott. *num.* 92. hinc quia simplex nominatio non tribuit nominato jus aliquod, nil refert, quòd tempore vacationis & nominationis nominatus esset laicus, modò tempore præsentationis sit Clericus. Lott. *n.* 93. & 94. item in gratiis præventivis ad vacatura, si ante vacationem superveniat habilitas, quæ non erat tempore concessæ gratiæ, supervenientia ista utique proderit, cùm res fuerit deducta ad eum casum, à quo potuit incipere, antequam actus consummaretur. Lott. *n.* 95. Porrò procedunt hæc simpliciter etiam, ubi contra impetrantem non militant regulæ *de annali & triennali.* Neque enim etiam his cessantibus, attenditur hic objectus, si beneficiarius diu fuisset in possessione, hinc autem præsumitur sufficiens dispensatio. Lott. *num.* 97. citans Sarnens. *ad reg. de trien. q.* 10. *num.* 1. Acheran. *cons.* 117. *n.* 3. licet enim tempus diuturnum nempe 10. annorum non sufficiat pro obtinendo in petitorio, sufficit tamen ad elidendum objectum, odio scilicet impetrantis, qui per impetrationem nequidem creditur habere titulum, sed simplicem actionem, seu facultatem implorandi officium judicis. Lott. *num.* 98. *& seq.*

Quæstio 322. *Quis dispensare possit in promovendis, vel promotis ad beneficia habentia annexum Ordinem sacrum, aptitudine ratione curæ animarum, aut alias ex ordinatione Ecclesiæ, quo minùs teneantur eum intra annum recipere?*

Respondeo: cum Canonicis aliàs non habentibus curam, studiorum gratiâ dispensare potest Episcopus, & capitulum. Argumento *c. cùm ex eo, de elect. in 6to. ibid.* Laym. *n.* 2. *& c. relatum. c. tuæ. de Clericis non resid. ibid.* Abb. *num.* 6. multòque magis id locum habet in aliis beneficiis simplicibus, nisi fortè aliud mens fundatoris requisivisset, & quidem absque eo, quòd necesse sit constituere tamdiu Vicarium, nisi fortè beneficium ex propria institutione requirat personale servitium. Laym. *loc. cit. num.* 3. Idem ex eadem causa potest Episcopus ad septennium cum curatis. *cit. c. cùm ex eo.* juxta Laym. *loc. cit.* isti tamen facultati derogatum videtur per Trident. ut vult. Pass. *num.* 361. ex eo, quòd statuerit Trident. conferri parochias non nisi per concursum, qui supponit concurrentes jam sufficiente scientiâ instructos, vel etiam vicujus seligitur unus habens sufficientem scientiam, cui sententiæ inhæsi infra, ubi de residentia curatorum dici fortè posset, quòd quoad hoc ubique receptum non sit Tridentin. & obstet contraria consuetudo, vel etiam quòd concernat solas parochias, non alia beneficia curata, vel etiam, quòd licèt quis sufficiente scientia instructus sit, possit acquirere majorem in majus Ecclesiæ emolumentum.

lumentum. Verùm hoc fortè oppugnat rationem adjectam, non autem evertit decretum ipsum.

Quæstio 323. *An ut quis eligatur, vel promoveatur in Prælatum, vel Superiorem regularium, necesse sit esse professum, & quidem expresè, & in eadem religione, ac ita, ut aliàs electio, vel promotio sit ipso jure nulla?*

REspondeo ad omnia affirmativè. Abb. *in c. cùm Monasterium. de elect. n. 2. ibid.* Bald. & Innoc. Barb. *ad c. nullus. de elect. in 6to n. 2.* & *ad Trid. sess. 25. c. 21. de regular. num. 1.* Suar. *de relig. tom. 3. l. 6. c. 21. num. 15.* Tamb. *tom. 1. d. 5. q. 11.* Pass. *c. 25. num. 345.* citans plures alios. Primum habetur *c. cùm causam.* & *c. cùm ad nostram. de elect.* secundùm *c. nullus. de elect. in 6to* putant tamen Lavor. *de elect. c. 16. num. 128.* Abb. & Jo. And. cit. à Pass. *num. 346.* sufficere professionem tacitam, ut quis per postulationem, vel etiam collationem, aliámve provisionem distinctam ab electione obtineat prælaturam regularem; eò quòd *cit. c. nullus.* utpote pœnale extendi non debeat ultra hoc, quod sonat. Tertium habetur in *clem. 1. de elect.* Quartum uti & priora tria ex Trident. *sess. 25. c. 21. de regul.* Quod verò his canonibus constitutum de viris, idem in monialibus locum habet. *c. indemnitatibus. de elect. in 6.* Adeóque firmiter hæc tenenda sunt, ut dum in conventu vel religione non esset professus, vel professa, quæ eligi posset, adhuc à nullo inferiore Papâ, eo inconsulto, fieri possit, ut eligatur alia persona digna ex alio conventu vel religione, cum *cit. clem.* absolutè decernatur cum decreto irritante, ut regularibus non præficiatur nisi regularis ejusdem Ordinis. Sigism. à Bon. *de elect. dub. 87. num. 4.* Suar. & Pass. *loc. cit.* Porrò intelligenda hæc sunt, dum dictæ præfecturæ regulares conferuntur in titulum; secùs enim est, dum conferuntur in commendam; via enim commendæ beneficia sæcularia regularibus, & regularia sæcularibus, etiamsi suos conventus habeant, & in eis vigeat regularis observantia, à Papa duntaxat obvenire possunt. Fagn. *in c. cùm ad nostram. de elect. n. 2. & seq.* quod ipsum non improbat, aut prohibet Trident. quin potius tacitè admisit, dum prohibendo sæcularibus conferri beneficia regularia adjecit hæc verba: *in titulum.* & quamvis *sess. 25. c. 21.* caverit, ut monasteriis habentibus suos conventus, quæ tunc commendata reperiebantur, præficerentur regulares ejusdem Ordinis, uti & iis, quæ imposterum vacabunt; ea tamen non dici præceptivè, ut tenuit Rota, sed solùm cõsultivè & optativè, declaravit S. Congregatio, ut refert Fagn. *num. 10.* juxta quem nihilominus verè præceptivè statuit, ut qui ea Monasteria, quæ sunt velut capita Ordinum (quale v. g. est Cistercium respectu Ordinis Cistercienſis) in præsenti in commendam obtinent intra sex menses religionem istorum Ordinum solenniter profiteantur, vel eis cedant, aut aliàs commendæ istæ ipso jure vacare censeantur, nisi sit eis de regulari successore provisum. Vide etiam apud Eundem *num. 14.* quid in genere de monasteriis in commendam dandis statuerit Concil. Lateran. sub Leone X. *sess. 19.*

Quæstio 324. *Quantum tempus à professione requiratur, ut quis eligi possit in Prælatum religionis?*

REspondeo: à Trident. *loc. cit. c. 7.* in monialibus requiri ad minimum quinque annos à professione, ut eligi possint in Abbatissas & Prioriſſas; pro viris verò neque à Trident. neque à reliquo jure communi certum tempus statutum est; quare non prohibentur (nisi alias obstent specialia statuta Ordinis) statim à professione eligi in præsules regulares, modò sufficienter in observantiis Ordinis instructi, & alias qualitates requisitas habeant Abb. *in c. cùm in cunctis. de elect. num. 6.* Pass. *num. 348.* Neque nunc casus ille, qui aliàs excipitur *c. officii. de elect.* nimirum dum quis fit religiosus, & mox profitetur, & sic eligitur in prælatum, locum habet, cùm ex præscripto Trident. nemo admittatur ad professionem, nisi post expletum annum probationis. Quòd si tamen talis tam repente à professione electus non foret sufficienter instructus in observantiis sui Ordinis; uti & si justè præsumeretur in tali ambitio, electio ejus, etsi non esset ipso jure irrita. Suar. *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 3. n. 7.*) foret tamen ad minimum irritanda vi *c. officii.* Abb. *ibid.* aliique. Pass. *num. 248.*

* * *
* *
*



CAPUT TERTIUM.

DE CONDITIONIBVS ELIGENDORVM, AVT ALITER PROMOVENDORVM AD BENEFICIA MORALIBVS, PVTA CARENTIA CENSVRARVM, HONESTATE MORVM, BONA FAMA, MONOGAMIA.

PARAGRAPHVS I.

De Carentia Censurarum.

Quæstio 325. *Num excommunicatus excommunicatione majore, sive ea lata sit à jure, sive ab homine; sive per sententiam generalem, sive particularem; sive denunciatus, sive toleratus, etiam occultissimus, & putatus, absolutus ab excommunicatione, sit ineligibilis, alitérve impromovibilis, seu inhabilis, non tantùm ad prælaturas, & dignitates, aut officia habentia annexam jurisdictionem, sed ad quæcunque alia beneficia, tam regularia quàm sæcularia, etiam ad obtinendas pensiones, ita ut ejus electio, postulatio, præsentatio, & alia quæcunque promotio, etiam facta à Pontifice motu proprio, uti & quævis permutatio, resignatio in favorem ejus facta, sit ipso jure nulla, teneatúrque talis excommunicatus in conscientia prælaturam, officium, beneficium, ad quod promotus est, & pensiones, quas obtinuit, dimittere?*

REspondeo affirmativè. Pass. *cit. c.* 25. *num.* 445. referens plures TT. scholasticos. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 13. referens plures Canonistas, sumitur ex *c. postulástis. de Cleric. excom. ibid.* Barb. & Canonistæ communiter. item *ex c. pastoralis. de appell.* & *c.* 1. *de rescript. in* 6. Veráque quoq; hæc sunt, etiamsi excommunicatio sit à parte rei injusta (modò tamen sit ritè lata, si enim lata delicto non satis probato, non tantùm injusta, sed invalida est. Pass. *n.* 451.) v. g. dum delictum non est verum, sufficienter tamen probatum, in foro enim externo talis excommunicatio habenda est pro valida. Garc. *loc. cit. n.* 11. Barb. *loc. cit. n.* 4. Pass. *loc. cit. n.* 446. Rebuff. *ad c. postulástis. n.* 67. Sayr. *de Cens. l.* 2. *c.* 5. *n.* 10. Nihilominus, licèt si talis excommunicatus injustè, scienter eligeretur, cassanda foret electio, non est tamen ipso jure nulla, quia dum talis eligeretur bona fide ab ignorantibus illum esse ullo modo excommunicatum, detectâ postmodum excommunicati innocentiâ, cassanda non foret ista electio. Pass. *loc. cit.* vide de his Suar. *de Cens. d.* 4. *s.* 7.

Quæstio 326. *An ergo etiam excommunicati tempore electionis, postulationis, præsentationis, dein absoluti confirmatio, & institutio ipso jure sit nulla?*

REspondeo affirmativè. in his enim spectandum est initium, nimirum tempus electionis, præsentationis, & quod ab initio nullum est, validari aut confirmari nequit. Abb. *ad c. postulástis. ibid.* Barb. *n.* 10. & 13. Lambert. *de jurepat. l.* 2. *p.* 1. *q.* 9. *a.* 10. *n.* 1. Garc. *loc. cit. n.* 8. & 14. Suar. *de Cens. d.* 13. *s.* 1. Pass. *n.* 448. citans plures alios. Verúmque id est, etiamsi Electores vel patronus excommunicationem ignorârint, ignorantia enim excusat à culpa, non tamen validat actum, quem irritavit Ecclesia. Suar. *loc. cit. num.* 2. & 30. Garc. *loc. cit. nu.* 9. Pass. *n.* 450. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *q.* 8. Idem dicendum de permutatione putat Pass. ex Suar. contra Garc. *n.* 19. (quæ etsi valeat ex parte ejus, cum quo permutat, si permutans est excommunicatus toleratus. Sanch. *l.* 2 *opusc. c.* 2. *dub.* 13. *n.* 2, non tamen ex parte permutantis excommunicati, utpote qui incapax est, de novo acquirendi illud jus super beneficio, pro quo ipse resignat suum) nimirum collationem absoluti ab excommunicatione esse invalidam, dum permutans in ea fuit tempore resignationis, ejusdemque acceptationis ab Episcopo. Certum de cetero, collationem talem factam excommunicato, esse nullam, etsi is econtra tempore resignationis ejusdemque acceptationis non fuisset excommunicatus. Azor *loc. cit.* Suar. *loc. cit. n.* 12. Garc. *n.* 15. citans Paris. Rebuff. &c. Quòd si tamen confirmator, dum is est talis, ut is sine electione possit instituere Prælatum, conferre idem beneficium &c. sciens defectum electionis ob electum excommunicatum, post eundem jam absolutum, confirmet talem electionem, dici posse, ait Pass. *n.* 452. confirmationem esse validam, non titulo confirmationis, sed collationis, seu institutionis. Sic etiam collator potens absolvere ab excommunicatione, dum alicui, quem scit esse excommunicatum, confert beneficium, censetur eum absolvere, & ita is prius absolutus validè promovetur. Covar. *in c. alma Mater.* §. 7. Peyr. *in præl. q.* 2. *c.* 5. *n.* 1. Sayr. *de Cens. l.* 6. *c.* 5. *n.* 11.

Quæstio 327. *Qualiter se gerere debeat excommunicatus electus?*

REspondeo: si est manifestus, tenetur omnino non consentire electioni, nec recipere Prælaturam. si est occultus, & potest sine scandalo, & infamia resistere, tenetur resistere, obtendendo alias causas rationabiles suæ resistentiæ, vel etiam manifestando suam excommunicationem. Secùs si id non possit sine scandalo, suique gravi infamia. Tenetur tamen talis, vel etiam confirmatus nulliter

nulliter, quamprimùm petere absolutionem & dispensationem, & interim consentire, & Prælaturam recipere. Garc. *loc. cit. n.* 71. Peyr *loc. cit. n.* 6. Suar. *loc. cit. n.* 31. Sa. *V. excommunicatio. n.* 30.

Quæstio 328. *A quo petenda hæc dispensatio?*

Respondeo: ab eo, qui potest non tantùm absolvere ab excommunicatione (absolutè enim non tollit nullitates præcedentes) sed etiam nullitates antecedentes sanare, vel Prælaturam immediatè conferre independenter à tertii eligentis vel præsentantis, vel conferentis consensu; ita ut talis dispensatio reipsa sit nova beneficii institutio seu collatio. Garc. *nu.* 74. Suar. *num.* 34. Sanch. *loc. cit. dub.* 10. *n.* 16. Pass. *nu.* 456. Quemadmodum, quia Prælati regularium in aliquibus casibus inferiores quasdam Prælaturas conferre possunt, poterunt cum excommunicato absoluto dispensare, ut is ob excommunicationem nulliter electus retineat Prælaturam. Pass. *n.* 458. Econtra quia Episcopus, dum obventio beneficii pendet ab electione, præsentatione vel collatione etiam inferiorum, quibus præjudicare non potest, non potest illud se solo conferre; hinc inquam non potest etiam sine dictorum inferiorum consensu cum tali excommunicato nulliter electo jam absoluto dispensare, ut beneficium retineat, nisi postquam eligentes illi, vel præsentantes scienter excommunicatum jure eligendi vel præsentandi sint privati notoriè, & per declarationem, & ita ad eum devoluta sit independenter ab eorum consensu collatio istius beneficii. Ante hanc enim privationem poterunt & debent isti Electores & præsentatores de novo eligere, vel præsentare talem excommunicatum jam absolutum. Idem applica Episcopo, dum hic scienter excommunicato, quem ipse absolvere nequit, contulit beneficium, ut nimirum is cum eo jam absoluto dispensare possit, antequam notoriè & declarativè privatus sit jure eligendi. Pass. *n.* 456. Suar. *loc. cit. num.* 36. Garc. *num.* 37.

Quæstio 329. *Qualiter nihilominus limitanda sit responsio ad* quæst. hujus §. primam.

1. Respondeo: ut non teneat primò, si excommunicatio fuerit nulla, adeóque ubi id probatum fuerit, sustinebitur electio vel collatio. Suar. *loc. cit. n.* 33. Barb. *ad c. postulastis. n.* 19. Garc. *p.* 7. *c.* 13. Sayr. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 10. Pass. *n.* 459.

2. Secundò ut superveniens electioni, vel collationi excommunicatio non vitiet illam, nec irritet secutam acceptationem Bullarum, & sumptionem possessionis beneficii, modò per acceptationem illam & sumptionem possessionis jus novum non acquiratur (uti regulariter loquendo non fit, cùm possessio sit potiùs quid facti quam juris. Abb. *in c. veritatis. de dolo & contumac. n.* 42. Garc. *n.* 89. Barb. *loc. cit. n.* 26. & acceptatio etiam non sit acquisitio juris, sed juris acquisiti receptio. Pass. *n.* 467.) Barb. *loc. cit. n.* 21. Garc. *nu.* 35. citans Gomez. Ugol. Gonz. *ad reg.* 8. *cancel. Gl.* 58. *n.* 26. Suar. *loc. cit. n.* 15. Pass. *n.* 461. Rebuff. *l. c. n.* 124. Sanch. *loc. cit. n.* 13. Sayr. *loc. cit. n.* 11. Unde etiam si optio fiat sinenovi tituli acquisitione, nimirum quoad præbendam temporale, & solâ temporalitatem, optabit validè. Rota *decis.* 5. *de concess. prab. in novis, & decis.* 8. *de sententia excom. in antiquis* apud Pass. *nu.* 466. & Garc. *loc. cit. num.* 48. secùs ubi optando mutatur titulus v. g. dum portionarius optat Canonicatum, & dimidius portionarius integram portionem. Suar. *loc. cit. n.* 19. Garc. *nu.* 51. Rota *cit. decis.* 5. uti etiam invalidè fit acceptatio, & acceptio possessionis, dum per eam acquiritur jus novum. Navar. *in c. si quando. de rescrip. excep.* 10. *n.* 9. Covar. Sanch. Sayr. apud Pass. *n.* 463. quemadmodum acceptatio habet vim acquisitionis, si statutus est alicui terminus ad acceptandum. *c. si quis absenti. de prob.* Suar. *loc. cit. num.* 18. Vide hìc Pass. *cit. c.* 25. *n.* 464. An autem, & qualiter peccet excommunicatus acceptando & sumendo possessionem, etiam dum per eam jus novum non acquiritur, quando ad eam non necessitatur, aut per eum stat, quò minùs priùs absolvatur, vide apud Garc. *cit. c.* 13. *n.* 47. Pass. 467.

3. Tertiò: ut non teneat, si excommunicatio lata fuerit post legitimam appellationem tempore pendentiæ appellationis, hæc enim excommunicatio nulla est propter defectum suspensæ ad hoc jurisdictionis *ad c. postulastis.* Rebuff. *nu.* 71. Barb. *loc. cit. n.* 23. Covar. *loc. cit. nu.* 5. Contrarium est, si quis post excommunicationem priùs appellans electus fuerit, appellatio enim interposita post censuram illam non suspendit. *c. pastoralis. de appel. & c. is cui. de sententia excom. ibid.* DD. communiter contra Lavor. *variar. Elucub. tr.* 4. *c.* 16. *n.* 87.

4. Quartò, ut non teneat, dum Papa confert beneficium cum clausula: *à quibusvis*: apponi solitâ in literis Apostolicis. Barb. *ad c. postulastis. num.* 25. *ibid.* Rebuff. *n.* 67. Garc. *loc. cit. n.* 50. Sanch. *loc. cit. n.* 14. Sayr. *loc. cit. c.* 4. *n.* 6. & 12. licèt autem dicta clausula, dum provisio facta in forma commissaria, & forma *dignum* operetur validitatem impetrationis literarum, impetrans tamen ut validè obtineat beneficium, debet priusquam fiat collatio, absolvi à commissario. Garc. *loc. cit. n.* 62. Pass. *n.* 470. Item licèt vi illius impetrans absolvatur ab excommunicatione Bullæ cœnæ. Garc. *n.* 67. non tamen ab excommunicatione incursa ob hæresin. Garc. *ibid.* Felin. & Covar. *in c. alma Mater.* Ac denique per dictam clausulam positam in literis Legatorum, vel etiam Episcoporum, non absolvatur impetrans nisi ab excommunicatione, à qua ipsi possunt absolvere. Garc. *nu.* 71. Pass. *nu.* 471. qui etiam remittit ad Rebuff. *loc. cit. num.* 67. Garc. *n.* 50. Sanch. *n.* 14. & alios, ut videatur, qualiter dicta clausula non faveat insordescentibus, & irregularibus.

Quæstio 330. *Quid hac in re dicendum de excommunicatis excommunicatione minore?*

1. Respondeo primò: illum esse ineligibilem ad beneficia non simplicia. *c. si celebrat de celer. excom.* Gl. *ibi V. scienter.* Pass. *cit. c.* 25. *n.* 473. contra Abb. *ad cit. c. si celebrat. n.* 8. Lavor. *de elect. c.* 16. *n.* 92. quia per talem electionem deputatur ad ea, quæ tali excommunicato sunt prohibita exerceri. Comprehendi etiam *cit. c.* collationem & præsentationem censet Suar. *de Cens. d.* 24. *s.* 2. *n.* 21. in quam sententiam inclinat Pass. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Electionem talis excommunicati ad talia beneficia esse, non ipso jure irritam, sed solùm irritandam, eò quòd textus plus non dicat, quàm esse irritandam, & leges pœna-

pœnales non sint extendendæ; præterea electus ad beneficium curatum directè & primò eligatur ad sacramenta conferenda (quod non est prohibitum excommunicato excommunicatione minore) & minus principaliter ad ea recipienda, quatenus nimirum, ut sacramenta quædam ministret aliis, necesse est eum aliquando sacramenta recipere. Sanch. *loc. cit. dub.* 13. Barb. *in c. si celebrat.* Sayr *l.* 2. *c.* 22. *n.* 23. Peyr *cit. q.* 2. *c.* 2. *n.* 22. Suar. *l. ult. cit. n.* 21. Pass. *n.* 475. contra Garc. *p.* 7. *c.* 13. *n.* 27. Covar. *in c. alma Mater.* §. 8. *n.* 3. Ugol. *tr.* 3. *c.* 6. *n.* 3. peccare nihilominus mortaliter tam eligentes eligendo, quàm electum talem consentiendo electioni, ait Pass. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: talem excommunicatum non esse ineligibilem ad beneficia simplicia; eò quòd textus dicat electionem talis excommunicati irritandam, quia eligitur ad ea, quæ ei sunt interdicta; jam vero eligitur quis ad beneficia simplicia per se loquendo, ut orationes & laudes Deo persolvat, & non ad aliquid, quod per se postulet receptionem alicujus sacramenti, ita ut vi beneficii simplicis non teneatur beneficiatus recipere sacramenta. Barb. *ad cit. c. celebrat. n.* 3. Pass. *n.* 474. Sigism. à Bonon *dub.* 65. *n.* 1. Lavor. *cit. c.* 19. *nu.* 9. (qui etiam hinc deducit, eligi posse talem ad diffinitoriatum, eò quòd licet hic sit officium curatum, dum diffinitores integrantes capitulum habent jurisdictionem spiritualem ligandi & solvendi, non ordinetur tamen ad conferenda sacramenta, & potestatem Ordinis exercendam) contra Suar. *loc. cit. n.* 25.

4. Respondeo quartò: si tam electores quàm eligendus probabiliter ignorant excommunicationem, electio talis ad beneficia non simplicia non est irritanda. Host. *p.* 5. *tit. de cler. excom.* §. *qualiter puniantur in fine.* Sylv. *V. excommunicatio.* 4. *n.* 4. Peyr *loc. cit. n.* 23. Pass. *n.* 476. contra Garc. *loc. cit. num.* 20. lex enim pœnalis puniens scienter agentes (uti facit *cit. c. si celebrat*) non extenditur ad ignorantes. Tiraquel. *de pœnis temperand. c.* 14. *n.* 7. sive verò soli Electores, sive solus eligendus ignoret probabiliter excommunicationem talem minorem, cassanda est electio, quia existente scientiâ vel apud electores, vel apud electum hic verè dicitur scienter electus. Garc. *n.* 27. referens plures alios. Sa *V. excommunicatio. nu.* 33. Reginald. *l.* 32. *tr.* 1. *n.* 143. Sigism. *dub.* 65. *num.* 3. & alii, quos refert & sequitur Pass. *loc. cit.* contra Peyr *n.* 23. & Hostiens. *loc. cit.* qui id negat de casu, in quo soli eligendo nota est sua excommunicatio.

Quæstio 331. *An & qualiter suspensus sit ineligibilis vel impromovibilis ad Prælaturas Ecclesiasticas, & beneficia?*

1. REspondeo per partes, cùm suspensio respectu ministeriorum, à quibus quis suspenditur, sit multiplex. Primò suspensus simpliciter seu ab omni officio & beneficio, hoc est privatus omni administratione Ecclesiastica, sive temporalis ea sit (conveniens ratione beneficii, ut est perceptio fructuum temporalium beneficii & dispositio de iis) sive spiritualis, est ineligibilis ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas, constat ex *c. cum dilectus, de consuetud.* & *c. cùm bonæ. de æt. & qual.* Verúmque id est, sive sit denunciatus, sive non, sive notorius sive occultus; sive suspensus à jure, sive ab homine. Pass. *loc. cit. num.* 478. cum communi.

2. Secundò: suspensus ab officio simpliciter hoc est privatus exercitio utriusque potestatis, Ordinis nimirum & jurisdictionis in totum, hoc est omnium Ordinum, & omnis jurisdictionis est ineligibilis ad omne novum beneficium curatum; ineligibilis enim quis est ad illud, quod prohibetur exercere; jam vero ad beneficium curatum, utpote quod datur propter officium curæ animarum, spectat, exercere saltem potestatem jurisdictionis, quod tali prohibitum est. Pass. *nu.* 482. cum communi & certa.

3. Tertiò: taliter suspensus ab officio simpliciter est quoque ineligibilis ad quævis beneficia simplicia, etiam quibus aliud officium annexum non est, quam recitatio horarum. Etiamsi enim talis non prohibeatur inservire missæ, divinis officiis interesse, horas cum aliis cantare in choro, faceréque ea, quæ laicis permittuntur. Abb. *ad c.* 2. *de cler. excom. num.* 7. Sayr, *l.* 4. *c.* 5. *nu.* 42. *&c.* (sed & si beneficiatus aut in sacris est, teneatur recitare horas, cum suspensio sit pœna, quæ non fert punito immunitatem. Sayr *loc. cit. n.* 9. citans Ugol. &c.) sicut enim talis non potest exercere actus Ordinum minorum, ut minister ab Ecclesia ad eos exercendos ordinatus; ita etiam non potest ut minister & officialis Ecclesiæ, ab ea ad hoc deputatus, & beneficiatus, recitare horas, aliásque orationes, utpote per suspensionem talem omni spirituali administratione, & ministerio, adeóque & hoc honore ministri publici & Ecclesiastici ad laudandum per recitationem horarum Deum deputati privatus. Atque ita taliter suspensus ab officio, licèt non suspendatur à beneficio, quod habet, est tamen inhabilis ad omne novum beneficium acquirendum. Pass. *n.* 485. citans Garc. *loc. cit. c.* 14. *n.* 1. Suar. *loc. cit. d.* 26. *s.* 3. Sanch. *loc. cit. dub.* 15. Azor. Paris. & alios.

4. Quartò: suspensus tantùm ab officio aliquo particulari, seu partialiter, potest eligi ad beneficium super alio officio fundatum, quod suspensus non est prohibitus exercere, v. g. suspensus ab officio Cantoris potest eligi ad beneficium parochiale. Garc. *loc. cit. c.* 14. *n.* 58. Pass. *n.* 483. Innoc. *in c. cùm dilectus. de consuetud. n.* 4.

5. Quintò licèt suspensus ab Ordine etiam simpliciter, non sit per hoc suspensus ab usu jurisdictionis, sive ea temporalis sit, qualis est beneficiati ad administranda temporalia, fructus nimirum temporales beneficii, sive spiritualis, qualis est Prælatorum in gubernatione spirituali subditorum. D. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 2. Sayr. *de cens. l.* 4. *c.* 5. *n.* 6. & apud illum Tolet. Ugol. Felin. est tamen ineligibilis ad novum beneficium curatum (maximè prælatiram) habens annexum usum Ordinis. Peyr. *in præl. q.* 2. *c.* 5. *n.* 29. Pass. *n.* 486. secus est de beneficio non habente annexum usum Ordinis, & supponente solam primam tonsuram. Sayr. *loc. cit.* Pass. *num.* 488. ubi etiam ait: suspensum ab Ordine non esse suspensum ab Episcopatu, eò quòd nomine Ordinis in suspensione ab Ordine intelligantur solùm septem Ordines alii.

6. Suspensus ab Ordine particulari, v. g. diaconatu, non est inhabilis ad beneficium, quod non requirit usum illius Ordinis, sed alterius non prohibitum ab eo exerceri, v. g. ad beneficium subdiaconale; potest enim suspensus à diaconatu tantùm fungi officio subdiaconi. Sayr. *l. cit. n.* 29.

Pass.

Pass. *n.* 489. Quia tamen non potest sacerdos exercere hunc Ordinem celebrando, quin exerceat Ordinem diaconatûs, legendo nimirum in missa Evangelium, qui suspensus est à sacerdotio, erit etiam suspensus à diaconatu, juxta Donat. *p. 3. tr. 5. q. 15. n. 20.* Laym. *Theol. moral. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1.* apud Pass. *loc. cit.*

7. Septimò licèt suspensio à beneficio, & suspensio ab officio sint duæ diversæ suspensionis species, incursaque earum una non incurratur statim & altera, nimirum quoad beneficium correspondénsque ei officium habita; nihilominus tamen suspensus simpliciter à beneficio est inhabilis ad omne officium de novo acquirendum; sicut econtra suspensus simpliciter ab officio, simpliciter est ineligibilis ad quodvis beneficium, quia non datur temporalis præbenda sine officio, nec officium Ecclesiasticum sine temporalitate (cùm qui altari servit, de altari debeat vivere) à cujus temporalitatis administratione suspendit suspensio à beneficio. Pass. *num.* 492.

Quæstio 332. *An ergo electio suspensi sit ipso jure irrita?*

REspondeo affirmativè, de suspenso simpliciter tam ab officio quàm beneficio: secus est de suspenso ab officio tantùm, illius enim electio ad beneficium est solùm jure irritanda. Suar. *cit. d. 26. s. 3. n. 8.* apud Pass. *num.* 493.

Quæstio 333. *An, & qualiter interdictus, vel interdictum violans sit ineligibilis, aut aliter impromovibilis?*

REspondeo primò: interdictus personaliter, sive interdicto generali, sive speciali, sive à jure, sive ab homine, etiam occultus est ineligibilis non tantùm ad prælaturas, & beneficia habentia annexum Ordinem sacrum, sed etiam ad habentia annexum Ordinem minorem, aut etiam solùm primam tonsuram requirentia; qui enim est prohibitus exercere ea, quæ ad officium pertinent, est etiam ineligibilis ad officium, Argumento *c. ult. de Cleric. excomm.* interdictus autem est prohibitus exercere officia divina, quo nomine hîc veniunt ministeria propria cuique Ordini sacro. Sayr. *l. 5. c. 5. num.* 4. Pass. *n.* 496. citans plures alios, aut etiam minori, ut interdictus nec horum, nec illorum Ordinum actus sine peccato exercere valeat. Suar. *de Cens. d. 34. s. 3. num.* 9. ex Sylv. Quin & recitatio horarum, quatenus est actus muneris clericalis, & officii Ecclesiastici, & ministerii cujusdam publici, ministríque ad hoc deputati, juxta dicta *q.* 107.

2. Respondeo secundò: idem dicendum de violante interdictum personale vel locale, sive is sit vir, sive mulier; sive regularis, sive sæcularis. Abb. *in c. postulastis. de Cler. excom. n.* 5. Covar. *in c. alma Mater. §. 2. n. 2.* Suar. *l. ult. cit. n.* 14. Sylv. *v. Electio. num.* 15. Peyr. *in præl. c. 5. num.* 40. Pass. *nu.* 497. citans plures. sumitur ex *c.* 1. *de postul.* & *c. ult. de excess. prælat.* & *c. Episcoporum. de privilegio in 6.* Et de celebrante in loco interdicto habetur expressè *c. is, qui. de sent. excom. in 6.* Porrò hæc ineligibilitas, seu privatio vocis passivæ, uti & activæ, quia specialiter, & independenter ab irregularitate, quam pariter talis incurrit, lata est contra talem, (quoniam & Moniales incapaces irregularitatis hanc privationem incurrunt) independenter ab ista irregularitate est ineligibilis. Suar. *loc. cit. num.* 16.

3. Respondeo tertiò: electio violatoris talis videtur ipso jure nulla, cùm *c.* 1. *de postul.* excludatur tanquam persona indigna, & *c. is, qui &c.* dicatur ineligibilis. Pass. *n.* 501. ex Suar.

Quæstio 334. *An, & qualiter secunda ista responsio sit limitanda?*

REspondeo: ut locum non habeat Primò in non interdicto personaliter, exercente divina officia in loco interdicto quidem, sed non interdicto denunciatim & nominatim; vi enim *Extravag. ad evitanda* non est obligatio non communicandi in divinis officiis cum interdictis, aut abstinendi à sacris officiis in loco aliquo, vel arcendi aliquos ab iis, nisi locus vel personæ sint nominatim denunciatæ interdictæ. Suar. *loc. cit.* Secundò in eo, qui non scienter, vel etiam cum bona fide, licet aliqua negligentia intercurrente, violat interdictum locale. Sumitur ex *c. is, qui. de sentent. excomm.* Tertiò in eo, qui violando tale interdictum peccat solùm venialiter. Suar. *loc. cit. num.* 15. Quartò, ut non extendat se dicta privatio, aut etiam irregularitas ad facientem celebrare in loco interdicto, & ad superiorem id permittentem, cùm de his nullibi fiat mentio, nisi *in c. Episcoporum*; ubi solùm statuitur pœna interdicti ab Ecclesia, quæ pœna non est propria Clericorum, sed etiam laicos comprehendit. Suar. *loc. cit. num.* 17. Pass. *nu.* 500. contra Majol. *de irreg.*

Quæstio 335. *An, & qualiter irregularis sit ineligibilis?*

1. REspondeo: quamvis textus juris nullus adduci possit, universaliter declarans omnem irregularem ad omne beneficium esse ineligibilem, de quo vide Pass. *cit. c. 25. n. 505.* Est tamen id verum ex communi DD. sententia. Pass. *num.* 506. Innoc. *in c. cum nostris. de concess. præb.* Felin. *in c. 2. de rescrip.* Lamb. *de jurepat. l. 2. p. 1. q. 9. n. 4.* Paris. *l. 4. cons. 136. n. 20.* Barb. *in c. dudum, de elect. num. 6.* Garc. *de benef. p. 7. c. 11. n. 2.* Less. *l. 2. c. 64. num. 120.* Suar. *de Cens. d. 40. s. 2. num. 36.* Sayr. *de Cens. c. 2. num. 21.* extendens hoc ipsum ex Navar. & Zerola ad pensiones.

2. Respondeo secundò: irregularitas directè impediendo à suscipiendis Ordinibus, eorúmque usu, indirectè impedit à collatione, & receptione cujuscunque beneficii etiam simplicis. Ita ferè iidem AA. patet responsio, quoad beneficia, quibus annexus est Ordo, & Ordinis usus; ex eo enim, quòd quis prohibeatur ab uno, prohibetur etiam ab altero ei connexo. *c. translato. de constit.* Etsi autem non omnia beneficia supponant Ordinem, non tamen etiam admittunt impedimentum Canonicum ad Ordines suscipiendos, ministrandumque in illis, cùm omnia beneficia dentur intuitu Ordinum, quatenus nimirum dantur ut præviæ quædam dispositiones ad illos, ut beneficiati ex hoc disponantur ad suscipiendos Ordines, ut patet ex eo, quòd beneficia non dentur nisi habenti primam tonsuram tanquam dispositionem ad ordines. Pass. *n.* 506.

3. Respondeo tertiò: irregularitas partialis impediens usum aliquorum Ordinum tantùm, incursa sine culpa post susceptum Ordinem, impedit quidem à beneficio requirente exercitium Ordinis,

nis, à quo is est impeditus; non tamen à beneficio talem ordinem non exigente. Garc. *c.* 12. *num.* 19. Sayr. *n.* 23. Less. *loc. cit.* Suar. *n.* 39. vide dicta supra de vitiatis corpore.

Quæstio 336. *Num ergo electio irregularis sit ipso jure nulla?*

REspondeo: ita habere sententiam communiorem, & sentire ferè AA. *q. præcedente ad respons. primam* cit. contrarium tamen, & quòd solùm jure irritanda sit talis electio tenent Felin. in *c. inquisitionis. de accusat. n.* 6. & 8. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 5. *n.* 3. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 79. Castrop. *p.* 6. *d.* 6. *p.* 5. *n.* 7. Pass. *n.* 511. *& seq.* idem apud eundem ut probabile tenet Suar. Cùm nullus sit textus juris expresè irritans talem electionem; sed ad summum exstent quidam prohibentes certos aliquos irregulares promoveri ad beneficia; prohibitio autem faciendi aliquid, non irritet factum, nisi munita decreto irritante. *c. si soli. de concess. præb. in* 6to. Adeóque etiam ex regula jam aliquoties adhibita, quæ habetur. *c. fin. de cler. excom.* prohibitus exercere actum alicujus officii, est simul prohibitus eligi ad illud officium: plus non deducatur, quàm quòd electio talis sit cassanda, non secùs ac electio excommunicati excommunicatione minore prohibiti eligi. Ad hæc irregularitas sit pœna gravis, quæ uti non incurritur, nisi in casibus jure expressis, ita etiam ei tribui non debet effectus in jure non expressus. Præterea ex natura rei, & spectatâ institutione irregularitatis per se irregularis non est incapax beneficii, cùm de facto cum irregularitate stet retentio beneficii antecedenter habiti; neque etiam electus ad beneficium, etiam curatum, statim ipso facto debeat exercere actum Ordinis. Ac denique pro hac sententia hæc stet conjectura, quod Papa in collationibus absolvat à censuris, ne collatio sit nulla; non tamen super irregularitate, quod eâdem benignitate faceret, si pariter irregularitas collationem redderet nullam. Pass. *n.* 517. Peccat nihilominus talis, liberè recipiendo beneficium, quia in re gravi inobediens est sacris Canonibus; teneturque quamprimum potest petere dispensationem super irregularitate, ut plenè & dignè fungi possit officio. de cetero non tenetur in conscientia dimittere beneficium, quamvis in foro externo electio talis ad instantiam partis sit cassanda. Pass. *n.* 519.

PARAGRAPHVS II.

De morum honestate, & carentia infamiæ.

Quæstio 337. *Vtrum morum probitas seu honestas requiratur ad hoc, ut quis promoveri possit ad beneficia?*

REspondeo affirmativè; morum siquidem probitas præcipua est qualitas, quam beneficiati habere debent, quia ex ea pendet præcipuus Ecclesiæ fructus, & hinc variis textibus, nempe *c. cùm in cunctis. de elect. c. grave nimis. de præb. clem.* 1. *de ætat. & qualit.* Trid. *sess.* 24. *c.* 18. cavetur vel maximè de hac qualitate inquiri. Castrop. *de benef. d.* 4. *p.* 5. *n.* 1. Hinc etiam cùm morum honestas magis quàm literatura in beneficiatis requiratur; carens hac honestate, ita ut deditus sit gravibus peccatis cum animo in iis perseverandi, inhabilis redditur, ut ei de beneficio provideatur. Abb. *in c. dudum. de elect.* Selv. *de benef. p.* 3. *q.* 2. *num.* 10. apud Castrop. *loc. cit. n.* 2.

Quæstio 338. *Num igitur promotio talis, seu tali facta collatio (idem est de electione) sit jure ipso irrita?*

REspondet negativè Castrop. nisi delictum forte secum trahat suspensionem, excommunicationem, aut irregularitatem; peccatum enim mortale, & voluntas perseverandi in illo non impedit officium beneficio debitum exercere (sicut impedit omnimoda carentia omnis literaturæ) etsi impediat exercere licitè. hinc etsi promotio talis criminosi sit mala, non est tamen ipso jure irrita. citat pro hac sententia Castrop. Navar. *in c. si quando. de rescrip. excep.* 7. *nu.* 8. & *Miscellan. de orat.* 34. *n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *q.* 11. cùm autem collationis beneficii annullatio respectu criminosi potiùs ex jure Ecclesiastico quàm naturali proveniat ob infamiam, videndum, quænam crimina commissa reddant committentem inhabilem, infamem, & à beneficiis excluſum. Talia autem sunt, quæ habentur in *c. constituimus.* 3. *q.* 5. *c. infames.* 6. *q.* 1. de quibus vide Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *q.* 3. hæc enim crimina eo ipso, quòd quis de illis condemnatus sit, reddunt illum infamem infamiâ juris. infames autem infamiâ juris incapaces sunt beneficii acquirendi, etsi acquisito ipso jure non priventur, sed veniant privandi. Castrop. *loc. cit. n.* 3. quin &, si quis ob commissum crimen condemnatus non est, gravata tamen est ejus opinio apud viros graves & probos, nec constet apud illos de emendatione, censet Castrop. *ibid n.* 4. probabilius talem, durante hâc infamiâ facti, incapacem esse Ordinis & beneficii recipiendi, quia pro illo tempore irregularis est: ergo collatio ei facta est irrita; tum quia irregularis durante irregularitate est incapax beneficii; tum quia si contra textum *c. cùm in cunctis.* conferantur beneficia iis, qui non existunt scientiâ & moribus commendabiles electio eorum devolvitur ad Superiorem, quod non fieret, si electio seu promotio talis fuisset valida. Castrop. *loc. cit.* citans Suar. *to.* 2. *de relig. tr.* 5. *de juramento, c. ult. n.* 4. *& seq.* Paris. *de resig. l.* 4. *q.* 3. *in fine.* Dian. & alios contra Garc. *p.* 7. *c.* 8. *nu.* 39. verùm de his agendum aliquantò accuratiùs, undè

Quæstio 339. *Ad distinctius intelligenda sequentia, quid sit infamia facti & juris?*

1. REspondeo ad primùm: infamia est notitia & opinio manifestata & divulgata extrinsecus voce (fama enim à *fando* dicitur) ortâ ex rationabilibus & probabilibus conjecturis, (licèt enim necesse non sit, ut ii, apud quos delictum diffamatum & divulgatum, sint testes de visu, quia tunc non esset tantùm diffamatum, sed notorium; vel etiam, ut opinio illa ortum habuerit à pluribus testibus de visu dignis, tunc enim esset manifestum, requiritur tamen, ut ea ortum habuerit ex indiciis & conjecturis probabilibus, & sufficientibus ad hoc, ut viri providi graves & honesti opinentur ita esse, aliàs enim non erit fama, sed vox vana populi. Abb. *in c. qualiter, & quando. nu.* 19. Sylv. *V. fama.* Suar. *loc. cit.*) & habita à majore parte (ubi observat,

servat. Abb. *in c. inquisitionis. n. 6.* in majoribus criminibus majorem numerum personarum, quàm in minoribus requiri ad infamiam, & multò majorem ad infamandum personas publicas, quàm privatas) virorum honestorum, prudentum, & gravium (non enim est infamis, cujus fama læsa est tantùm apud malevolos, maledicos, pueros, mulieres vel leves personas. *c. quando & qualiter. de accusat. c. in cunctis. d.* 11. *q.* 3. Garc. *loc. cit. num.* 12. Sanch. *opusc. l.* 6. *c.* 3. *dub.* 9.) qui verisimiliter illud scire possunt ac debent, si factum est verum & divulgatum; quales ferè sunt vicini, vel multitudo eorum, quorum interest scire v. g. scholarium, Universitatis, etsi hi habitent in diversis locis civitatis, respectu delicti commissi ab uno illorum, ita tamen ut si hæc multitudo sit parva, & non tanta, quæ constituat populum (v. g. decem; populus enim ad minimùm decem homines requirit. *c. curio.* 19. *q.* 3. Sylv. *V. populus*) non sufficiat major illius pars, ut factum dicatur famosum. Suar. *cit. d.* 48. *s.* 1. *n.* 26. Abb. *in c. vestra. de cohabit.* Est itaque infamia facti ut condistincta ab infamia juris, seu legali, macula quædam moralis, independenter ab omni lege humana ad ipsum factum consurgens, & pariens de operante notitiam obscuram cum vituperatione, & reprehensione, per quam in opinione hominum persona tanquam maculata censetur indigna ad actus quosdam legitimos, dignitates & munia.

2. Respondeo ad secundum: infamia juris seu macula moralis ad factum nonnisi ex vi & institutione legis, sive scriptæ, sive non scriptæ, consurgens, & maculans in ordine ad effectus à lege intentos, describi potest, quòd sit à jure inducta privatio dominii ad famam legalem, nimirum ad eam famam, & opinionem laudabilem, honorabilem & claram, quam in hominibus supponunt actus legitimi, ut dignè, decenter, & validè exerceantur, adeóque & hoc dominio seu jure privati sunt, etiam delinquentes occultissimi, quibus nimirum hæc pœna infamiæ juris ipso facto incurrenda statuta est v. g. Sodomitæ occulti &c. infamiâ enim notantur, quos lex infamat, eo ipso quòd aliquid commiserunt. Jason in *l. cunctos populos. c. de summa Trinitate lect.* 2. *n.* 44. Garc. *c.* 8. *n.* 17. Suar. *loc. cit. n.* 14. quòd autem tales delinquentes occultos non liceat diffamare extra judicium, non est inde, quod domini famæ sint, sed quod illam de facto adhuc, quamdiu delictum occultum est, possideant, & nec latro à possessione sine injuria exturbandus sit privatâ auctoritate. Univocè itaque non conveniunt infamia facti & juris. & differt infamia juris ab infamia facti, quòd illa non dicat opinionem aliorum, nec sit necessariò quid divulgatum, eò quòd quandoque etiam occultissimi delinquentes, ut dictum, illam incurrant. Item quòd infamia facti directè & primò privet infamem possessione naturali famæ suæ; infamia verò juris dominio, adeóque infamia juris & facti simul privent dominio & possessione, non tantùm naturali, sed & civili famæ propriæ. Ex quo effectu formali primario sequitur dein alter secundarius, qui est esse inhabilem, seu impeditum ad actus legitimos, præcipuè Ordinum, Prælaturæ & dignitatis, propter excellentiam, honorem & sanctitatem suam requirentium ministrum, qui in hominum opinione sit claræ famæ & æstimationis commendabilis. Ita ferè Pass. *n.* 543. *&* 547.

Quæstio 340. *An igitur infamis infamiâ facti sit ineligibilis, & inhabilis ad Prælaturas, dignitates, beneficia, officia Ecclesiastica, illiúsque electio vel promotio, spectatâ solâ vi infamiæ facti, sit ipso facto nulla?*

1. REspondeo ad primum affirmativè. constat ex jam dictis, & sumitur ex *c. accidens. de accus. c. causatum. de simonia. c. fin. de furtis. c. cùm in cunctis. de elect. c. grave nimis. de præb. clem.* 1. *de æt. & qualit.*

2. Respondeo ad secundum negativè; infamia enim facti propriè sumpta, seclusâ institutione juris humani, gravat quidem personam, & obscurat, redditque indignam dignitatum & honorum, non quidem per modum legalis pœnæ, & impedimenti, sed ex natura rei seu naturali ratione, vel quantùm lex naturæ, aut etiam gratiæ postulat (unde nec parit irregularitatem, quæ est legale impedimentum, & sæpe pœna illata à lege ob culpam. Suar. *cit. d.* 48. *s.* 1. *num.* 11. Filiuc. *tr.* 19. *c.* 8. *n.* 204. Garc. *loc. cit. num.* 64. Pass. *num.* 535. contrà Sanch. *opusc. l.* 6. *c.* 3. *dub.* 10. *num.* 14. Bonac. *de cens. d.* 7. *q* 3. *p.* 1. *n.* 2. qui tamen, ut rectè Pass. in hoc non distinguunt factum ex naturâ rei, & factum ut stans sub lege) non tamen iniqui & scelesti jure naturali incapaces sunt jurisdictionis & potestatis, adeóque eorum quantumcunque notoriorum electio aliáve promotio, quantùm præcisè ex hac infamia facti non est irrita. Suar. *loc. cit.* Pass. *nu.* 536. quamvis tales peccent ingerendo se officiis puritatem vitæ, & morum requirentibus uti & eligentes, confirmantes, promoventes illos contra justitiam proprii officii. Tenéque hoc ipsum, etiamsi delictum sit enorme & notorium notoreitate solùm facti. Garc. *loc. cit. n.* 47. Less. *l.* 2. *c.* 34. *nu.* 12. Pass. *num.* 568. citans plures alios, constabitque meliùs ex dicendis. *q.* 108.

Quæstio 341. *An & quis dispensare possit in infamia facti?*

REspondeo: hæc infamia propriè loquendo est indispensabilis, jus enim naturæ, & dictamen rationis indispensabile prohibet infamem, manentem talem, hoc est, qui dignâ pœnitentia virtuosâque vita præcedentem infamiam non absterfit (qua sic absterfa nihil est quod impediat amplius) promoveri ad Prælaturas & officia Ecclesiastica. Pass. *n.* 540. contra Barb. *de off. Ep. alleg.* 43. *n.* 30. Navar. *c.* 27. *n.* 204. Rodriq. *to.* 1. *q.* 24. *n.* 6. Mirand. *to* 2. *q.* 8. *a.* 5. & alios docentes posse in hoc dispensare Episcopũ, & consequenter etiã Prælatũ regularem cum suis. Verùm hi AA. infamiam facti cum infamia legali confundunt; nam infamia respectu effectuum, quos parit ex lege positiva, in quibus quandoque dispensare potest Episcopus, est infamia legalis. Poterunt nihilominus Episcopi & Prælati regulares quandoque discernere, an infamia facti sit, vel non sit talis, ut impediat; utrùm sufficienter per pœnitentiam sublata. Pass. *num.* 541.

Quæstio 342. *Num infamis infamiâ juris latæ sententiæ, & ipso facto incursâ (suppono enim cum Barb.* de off. Ep alleg 43. nu. 13. *Garc.* p. 7. c. 8. n. 17. *Suar.* de cens. d. 48. n. 16. *Filiut.* tr. 19 c. 8 n. 209 *Pass.* n. 548. *& aliis contra Castrop.* l. 4. d. 4. p.

4. n. 4. *hanc pœnam incurri quandoque absque eo, quòd præcedat sententia declaratoria delicti, aut hoc sit notorium, vel etiam publicum) teneatur in conscientia abstinere etiam ante sententiam declaratoriam delicti ab actibus legitimis, ad quos illum dicta infamia inhabilitat. An verò sicut illum hæc infamia non privat actuali possessione famæ suæ, nec obligat ad diffamandum se, seu ad privandũ se possessione famæ suæ (adeò ut etiam peccet contra justitiam, qui delictum talis occultum manifestat extra judicium) ita etiam non privet eum possessione externæ idoneitatis, ad exercendos actus legitimos; sed possit ante sententiam declaratoriam delicti permotus ad officia & beneficia ea recipere, retinere & exercere, ac si infamis non esset?*

1. REspondeo: infamem ipso jure, sed occultum, adeóque non infamem infamia facti non teneri ad hoc, nec prohiberi habere se extrinsecus in hoc ut non infamem, utpote qui manet in possessione famæ suæ, retinétque jus possidendi, eáque utendi, adeóque habet extrinsecus, & possidet æstimationem illam laudabilem, quam ratio & jura requirunt ad actus legitimos, dignitates &c. cùm enim fundetur impedimentum ad ea in privatione famæ tanquam effectus secundarius, quamdiu infamiam hanc non infert, nec illud inducet. Hanc sententiam re ipsa tenet Jason. *in l. si quis major. c. de transact. n. 25.* Bursat. *cons. 14. n.* 18. Archid. & Jo. And. *in c. felicis. de pœnis in 6to. n.* 2. Sanch. *de matrim. l. 7. d. 13. n.* 1. Azor. *tom. 1. l. 8. c. 13.* Pass. *num. 555.* citans Sayr. Molin. Filliuc. &c. contra Felin. *in c. cùm non ab homine. de judiciis. num. 10.* Imol. *in c. felicis.* Suar. *cit. disp. 48. s. 1. num. 17.* in quantum censent teneri talem abstinere ab ordinatione, beneficio, Prælatura acceptandis, à testificando &c. quantum potest possessione famæ suæ salva & absque manifestatione delicti sui; eò quòd pœnæ latæ sententiæ quoad effectus merè privativos, seu non requirentes ad sui executionem actum hominis secum ferant executionem suam, nec indigeant facto alterius, non tamen teneri ad dimittendum beneficium, vel officium jam obtentum, eò quòd hic effectus pœnalis sit positivus.

2. Nihilominus cum infamis ipso jure à tempore commissi criminis sit & maneat privatus dominio famæ suæ, accedens dein sententia declaratoria criminis retrotrahenda est ad tempus commissi criminis, ita ut ab eo tempore, ipso jure nullæ sint, & fuerint electiones promotionésque aliæ illius ad beneficia, item actus ab eo gesti (exceptis ab eo actis ratione publici officii seu jurisdictionis; hæc enim sustinentur ut legitimè gesta in gratiam communis boni ex *l. Barbatius. ff. de off. prat.* Suar. *loc. cit.* Pass. *num. 554.*) item ab eo tempore censendus sit privatus esse beneficiis habitis, eorúmque fructibus, ut vel sic pœna infamiæ ipso jure lata effectum hunc habeat, ne aliàs nullum habens non distingueretur à pœna non lata ipso jure, sed solùm ferenda. Suar. *loc. cit. n.* 16. Sanch. *in sum. l. 2. c. 26. nu.* 1. Azor. *p. 1. l. 6. c. 13. post q. 8. ad 7.* Pass. *n. 553.* citans Angel. Perusin. *in auth. de incestis nupt. n. 5.*

Quæstio 343. *Num igitur ex delicto famoso, seu ex infamia facti, dum de cetero delictum non est notorium nec notoreitate juris (hoc est Ordine judiciario comprobatum & sententiatum, vel confessum in judicio) nec notoreitate facti (hoc est per evidentiam rei, quæ aliqua tergiversatione velari non possit) incurratur irregularitas?*

REspondeo: ex nullo delicto, etiamsi sit enorme & publicum (quod qualiter à notorio distinguatur, vide supra) per quod delinquens sit publicè infamis (nisi fortè sit ex iis, pro quibus in specie à jure lata est irregularitas, quale v.g. est homicidium) delinquens est infamis infamia juris aut irregularis. habetur. *c. fin. de tempor. ordin. ibid.* Gl. *c. ex tenore. t. eod. ibid.* Barb. *n. 3.* & expressiùs. *c. fin. de cohabit.* Sayr. *de Cens. l. 7. c. 12. n.* 14. Navar. *c. 25. n. 76.* Garc. *cit. c. 8. n. 64.* Pass. *n. 559.* &c. unde jam licèt quodlibet mortale diffamatum gignat infamiam facti, & hæc irregularitatem, quatenus talis ante pœnitentiam non est dignus promoveri ad Ordines & ministeria Ecclesiastica, non tamen hæc infamia parit irregularitatem propriè dictam, quæ per modum impedimenti ex se perpetui à jure inducti, arceat ab actibus legitimis; sed solùm naturaliter impedit propter dictam indignitatem, quod impedimentum, quia per pœnitentiam removeri potest, ut constat ex *cit. c. fin.* ex se temporale est.

Quæstio 344. *An ex crimine saltem enormi & digno depositione, seu cui in jure statuta est pœna depositionis notorio tantùm per evidentiam facti, cui de cetero statuta non est in specie pœna irregularitatis, incurratur infamia juris, & consequenter irregularitas propriè talis, quæ per pœnitentiam non tollitur, sed eget dispensatione?*

REspondeo negativè: scilicet tale crimen evidentia rei notorium infamare quidem naturaliter, sed non simpliciter, civiliter canonicè seu legaliter per respectum ad effectus legales ratione notoreitatis, nisi quoque sit notorium in jure, & quidem media sententia judicis, de quo paulò pòst Gl. & Innoc. *in c. testimonium. de testibus.* Abb. *in c. inquisitionis. de accusat. n. 2.* Sylv. *V. infamia. n.* 11. Jul. clar. *l. 8. sentent. §. ult. q. 21. n.* 1. Suar. *cit. d. 48. s. 2. n. 6.* Laym. *l. 1. de irreg. c. 4. num.* 10. Pass. *n. 562. & seq.* citans plures alios contra Navar. *c. 27. n. 248.* Valent. *to. 2. d. 7. q. 19. p. 3. §. 5.* Sayr. *loc. cit. n.* 12. Sanch. *opusc. t. 2. c. 2. dub.* 18. qui tamen sic limitat, ut adsit quoque infamia de perseverantia in crimine. Ratio est, quia infamia consequens crimen notorium extra judicium temporalis est, & infert impedimentum temporale, quod & quam removet pœnitentia. Responsio sumitur ex *cit. c. testimonium. c. nunquam. d. 56. c. si duo. 35. q.* 1. Unde jam clericus notoriè concubinarius, vel adulter, post peractam sufficientem pœnitentiam, vitæque emendationem absque dispensatione celebrare poterit, aliáque præstare; licèt enim tales antiquitus suspensi fuerint ipso facto. Sylv. *V. concubinarius. q. 5.* Covar. *in c. si furiosus.* apud Pass. *n. 565.* tamen hanc pœnam abrogatam consuetudine, testantur Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. num.* 11. Sayr. *l. 4. c. 15. num.* 24. Medin. Sot.

Suar.

Suar. aliique apud Pass. *loc. cit.* Porrò quanta requiratur & sufficiat pœnitentia, penes superiores erit arbitrari consideratâ qualitate personæ, delicti, pœnitentiæ; neque enim universaliter tenet, quòd ait Jul. Clar. infamiam hanc purgari emendatione vitæ per triennium. Pass. *loc. cit.* n. 563.

Quæstio 345. *An & quando ex delicto notorio notoreitate juris (accipiendo in præsente hanc notoreitatem tantùm pro eo, quòd quis ex delicto sit in judicio condemnatus) inducatur infamia juris, & irregularitas propriè talis?*

1. Respondeo: tunc, quando quis ex delicto commisso dolo malo (qui juxta Sylv. *v. culpa. n.* 1. est machinatio, calliditas, fallacia ad decipiendum alium adhibita) per judicem ordinarium damnatur pœnâ ordinariâ per sententiam definitivam, quæ transeat in judicatum. Pass. *n.* 574.

2. Ita ut non pariatur infamia juris simpliciter aut irregularitas, primò si delictum sit commissum sine dolo, etiam ex ignorantiâ crassâ. *c. infames. 3. q. 7. l. 4. ff. de his, qui notantur infamia.* Sanch. *opusc. l. 6. c. 3. dub. 6. n.* 14. Pass *num.* 569. citans plures alios. Secundò si damnatus non sit sententiâ judicis ordinarii, sed arbitri. *l. quid ergo. ff. de his. qui not. infam.* Abb. *ad cit. c. testimonium.* Sylv. *v. infamia. q.* 5 *n.* 8. Sanch. *loc. cit.* Pass. *n.* 570. Tertiò si damnatus non sit sententia definitiva, sed data solùm in contumaciam, hæc enim non infamat. Molin. *tr. 4. d. 9. num.* 5. Jul. Clar. §. *fin. q.* 44. & 72. apud Pass. *loc. cit.* Sufficiat verò ad infamandum sententia definitiva ex indiciis indubitatis seu præsumptionibus, cùm hæc interim transeat ad effectum executionis. Menoch. *l.* 1. *præsumpt.* 96. Quartò si sententia non transierit in judicatum, eò quòd fuerit interposita appellatio. Pass. *n.* 571. ubi tamen à judice, ad quem fuit appellatum confirmata fuit prior sententia, fit retroactio ad diem sententiæ. Molin. *loc. cit. n.* 4. Ugol. *de irreg. c.* 60. §. 3. Quintò si pœna sit severior ordinariâ, censetur enim tunc judex transegisse super infamia. *l. quid ergo. ff. de his qui not. infam.* & *ibidem* Bartol. Molin. *loc. cit.* Pass. *n.* 573. Item si pœna fuerit mitior ordinariâ ex causâ intrinsecâ, quia scilicet culpa fuit diminuta, nec ei debebatur integra pœna ordinaria; tum enim ex vi talis sententiæ damnatus non remanet infamis: si pœna fuit mitior ex causâ extrinsecâ v. g. quia reus erat insignis artifex. Gl. magna. *in cit. l quid ergo. ibid.* Bart. *n.* 11. Bald. *n.* 13. Gl. *in l. & si severior. c. quibus modis infam. irrog.* Pass. *n.* 572. qui etiam *n.* 574. ait, limitandam responsionem; uti si in causâ, in qua reus agit per Procuratorem damnetur reus, nec is, nec procurator remaneat infamis. Item ex *decis. Rotæ* 90. *p.* 2. apud Caputaquen. Quòd non sufficiat ad probandam hanc infamiam, probari aliquem fuisse ductum ad furcas, eò quòd quis potuerit esse ad has damnatus sine sententia definitiva. Ac denique, quòd hæc infamia probari nequeat per testes, adeóque opus sit scripturâ sententiæ juxta Lanfranc. *in c. cap. quoniam contra. de probat. n.* 72. & ex *decis. Rotæ*, quam citat.

Quæstio 346. *Quid si ergo delictum, pro quo in specie non imponitur à jure infamia sit notorium tantùm alterâ quasi specie notoreitatis juris nimirum per solam confessionem rei in judicio coram judice legitimo?*

Respondeo: hanc notoreitatem juris non sufficere ad inducendam infamiam juris, consequentésque ad illam effectus. Abb. *in c. si Clerici. de judic.* Bart. *in l. furti. de his, qui not. inf.* Sylv. Angel. Armil. *v. infamia.* Pass. *num.* 575. contra Navar. *c.* 25. *num.* 73. sed nec contrarius est Suar. *cit. s.* 1. *n.* 23. cùm is, ut patet ex *n.* 24. loquatur de casu, in quo per legem in specie pro aliquo delicto imponitur infamia ipso jure. Ratio est, quia ad incurrendam infamiam juris ex notoreitate delicti jura requirunt sententiam judicis. *l.* 1. *de his, qui not. infam. c. infames. 3. q. 7. c. vestra de cohabit.* Quod autem *c. quæsitum. tit. eod.* inter modos notorii ponatur etiam notorium per confessionem in judicio, nil obstat, cùm ibi sermo non sit de infamia incurrenda, sed de obligatione vitandi concubinarium sacerdotem, qui ut jure antiquo suspensus esset, sufficiebat etiam solum notorium facti, cùm tamen nunc ob *Extravag. ad evitanda*, ad hoc ut teneantur fideles vitare ligatum censurâ, requiratur sententia declaratoria censuræ. ita ferè Pass. *loc. cit.*

Quæstio 347. *Ex quibus pœnis, ad quas quis per sententiam judicis damnatus fuit ob culpam, & quando incurratur infamia juris, & irregularitas?*

1. Respondeo ad primum: non ob pœnam pecuniariam, sed corporalem, sive ea sit mortis. *l. capitulum. ff. de pœnis.* sive damnatio ad opus publicum, v. g. in metallum. *l. ead.* sive exilium, etiam temporale. *l. Imperator. ff. de postul.* sive damnatio ad Triremes. Barb. *de off. Episc. alleg.* 43. *num.* 15. Tusc. *v. infamia concl.* 111. *num.* 5. Farinac. *q.* 142. *num.* 165. Clar. *q.* 67. §. *fin.* Pass. *num.* 578. citans plures alios contra Ricc. *decis. Cur. Neapol. decis.* 119. Homobon. *volum.* 1. *p.* 4. *responsi.* 158. quorum sententiam probabilem putat Diana. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 83. succedit enim damnationi ad metalla, & deportationi. Abb. *in rub. de testam. n.* 4. Molin. cit. à Pass. *num.* 577. Clarum *q.* 23. sive Bannum (sive simplex illud sit, sive capitale. Bart. *in l. amissum ff. de cap. diminut.* Sylv. *v. bannitus. n.* 4. non tamen Imperiale, cùm detur, non per sententiam definitivam, sed per modum medicinalis sententiæ ad tollendam contumaciam. Bart. *loc. cit.* sive exauctoratio seu privatio militiæ. *ff. de capt. diminut. l.* 2. sive depositio ab officio. *l. aut damnum. ff. eod.* & *l. si severior. c. eod.* Item in jure can. depositio vel degradatio. Abb. *in c. cum te. de sent. & re judic. nu* 20. Sayr. *de cens. l.* 5. *c.* 22. *n.* 10. Et depositio à beneficio Gl. *in c. licet Heli. v. infamis. de simon.* Host. *ibidem.* Quamvis de hac pœna depositionis dubium esset, utrum infamet præcisè qualitate delicti, dicat Pass. *num.* 579. depositionem autem ab Episcopatu, Ordine, vel benef. ideo infamare, quia non fit, nisi ex gravissimis delictis. Abb. & Sayr. ab eo citati.

2. Respondeo ad secundum, ut pœnæ hæ per judicem latæ inducant infamiam juris, requiritur primò, ut sententia sit lata cognitâ causa ob crimen ex dolo procedens. *cap. infames 3. q.* 7. Pass. *n.* 590. Secundò, ut damnatio ad talem pœnam fiat in judicio justo & legitimo (sufficit tamen ut quis per sententiam interlocutoriam damnatus fuerit ad eas pœnas corporales; sic enim adhuc

pœna inflicta est notoria in jure. Pass. *num.* 581.) etsi contra aliquem prætendatur hæc infamia, debet de justa sententia constare, & non sufficit probari per testes eam latam esse, nec sufficit probari ductum aliquem ad furcas, si sententia non producatur. Barb. *cit. alleg.* 43. *num.* 16. ex Lanfranco supra. Tertiò, ut sit notorium, pœnam esse latam ex famoso delicto notorio, non verò ex suspicione & præsumptione tantùm, sive ut quis damnatus sit de crimine, & non ut suspectus tantùm de crimine, licet per hoc, quòd quis publicè sit pœnitentiatus ob suspicionem criminis famosi, v. g. hæresis, dum causâ hujus suspicionis fuit publica, incurratur infamia facti.

Quæstio 348. *An igitur damnatus ad pœnitentias solennes ex crimine famoso sit infamis, & irregularis, ita ut peracta pœnitentia maneat irregularis?*

REspondeo affirmativè. Barb. *loc. cit. n.* 6. Lavor. *de elect. c.* 16. *n.* 114. Alterius *de cens. to.* 2. *d.* 16. *de suspens. c.* 1. Majol. *de irreg. l.* 3. *c.* 2. *num.* 4. Pass. *n.* 583. quamvis hic dicat pœnitentiam publicam non semper infamare.

Quæstio 349. *Num ex delictis, pro quibus in specie lata est infamia juris ipso jure incurrenda notoriis per evidentiam facti incurratur irregularitas, teneaturque talis in conscientia se habere ut irregularem, & abstinere ab actibus legitimis ante sententiam declaratoriam judicis?*

REspondeo negativè. Pass. *n.* 586. si enim confiscatio bonorum temporalium, etiam ipso jure lata, licet delinquentem privet bonorum dominio, non tamen in effectu eum spoliet, nisi præcedat sententia, multò minus infamia ipso jure lata publicè, civiliter & legaliter spoliabit eum fama ante sententiam, etiam declaratoriam criminis. Nec obstat, quòd ubi delictum ita notorium est, ut nulla tergiversatione celari possit, delinquens jam amisit famam suam, seque ea spoliavit. Nam ut bene Pass. *loc. cit.* vel sic amisit eam quasi naturaliter, ad libitum tamen per pœnitentiam recuperabiliter; unde nec in perpetuum est exclusus ab Ordinibus & dignitatibus: cùm interim infamia legalis privet fama irrecuperabiliter, dejiciendo à statu reputationis, & honoris in perpetuum. Neque obstat *c. quæsitum. de temp. ordin.* dum enim dicitur sacerdotes peccantes non debere impediri ab exercitio Ordinis, nisi vel ob homicidium, vel ob crimina ordine judiciario comprobata, aut aliàs notoria: *tò alias notoria* non importat notorium facti, sed juris; innuitur enim omnis modus seu species notorii juris, consurgens vel ex testium depositione, vel ex indiciis indubitatis, vel ex confessione rei, ita tamen, ut licèt ex his ipsis jam crimen habeatur notorium, respectu judicis, ut is sententiet, respectu tamen populi, & ad effectum incurrendi infamiam apud populum spoliandique aliquem in effectu perpetuò fama sua, semper complementum notorii habeatur ex sententia transeunte in judicatum. de quo vide Pass. *n.* 587. & 588. Sed & dato dictas particulas extendi ad notorium facti, adhuc nihil contra responsionem, quia *cit. c.* non habetur pœna ipso jure lata, sed solùm ferenda, dum dicitur, quòd sint impediendi.

Quæstio 350. *Num accusatus in judicio, non sententiatus, sit per hoc infamis, & ideo ineligibilis?*

1. REspondeo primò talem nequidem per hoc infamatum infamia facti, nisi talis defamatus jam esset ex probabilibus motivis apud viros graves & bonos. Host. & Jo. And. *in c. meminimus. de accusat.* Felin. *in c. omnipotens. t. eod.* Barb. *cit. alleg.* 43. *n.* 14. Garc. *p.* 7. *n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *q.* 4. Pass. *num.* 591.

2. Respondeo secundò: Licet talis accusatus esset infamis infamia facti, adhuc promotio talis non esset ipso jure nulla; nam *c. laici d.* 33. *c. ult. de test. c. omnipotens. de accusat.* aliisque similibus juribus dicitur solùm, quòd accusati promoveri non debeant; non autem quòd promotio talis sit ipso jure irrita. Quin & ubi electus acquisivit jus ex electione, non potest ex infamia ista facti cassari electio, nisi post factam inquisitionem de qualitate infamiæ, & veritate delicti, an fuerit confessus, vel convictus notoreitate facti, aliisve probationibus sufficientibus ad condemnandum, vel saltem cassandam electionem. Pass. *num.* 395. *in c. tantis. dist.* 81. vide Eundem. *c.* 33. *de elect.*

3. Respondeo tertiò: quasi per compendium jam dictorum de infamia: infames itaque infamia facti ex delicto etiam notorio non debent eligi, electio tamen eorum non est ipso jure irrita, licèt sit cassanda, dum sufficienter constat de delicto. Infames infamia juris, si non sunt declarati per sententiam, licèt non debeant eligi, electio tamen eorum non est irrita ipso jure, & si confirmetur, antequam electus decernatur infamis, electio rectè est confirmata, licet delinquens juxta conditionem delicti postea puniri possit, etiam privatione dignitatis. Sed si infamia est latæ sententiæ, electio infamis est ipso jure nulla, quamvis ante declarationem sit tolerata ab Ecclesia, & ideo acta per talem electum, & confirmatum valent ex titulo publici officii; sed per subsequentem declarationem criminis, infamantis ipso jure ruit electio & confirmatio, irritáque erunt omnia electi acta privata, & non provenientia ex officio. Sed siquis infamis eligatur post sententiam declaratoriam criminis, cui annexa est infamia ipso jure, electio prorsus nulla est, & non tolerata, & omni effectu carens, ita ferè verbotenus Pass. *n.* 595.

PARAGRAPHVS III.

De Bigamia & servitute impedientibus promotionem ad beneficia.

Quæstio 351. *In ordine ad sequentem conditionem, quæ est non esse bigamum, quid sit, & quotuplex bigamia?*

1. REspondeo ad primum: est reiteratio nuptiarum consummatarum, seu divisio carnis in plures successivè uxores, inducens irregularitatem non ob culpam (licita enim est trigamia. *c. aperiatur s.* 1. *q.* 1. & nec Christus septemviram damnavit, ut inquit Zoës. *ad tit. de bigamis non ordin. n.* 1.) Sed quia tale secundum matrimonium con-

consummatum patitur defectum in significatione sacramentali, matrimonio aliàs propriâ, quâ nimirum juxta Apostolum *ad Ephes. 3.* significat arctissimam Christi per incarnationem conjunctionem cum Ecclesia tanquam unica sponsa, eáque virgine ab alio non assumpta; hanc enim, cùm per illud dividatur caro in plures, repræsentare aptum non est.

2. Respondeo ad secundum: esse triplicem, veram, interpretativam, similitudinariam.

Quæstio 352. Quid sit bigamia vera?

1. REspondeo: vera est, dum quis successivè cum duabus validè contraxit, & cum utraque consummavit matrimonium. *c. fin. d. 26. c. debitum. de bigamis non ord.* sive utramque ante, sive unam ante, & alteram post, sive etiam utramque post baptismum duxerit. Sanch. *de matr. l. 7. d. 83. n. 9.* Suar. *de cens. d. 49. s. 6. nu. 10.* cùm ex una parte hæc irregularitas non sit inducta in pœnam alicujus delicti, adeóque non remittatur per baptismum: ex altera verò parte etiam matrimonium contractum ante baptismum, licet non sit sacramentum, aptum tamen sit ex institutione sua significare (etsi minùs perfectè, ac dum est sacramentum) conjunctionem illam Christi, adeóque iteratum patiatur illum defectum hujus significationis. Sanch. *loc. cit. num. 14.* Pirh. *ad tit. de Bigam. non ordinand. n. 6. & 7.*

2. Unde jam ad hanc, uti & ad omnes alias bigamiæ species requiritur copula carnalis cum pluribus (sine qua matrimonium nullum aptum est significare illam Christi cum Ecclesia conjunctionem, adeóque nec pati dictum significationis defectum. Pirh. *ad tit. de bigam. non ord. n. 1.* nec consequenter inducere irregularitatem. Sanch. *de matr. d. 83. num. 4.*) eáque perfecta per commixtionem corporum, seu immissionem seminis (per quam solam consummatur matrimonium, ac demum vir & mulier fiunt una caro. Sanch. *loc. cit. num. 6.*) ita ut sine hac perfectione copulæ in foro conscientiæ non inducatur bigamia, aut irregularitas; secùs ac in foro externo propter perfectæ copulæ præsumptionem. Zoës. *ad eund. tit. n. 3.* citans Sanch. *loc. cit.* & Avilam *de Cens. p. 7. d. 8. dub. 1.* Requiritur secundò ut plures cognoverit uxores; ex eo enim, quòd plures habuerit & cognoverit concubinas sive ante, sive in, sive post matrimonium, non contrahitur bigamia; ejúsque irregularitas. *c. quia circa. de big.* cum tale matrimonium adhuc sit maritalis conjũctio unius viri cum unica ab alio non assumpta, & divisio quidem carnis in plures, sed non affectu maritali, adeóque non patiatur defectum memoratæ significationis; per fornicariam verò conjunctionem significari non possit conjunctio Christi cum Ecclesia, adeóque in hac locum habere nequeat defectus ille significationis. Pirh. *num. 4.* citans Sanch. *l. 7. de matrim. d. 83. num. 3.* Nec obstat, quòd concubinatus sit signum majoris incontinentiæ; cùm adæquata & primaria ratio, cur bigamus sit irregularis, & removeatur ab Ordinibus non sit incontinentia, sed defectus, quem patitur in significatione sacramentali matrimonium secundum. AA. iidem cum communi. Quamvis etiam matrimonium initum cum pluribus, quatenus inducit vinculum indissolubile, & stabile perpetuum, sit signum incontinentiæ magis diuturnæ, firmiúsque inhærentis. Vivian. *in ratione juris Pontif. ex* D. Thoma.

Quæstio 353. Quid sit, & quot modis contrahatur bigamia interpretativa?

1. REspondeo: est ea, quæ per juris interpretationem & fictionem censetur talis, etsi reipsa non sit reiteratio matrimonii. Pirh. *num. 8.* Contrahitur quatuor modis. Primò dum quis in uxorem ducit, & cognoscit viduam à priore viro suo cognitam, (secùs si ducat à priore viro incognitam, vel alteram post priorem à se incognitam. sumitur *ex c. debitum. de bigam. non ord.*) aut etiam non viduam, prius tamen corruptam ab alio (secùs si ducat à se tantùm extra matrimonium cognitam. *cit. c. debitum.* Sanch. *loc. cit. num. 14.* cùm mulier talis non diviserit carnem in plures; quin & matrimonium cum illa retrotrahatur, seu fingatur initum tempore, quo deflorata fuit, adeóque talis per jurisfictionem censeatur virgo. Sanch. *loc. cit.* & textus *c. unici. de cler. conjug. in 6.* Requirens ad evitandam bigamiam, ut ducta in uxorem sit virgo, in dicto sensu solùm id requirat, nimirum ut non sit corrupta ab alio. Gloss. *in cit. c. debitum. v. divisit.* Pirh. *num. 11.*) *c. maritum. d. 33. c curandum. c. præcipimus. c. siquis viduam. 13. & 15. d. 34.* censetur enim talis divisisse carnem suam in plures ex eo, quòd per copulam maritalem fiat una caro cum ea, quæ verè carnem suam divisit in plures. Sanch. *loc. cit. d. 84. n. 1.* apud Pirh. *num. 8.* Tenétque idipsum, etiamsi vir ignoraverit esse viduam, vel ab alio corruptam; aut etiam mulier per vim fuerit corrupta: quia, ut dictum aliquoties, irregularitas bigamiæ non oritur ex culpa vel infamia personæ, sed ex defectu significationis sacramenti matrimonii. Sanch. *loc cit. num. 15.* Pirh. *num. 10.* Porrò cur potius incurratur hæc bigamia interpretativa ab eo, qui ducit corruptam, quàm ab eo, qui corruptus cum pluribus sine affectu maritali ducit virginem. Vide Suar. *de Cens. d. 49. s. 3. num. 9.* Sanch. *loc. cit.* Pirh. *num. 13.*

2. Secundò, dum quis, quam duxit virginem, postquam adulterata est, cognoscit carnaliter. *c. si cujus. d. 34.* etiamsi ignorarit fuisse adulteratam, aut vi oppressam ab adultero. Sanch. *loc. cit. num. 17.* Pirh. *num. 14.* cum communi.

3. Tertiò, dum Clericus post primam uxorem, quã duxit virginẽ, sacros Ordines suscepit, & dein aliam duxit invalidè, & affectu maritali cognovit; Etsi enim talis bigamus non sit reipsa (cùm enim secundùm illud matrimonium nullum sit, adeóque nec sacramentum, non potuit pati defectum significationis sacramenti) habendus tamen est quasi bigamus, & est irregularis propter affectum intentionis cum opere subsecuto; quia nimirum, quantum in ipso fuit, voluntariè secundùm matrimonium contraxit, & consummavit. *c. nuper. de bigam. non ord.* Licet autem in hoc casu expresè solum de Clericis in sacris constitutis sit sermo, extenditur tamen idem etiam ad Clericos in minoribus tantùm constitutos, quin & ad laicos, ut & ni interpretativè sint bigami, & hinc irregulares dum duo contraxerunt matrimonia, unum de jure seu validè, alterum de facto seu attentatum, hoc est invalidè (sive primum fuerit invalidum, & secundum validum; sive primum validum, & secundùm invalidum. Pirh. *num. 16.* citans Avil. *d. 8. dub. 1. not. 2.*) Sanch. *loc. cit. num. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. num. 5.* Pirh. *loc. cit.* cum communi. Licet enim aliàs non incurratur irregularitas, nisi in casibus in jure expressis, hic tamen casus satis

intelligitur expressus cit. *c. nuper*, utpote generali ratione ibi expressâ cadente quoque in laicos. Fagn. *in c. ult. de bigam. non ord. n.* 44. Pirh. *loc. cit.* contra Laym. *loc. cit. c. 6. num. 5. & in c. nuper. n.* 4. eò quòd constitutio illa *c. nuper.* facta sit in odium talium, Clericorum constitutorum in sacris, ideóque strictæ interpretationis. Qui tamen etiam fatetur, in praxi tales, etiam laicos, habendos esse pro bigamis & irregularibus, eò quòd licet irregularitates aliquæ, & censuræ jure scripto expressæ non sint, per diuturnam tamen universalis Ecclesiæ consuetudinem, præsertim accedente auctoritate, & consensu DD. introduci possint.

4. Quartò dum quis duo contraxit matrimonia de facto, hoc est ambo invalida propter eandem rationem. Sanch. *loc. cit.* Suar. *loc. cit. s.* 2. *num.* 11. Navar. *in man. c.* 27. *num.* 295. quantùm enim est ex parte & intentione, talis utrumque matrimonium contraxit, adeóque quantum est ex parte talis, significatio sacramenti deficit in secundo. Pirh. *num.* 17. Præter hos modos incurri bigamiam interpretativam vult Suar. *loc. cit. sect.* 3. *n.* 3. dum quis semel tantum matrimonium contraxit invalidè cum vidua vel corrupta ab alio. Idem sentire videtur Fagn. *ad c. ult. de bigam. n.* 40. *& seq.* dum tenet Clericum constitutum in sacris (idem extendit ad laicum impeditum impedimento dirimente) adeóq; invalidè contrahentem cum vidua, vel alia prius corrupta ab alio, potiùs incurrere bigamiam interpretativam, quam similitudinariam, ex eo, quòd non ob defectum significationis sacramenti, adeóque non propterea, quod ad similitudinem veri bigami celebravit duplex matrimonium, unum spirituale cum Christo per votum continentiæ, alterum carnale, ut cum Navar. volunt alii, sed propter affectum intentionis, quâ quantum est de se contraxit cum vidua vel corrupta matrimonium, subsequente copulâ, incurrit irregularitatem. Contrarium sentientibus Sanch. *loc. cit.* Avila *loc. cit. dub.* 1. §. *sequitur secundò. &c.* eò quòd id nullo jure expressum sit, uti & propterea plures aliæ bigamiæ interpretativæ species, quas aliqui afferunt, saltem in praxi tenendæ & observandæ non sunt. Pirh. *n.* 18. vide Laym. *ad c. nuper. num.* 4. De cætero tamen modo quarto & tertio non contrahitur interpretativa bigamia, dum utrumque matrimonium, vel in priori casu unum invalidum contrahitur bonâ fide, seu cum justa ignorantia impedimenti dirimentis, eò quòd hæ duæ species bigamiæ non ob defectum significationis sacramentalis, sed ob delictum incurrantur. Sanch. *loc. cit. num.* 6. quem sequitur Pirh. *loc. cit.* contra Suar. *loc. cit. num.* 8. satis probabiliter sentientem contrarium, eò quòd velit incurri in his casibus bigamiam, non quidem ob culpam, sed propter publicum signum incontinentiæ, vel ob similitudinem defectûs significationis sacramenti. Item non incurruntur hæ species bigamiæ, dum alterum matrimonium contrahitur fictè, seu absque consensu, eò quòd deficiente hoc consensu, copula dein (quod tamen requiritur ad bigamiam. Arg. *c. nuper.*) non habeatur affectu maritali. Avila *loc. cit. dub.* 1. §. 2. apud Pirh. contra Suar. *num.* 10. qui putat sufficere exteriorem illum consensum, qui nunquam deficit.

Quæstio 354. *Quid sit bigamia similitudinaria?*

Respondeo: ea est, dum Clericus in sacris constitutus, vel etiam religionem professus cum unica virgine invalidè contrahit matrimonium secutâ copulâ. *c.* 1. *&* 2. *qui Clerici v. voventes matrim. celeb. possint. c. Sane. de Cler. conjug. & c. quotquot.* 27. *q.* 1. Ratione hâc similitudinariâ in hoc consistente, quòd astrictus voto solemni castitatis emisso in professione, vel susceptione Ordinis, censeatur similitudinario, seu spirituali quodam matrimonio cum Christo & Ecclesia conjunctus, adeóque si postea invalidè ducat aliam licet virginem propter affectum ad alias nuptias cum secuto opere carnali, & vel hinc propter similitudinem quandam cum vero bigamo habeatur irregularis, quidquid sit de nomine, utrum hæc irregularitas in SS. Canonibus expressa vocanda sit bigamia similitudinaria ob dictam similitudinem cum vera, ut vult Sanch. *loc. cit. d.* 85. *num.* 5. sive non; eò quòd dum ea irregularitas exprimitur in jure, nulla fiat mentio bigamiæ, ut vult Laym. *cit. c.* 6. *n.* 6.

Quæstio 355. *An ergo bigami tam interpretative & similitudinariè, quàm verè tales sint ineligibiles & impromovibiles?*

Respondeo affirmativè: sunt enim irregulares, & prohibentur suscipere Ordines, & in susceptis ministrare. *c.* 2. *& seq. d.* 26. *cap. præcipimus. & seq. d.* 34. *c. unico. de bigamis. in* 6*to.* Vide Laym. *cit. c.* 6. Suar. *de Cens. d.* 49. *s.* 5. *nu.* 3. Intelligendum idipsum etiam de Clericatu, ita ut Clerici fieri nequeant. *c. siquis viduam. d.* 50. Laym. *ad c.* 1. *de bigam. num* 3. Quin & bigami (non tantum veri, sed & interpretativè tales; etiam citra extensionem textûs, cùm & de iis agatur *cit. c. quisquis.* Zoes. *de bigam. n.* 15. Pirh. *num.* 23. Suar. *loc. cit. num.* 5. ubi tamen addit in materia odiosa contrariam opinionem, quæ favorabilior est, practicè servari posse, maximè, quoad pœnam privationis omnis privilegii clericalis, quæ extendi non debeat ad bigamos latè & impropriè tales, & ita tenet Fagn. *in c. ult. de big. num.* 22. *& seq.*) hoc ipso, seu ipso facto, nullâ consuetudine contrariâ obstante, carent omni privilegio clericali. *c. quisquis. d.* 84. *& c. unico. de big. in* 6*to.* ita ut tonsuram, & habitum clericalem deferre prohibeantur sub anathemate (intellige sententiæ non latæ, sed ferendæ. Pirh. *num.* 23.) sintque subjecti jurisdictioni fori sæcularis, & immunes ab excommunicatione eos percutientes, *cit. c. quisquis. & c. unico.* Gl. *ibid. v. omni privilegio.* Quod tamen locum habet tantùm in Clericis positis in minoribus tantùm *cit.* Glos. Clerici enim in sacris constituti, donec degradentur, non privantur clericali privilegio, sed gaudent habitu & tonsurâ, privilegio fori & canonis, idque ob reverentiam SS. Ordinum. Zoes. *loc. cit.* Suar. *loc. cit. num.* 7. Neque etiam per bigamiam similitudinariam amittuntur privilegia clericalia, etiam respectu Clericorum constitutorum tantum in minoribus. Suar. *loc. cit.* Pirh. *num.* 24.

* * *
* *
*

Quæstio

Quæstio 356. *Num Papa dispensare possit in omni bigamia, quoad ordines & dignitates?*

REspondeo affirmativè: potest enim Papa dispensare in omni jure Ecclesiastico, etiam ab Apostolis auctoritate solùm humanâ constituto. *c. proposuit. de conces. præb.* jam autem ista irregularitas, & inhabilitas ad Ordines annexa bigamiæ non est de jure naturali, aut divino; Apostolus enim 1. *ad Timoth.* 3. non auctoritate divinâ, tanquam Apostolus promulgando jus divinum, sed tantùm tanquam Episcopus, & pastor Ecclesiæ condendo legem Ecclesiasticam statuit, ut non creentur Episcopi (quo nomine comprehenduntur quoque ibi presbyteri & Diaconi. Pirh. *n.* 27. cum communi.) nisi Monogami, seu unius uxoris viri Sanch. *de mar. d.* 86. *n.* 6. dum autem *c.* 2. *de big.* dicitur: *non licet contra Apostolum cum bigamis dispensare, ut promoveri possint ad Ordines:* non impossibilitas, sed tantùm difficultas hujus dispensationis innuitur, ita ut rarò, & non nisi ex gravissima causa liceat dispensare contra hanc Apostolicam, & in tota Ecclesia receptam traditionem. Suar. *de cens. d.* 49. *s.* 6. *n.* 6. Quamvis quoad Ordines minores cum bigamo facilius dispensari possit, & soleat. Pirh. *loc. cit.* Nec obstat, Papam supplere non posse defectum significationis sacramentalis, ea enim suppletio, vel etiam significatio necessaria non est, sed sufficit tolli irregularitatem ex hoc defectu ortam. Zoës. *de bigam. nu.* 16. cum communi.

Quæstio 357. *An idem possit Episcopus?*

1. REspondeo: Episcopum cum bigamis veris & interpretativis dispensare non posse quoad Ordines sacros. *c.* 2. *de big.* Gl. *ibid. v. dispensare.* cum communi. Sed neque quoad minores aut primam tonsuram, vel beneficium simplex. Nav. *cit. c.* 27. *n.* 197. Suar. *loc. cit. n.* 4. Garc. *de benef. n.* 7. *c.* 6. *n.* 5. Laym. *cit. c.* 6. *num.* 7. *& in c.* 2. *de big.* Barb. *alleg.* 49. *n.* 25. Piasec. *in praxi. p.* 1. *c.* 1. *n.* 10. Pass. *c.* 27. *nu.* 66. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 62. & alii apud Fagn. *in cit. c.* 2. *nu.* 29. contra D. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 3. *a.* 3. Sylv. *q.* 6. *v. bigamia.* Sanch. *cit. d.* 86. *n.* 11. Avil. *de cens. d.* 8. *dub.* 4. *concl.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 20. *q.* 2. Sayr. *l.* 6. *c.* 6. *num.* 11. Mirand. & plures alios apud Pass. quorum sententiam Pass. dicit eo tempore, quo scripsit S. Th. fuisse communem, veram & certam, etiam quoad subdiaconatum, eò quòd is tunc necdum inter Ordines sacros numeraretur. Adhuc probabilem censet Suar. *n.* 5. & in praxi servare posse, ubi usu recepta. Verùm probatur responsio ex *c. confidat. d.* 50. ubi prohibetur, ne quisquam Pontificum, seu Episcoporum bigamos applicet divinis ministeriis servituros. Sed neque jure communi Episcopus dispensare potest in decreto Concilii Generalis, vel juris Pontificii, nisi in casibus jure expressis, bigamos autem excludendos esse ab omnibus Ordinibus etiam minoribus, & clericatu, si non lege Apostolicâ, saltem in Concilio Nicæno decretum est, ut refertur *c. cognoscamus dist.* 34. Neque ullibi in jure reperitur concessum Episcopis, ut possint cum bigamis dispensare quoad Ordines minores, vel Clericatum. Et detur id concessum à Martino V. vi *c. lector. dist.* 34. ut volunt adversarii (cùm tamen dictum *c.* non sit Martini V. ut à Gratiano inscribitur, sed Martini Braccarensis Archiep. ut ostendit Suar. *loc. cit.*) fuisseque (ut ex illo textu colligi videtur) consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, ut Clerici, qui viduam uxorem duxerunt, in Clero permitterentur, imò postulante necessitate ad subdiaconatum, non tamen ultra promoverentur; detur id inquam; huic consuetudini, & concessioni satis derogatum est per posteriores Canones. *c. ult. c.* 2. *& c. nuper. de big. in 6to.* Fagn. *in cit. c.* 2. *num.* 33. *& seq.* & per Trid. *sess.* 23. *c.* 17. prohibens tales Clericos ministrare ex officio, & vi Ordinis in minoribus ordinibus. Laym. *cit. c.* 6. *n.* 7. (unde nec Episcopum posse cum bigamo dispensare, ut in susceptis Ordinibus minoribus ministret, etiam mortuâ uxore, cum Suar. tenet Pass. *n.* 67. Barb. *de off. Episcopi. alleg.* 49. *n.* 25. & alii, contra Nav. Valent. Rodriq. &c. apud Pass.) sacra item Congregatio habita 30. Junii 1589. declarante, & Sixto V. approbante, ut referunt Garc. Barb. Dian. *loc. cit.* Episcopum non tantùm non posse dispensare cum bigamo, ut possit accipere primam tonsuram, & beneficium simplex, sed in pœnam suspendendum à collatione Ordinum, & promotum ab executione eorundem; imò hunc fructus non fecisse suos. Tenentque hæc ipsa juxta Fagn. *ad c.* 2. *de bigam. non ord. num.* 40. *&* 41. etiam, dum de cetero adest justa causa dispensandi (qualis in omni dispensatione in lege Superioris adesse debet) v. g. Ecclesiæ utilitas, vel necessitas ob ministrorum penuriam, & facilis sit ad Pontificem accessus; contrarium sentientibus in hoc casu Sanch. *cit. d.* 86. *n.* 14. & Barb. *alleg.* 49. *n.* 25. apud Pirh. *n.* 31. illis consentientem, dum causa valde gravis, & Pontifex adiri non potest. Tenent item juxta Suar. *loc. cit. n.* 9. Turrecrem. *in c. lector. d.* 34. Zoës. *de big. n.* 19. Pass. *loc. cit. n.* 68. Dian. *loc. cit.* in bigamia interpretativa consurgente ex delicto v. g. ex duplici matrimonio invalido, vel uno valido & altero invalido (etiamsi delictum occultum sit, eò quòd licet Trident. *sess.* 24. *c.* 6. concesserit Episcopis facultatem dispensandi in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio, intelligi tamen possit Trid. de iis irregularitatibus, quæ ex genere suo sunt ex delicto, non verò ex bigamia, quæ per se est ex significatione, & quatenus ex delicto est, per jura æquiparatur ei, quæ est ex delicto. Pass. *n.* 68.) contrarium sentientibus Barb. *loc. cit.* Sanch. *loc. cit. nu.* 12. Præpos. & aliis apud Pass.

2. Respondeo secundò: potest tamen Episcopus etiam quoad Ordines majores dispensare cum bigamo similitudinario (etiam religioso. Suar. *loc. cit. n.* 7. Sanch. *n.* 22. Laym. *cit. c.* 6. *num.* 6. Pirh. *num.* 31.) modò hic pœnitentiam egerit, & laudabilem vitam duxerit. sumitur ex *c.* 1. *& c. sane. de cler. conjug.* Gl. *ibid.* præsertim, si religionem ingredi velit. *c.* 2. *tit. eod. juncta Gl. v. castitatem;* non enim hæc irregularitas tollitur per ingressum vel professionem religionis. Suar. *loc. cit. n.* 16. dispensare tamen nequit cum Clerico sæculari post susceptos sacros ordines, vel cum religioso ducente invalidè & cognoscente viduam; sive dicatur hæc bigamia interpretativa, sive ad similitudinariam revocetur; quia talis dicitur irregularitatem contrahere indispensabilem. *c. fin. de big. non ord.* Sanch. *loc. cit. n.* 20. Suar. *cit. c.* 6. *n.* 7.

Quæstio 358. *Num Prælati religiosi dispensare possint cum suis subditis regularibus in bigamia?*

REspondeo: nequidem quoad Ordines minores, id eos posse in bigamia vera & interpretativa, etiamsi exempti sint, & aliàs privilegiati; nullibi enim in jure reperitur talis illis concessa facultas. Quin & in privilegiis mendicantium ordinariè excipitur bigamia. Barb. *loc. cit. n.* 28. Tamb. *de jure.* Abb. *to.* 2. *d.* 17. *q.* 3. *num.* 2. Dian. *loc. cit. resol.* 63. Pass. *n.* 77. Mirand. *to.* 2. *q.* 8. *a.* 14. Sigism. à Bon. *de elect. dub.* 68. *p.* 2. Ubi etiam monet, quòd licet non esset improbabile apud aliquos, posse id Prælatos regulares quoad Ordines, improbabile tamen esse id eos posse quoad dignitates. idem tenet Pass. *loc. cit.* De cetero ii, qui quasi Episcopalem jurisdictionem in suos subditos regulares habent, ut Generales, Provinciales, Abbates, Priores exempti &c. dispensare cum suis possunt in bigamia similitudinaria. Suar. *loc. cit. n.* 16. cùm Prælati regulares possint cum suo subdito dispensare tantum, quantum Episcopus cum suo. Pass. *n.* 71. ubi etiam ait, non posse regularem exemptum, etiam de licentia suorum Superiorum, se subjicere Episcopo pro petenda hac dispensatione, maléque facturum superiorem, si talem ei licentiam concederet, nisi fortè esset gravis necessitas, & Superior adiri nequiret. Porrò quæ dicta hucusque de dispensatione cum bigamis, obtinent, etiamsi sint trigami, vel etiam quatuor, aut plura matrimonia contraxerint, cùm sit eadem irregularitas. Sanch. *loc. cit. n. ult.* Navar. *consil.* 2. *de bigam.*

Quæstio 359. *Num servi seu mancipia, antequam libertate donati, sint eligibiles, vel aliâ viâ promovibiles ad beneficia Ecclesiastica?*

REspondeo: negativè, nequeunt enim promoveri ad Ordines, etiam minores & primam tonsuram. *c.* 1. & *c. consuluit. de servis non ord.* idque tum ob dignitatem clericalem, & vilitatem servilem. *c. generalis.* & *c. admittuntur. d.* 54. tum quia, cùm per Ordinis susceptionem homo divinis officiis mancipetur, debet esse sui juris, ut liberè possit Ecclesiæ ministerio vacare. *cit. c.* 1. Porrò ut quis promoveri possit ad Ordines, sufficit esse libertinum, hoc est ex justa servitute manu missum, & non requiritur ut sit ingenuus, hoc est liber natus. Pirh. *de servis non ord. n.* 1. cum communi.

Quæstio 360. *Quid, si ergo servus non donatus libertate ad Ordines tamen jam pervenerit?*

1. REspondeo primò: si sciente & non contradicente Domino initiatus est ordinibus, vel etiam solâ tonsurâ, hoc ipso fit liber. *c. si servus. d.* 54. Gl. & Abb. *in c.* 2. *de servis non ord.* Suar. *de cens. d. ult. s.* 3. *n.* 5.

2. Respondeo secundò: si ignorante Domino ordinatus fuit tantùm minoribus, manet servus, & Dominus eum vindicare potest. *c. de servorum. t. eod.* Suar. *loc. cit. n.* 10. intelligiturque *regula juris.* 51. *in 6to.* quòd semel Deo dicatum est, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum: de re inanimata tantùm, utpote cujus consecratio est merè materialis, & in superficie, & ideo à manu profana tractari non debet, quæque aliàs facilè compensari potest, & in qua dolus locum non habet; servi verò consecratio per Ordines minores est valde imperfecta, & ei fraus, dum sine consensu domini permittit se ordinari, patrocinari non debet. Gl. *in c.* 2. *d.* 54. Host. *in sum. n.* 7. *de servis non ord.* Suar. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: si ignorante vel contradicente domino suscepit diaconatum (idem dic de subdiaconatu, utpote qui hodiedum inter sacros quoque ordines numeratur. Suar. *loc. cit. n.* 13.) ab Episcopo sciente illum servum esse, servus efficitur liber; Episcopus autem (vel si is servum ignoravit, qui testimoninm perhibuit, & supplicavit, ut ordinaretur) tenetur Domino duos servos æquè bonos vel duplum pretium solvere. *c. si servus. de serv. non ord.* Suar. *loc. cit.* Si verò tam Episcopus quàm præsentans justè ignorârunt, illum esse servum, & ipse à nullo inductus ordinatus sit, debet Domino dare similem servum, vel ex proprio peculio pretio oblato se redimere; vel si neutrum præstare potest reddendus est Domino, & is intra annum eum ad servitutem revocare potest, quod si fecerit, servus manet privatus usu Ordinum, & Clericali privilegio fori. *c. ex antiquis. d.* 54. juncta Gl. nec licèt ei habitum aut tonsuram clericalem deferre. Tol. *in sum. Cas. l.* 1. *c.* 59 *num.* 10. apud Pirh. *n.* 7. non tamen privatur privilegio Canonis; ita ut sine sacrilegio (etiam à Domino, quod tamen negat Turrecrem. *in c. nulli. d.* 54.) verberari non possit. Gl. *in cit. c. nulli.* Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 14. *num.* 5. Pirh. *loc. cit.* Quòd si dominus per annum, postquam scivit servum esse ordinatum, dissimulet, censetur eum plenâ libertate donare. Arg. *c. si servus.* Suar. *loc. cit.* Pirh. *n.* 4.

4. Respondeo quartò: si ignorante aut invito domino ordinatus est sacerdos, non potest iterum in servitutem revocari, etiamsi domino integrè satisfacere nequeat, sed cogitur solùm amittere peculium suum quoad usum illius. *cit. c. ex antiquis.* Pirh. *n.* 6. si verò peculium nullum habeat, tenetur domino, si id exigat, servire in officiis spiritualibus. *c. frequens. d.* 54. etiamsi id non fiat per modum compensationis, cùm res temporalis per spiritualem redimi vel commutari nequeat. Suar. *l. cit.*

Quæstio 361. *Quinam præterea ob defectum plenæ libertatis prohibeantur ordinari?*

1. REspondeo primò: liberti, nisi fuerint directè & sine retentione obsequii personalis manu missi, ne quando illorum domini voluerint (quod tamen facere non possunt, nisi probatâ causâ ingratitudinis. *c. ult.* 15. *q.* 7. Gl. *in c. quicunque. d.* 54.) ex Clericis fiant servi. *ibid.* cùm promovendi ad Ordines ab omni jugo dominico debeant esse liberi. *c. si quis. d.* 54.

2. Secundò: originarii vel servi adscriptitii, si personaliter ratione personalium obsequiorum domino obligati sint, ita ut ab eo, nisi gratis, vel persoluto pretio discedere nequeant. *c. admittuntur. d.* 54. juncta Gl. marg. vide Laym. *Theologia Moral. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 2.

Quæstio 362. *Quis in hoc impedimento servitutis, sive irregularitate ob defectum plenæ libertatis dispensare possit?*

REspondeo: solus Papa, quia hæ irregularitates jure communi Canonico sunt constitutæ. Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. *n.* 9.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De oneribus, seu obligationibus, deque juribus ac emolumentis beneficiatorum.

CAPUT PRIMUM.

DE ONERIBVS BENEFICIATORVM.

PARAGRAPHVS I.

De onere residendi curatorum.

Quæstio 363. *Quid sit residentia, & residere?*



Espondeo: Residentia, prout sumitur in *titulo de Clericis non residentib. in Ecclesia, vel præbenda*, qui est *tit.* 4. *l.* 3. est præsentia personæ in loco beneficii, seu apud Ecclesiam ad effectum illi deserviendi. Lott. *l.* 3. *c.* 27. *num.* 1. cum Gloss. *in c. conquerente. de Cleric. non residentib.* proinde residens in dicto sensu dicitur, qui ibi præsens est, non casualiter, sed constituto domicilio, ut ibi perpetuò sit ad curandum beneficium, eique inserviendum. Lott. *loc. cit. à num.* 2. cum Card. *in clem. unic. de foro comp. in princip. num.* 22. & Cujacio *in princ. ad tit. de Cler. non resid.*

Quæstio 364. *Quotuplex sit hæc residentia?*

Respondeo: Alia est merè voluntaria, ubi quis v. g. in Ecclesia habet sedem honorariam sine aliqua fructuum perceptione, ut Lott. *loc. cit. n.* 30. ex Seraph. *decis.* 1452. *num.* 2. alia necessaria. Et hæc dividitur in præcisam, & causativam; præcisa dicitur, quando residentia est inseparabilis à titulo beneficii, ita ut non possit retineri beneficium ab eo, qui non residet. Causativa est, quæ à titulo separabilis est, ita ut illum quis habere & retinere possit absque eo, quòd resideat, quamvis ex causa cogi possit ad residendum. Lott. *loc. cit. num.* 31. Neque tamen etiam residentia causativa sola discontinuitatem admittit, sed & præcisa quandoque licitè discontinuari ad tempus potest. Lott. *num.* 32. cùm, ut Idem *loc. cit. num.* 5. terminus ille *residere* in hac materia non ita amarè sit accipiendus, ut non liceat aliquando ex justa causa à loco beneficii recedere, ut patebit ex *sequentibus quæstionibus.*

Quæstio 365. *Quæ sit causa efficiens residentiæ præcisæ?*

Respondeo: esse eam vel jus commune, v. g. respectu curæ animarum beneficio incumbentis; vel jus singulare, puta statutum Ecclesiæ alicujus, aut fundatoris, privilegium, aut consuetudinem approbatam. Lott. *loc. cit. num.* 35. & 36. ubi etiam, quòd maxima differentia sit inter utramque hanc causam & effectum, nempe obligationem residendi hinc dimanantem, dum una à jure divino, adeóque indispensabili, altera ab humano, adeóque pro arbitrio legislatoris remissibilis profluat.

Quæstio 366. *An residere teneantur habentes beneficia parochialia, seu propriè & strictè curata, quibus incumbit jurisdictio fori pœnitentialis, & onus administrandi sacramenta, prædicandi verbum DEI, &c.*

1. Respondeo ad primum affirmativè cum communi: nullaque est ratio dubitandi quoad Parochos, quoties principaliter, atque in titulum in Ecclesia cum utraque actuali & habituali cura provisi sunt: secùs est, ubi de cura tantùm habituali agitur, quæ resultat ab unione accessoriè facta alicui dignitati vel beneficio cum deputatione Vicarii; siquidem possessori talis dignitatis vel beneficii ea solùm incumbit necessitas residendi, quæ inest ipsi dignitati vel beneficio principali. Card. de Luca *ad Trident. d.* 4. *num.* 11. Idem omninò est de Episcopis ad personaliter residendum non secus ac alii Pastores, & curatores animarum obligatis; neque enim inter hos differentiam faciunt DD. aut jura, ut videre est in Tridentin. *sessione* 23. *c.* 1. & *constitutione Pii IV.* quin & multò magis ad hoc obligari eos, qui utramque curam, hoc est, præter jurisdictionem fori interni, etiam fori externi jurisdictionem exercent, ut sunt Episcopi, similésque superiores, rectè ait Filliuc. *tr.* 41. *c.* 6. *num.* 27.

2. De cætero extenditur hæc obligatio residendi ad parochos, etiamsi parochia sit tenuis. Paxjord. *l.* 10. *tit.* 40. *num.* 43. citans Rebuff. *in praxi tit. de nominat. q.* 9. *n.* 29. Reginald. *in praxi. l.* 30. *num.* 291. Barb. *de offic. Paroch. c.* 8. *num.* 4. *&c.* Quin etiã ubi tres vel quatuor tantùm incolæ manserunt. Paxjord. *ibid.* citans Garc. 3. *p. c.* 2. *n.* 179.

secùs

secùs tamen si parochialis in totum desinat habere parochianos, & dicitur curata habitu tantùm. Paxjord. *ibid.* & ab eo citati Garc. & Barb. Item ad eos, qui obtinuerunt Coadjutorem, vel Vicarium, etiam perpetuum ratione infirmitatis, senii, alteriúsve impotentiæ. Garc. *num.* 173. Barb. *loc. cit.* Paxjord. *num.* 48. neque enim Papa censetur dare Coadjutorem ad eximendos eos omnino à cura animarum, & residendo, sed ut eos adjuvet; per dationem enim Coadjutoris non transfertur tota cura animarum in Coadjutorem, ablata Parocho administratione. Garc. *num.* 174. Secùs tamen est, ubi tota cura animarum, quatenus Parochus curam animarum ampliùs exercere nequit, translata fuisset legitimè in solum Vicarium perpetuum. Garc. *num.* 175. citans plures desuper S. Congregationis declarationes. Item ad Vicarios tam temporales, quàm perpetuos; nam & his congruunt ea, quæ circa hoc onus, ac modum residendi de Parocho disposita sunt. Card. de Luca *ubi supra.* Item juxta Paxjord. *num.* 44. qui pro hoc citat Barb. ad eos, qui obtinent Ecclesiam baptismalem, cui sola baptizandi omnes infantes oppidi cura incumberet; censentur enim Coadjutores curati. Vide desuper decisionem S. Congreg. apud Garc. *n.* 167. Item ad eos, qui parochialem vel beneficium curatum non habent in titulum, sed commendam. Trid. *sess.* 6. *c.* 2. & *sess.* 23. *c.* 1. *versiculo: eadem omnino juncto principio* ibi: *quocunque nomine vel titulo præfectos.* Garc. *num.* 165. citans quoque desuper claram S. Congreg. declarationem. Item ad eos, qui habent exercitium curæ in Ecclesiis, in quibus cura per plures administratur, quarum beneficia non sunt propriè curata; uti & ad alios habentes aliàs beneficia simplicia, modò habeant exercitium aliquod curæ; nam re & effectu tales habent curam animarum, nec jus divinum attendit subtilitates, sed effectum & substantiam, & Trid. loquitur generaliter de beneficiis habentibus curam animarum. Garc. *num.* 163. *& seq.* Hoc ipsum tamen quod dicitur de beneficiis simplicibus, seu Capellaniis habentibus administrationem, seu exercitium curæ, aut onus adjuvandi Rectorem, quod ea obtinentes teneantur ad personalem residentiam, id inquam, intelligendum, ubi est ordinatio, seu consuetudo, quod illi eo ipso sint Coadjutores parochi, & absque alia licentia ordinariè eum adjuvent; Secùs autem est, ubi consuetudo, seu ordinatio est, ut illi, aut servitores eorum, seu Vicarii adjuvent parochum in administratione sacramentorum, maximè, habitâ licentiâ Ordinarii; in his enim non requiritur personalis residentia. Garc. *num.* 170. nisi fortè est consuetudo, ut per se hoc faciant. De cætero namque ubi Ordinarii licentia debet haberi, parum refert, quòd illi per se deserviant, aut per substitutos, cùm ad id per Ordinarium approbari debeant. Garc. *num.* 171. & sic habet declaratio S. Congregat. apud Garc. *num.* 167. *& seq.* quòd non teneantur ad residendum Capellani illi Coadjutores Rectorum, qui ex institutione possunt per alium deservire, quod qualiter intelligendum, vide apud Garc. *num.* 169. Denique ad illum, cui in limine adeptæ possessionis Ecclesiæ parochialis movetur lis in petitorio. Ricc. *in praxi fori Eccl. resol.* 393. *n.* 8. Barb. *de off. Paroch. nu.* 8. apud Paxjord. *num.* 40. quem vide. exstat desuper responsum S. Congreg. quod recitat Garc. *p.* 11. *c.* 2. *num.* 121. his verbis: *Obtinens parochialem per provisionem Apostolicam, habens liberum curæ exercitium, & omnium bonorum, fructuum ac proventuum ad parochialem pertinentium possessionem, licèt in limine adeptæ possessionis prædictæ motalis fuerit per aliquem in petitorio, tamen tenetur se promoveri facere intra annum, lite pendente, & ad residendum in dicta Ecclesia. &c.*

Quæstio 367. *Quo jure hi curati residere teneantur?*

Respondeo: tam Episcopos, quàm parochos, aliósque curatores animarum strictè ac propriè tales teneri ad residendum personaliter in Ecclesiis, quibus præsunt, aut deserviunt, jure non solùm humano, nempe canonico, sed & divino ac naturali ratione curæ animarum, seu ex quo tenentur pascere gregem sibi commissum. D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *a.* 5. *& ibi* fusè Cajet. Dominic. Soto *de just. & jure. l.* 10. *quæst.* 3. *a.* 1. Less. *l.* 2. *c.* 34. *dubit.* 29. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 1. Valent. *tom.* 3. *d.* 10. *q.* 3. *num.* 5. Garc. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 16. Lott. *l.* 3. *q.* 27. *num.* 37. magno numero referentes pro hoc tam Theologos, quàm Canonistas; putántque hoc ipsum constare ex Trid. Less. & Azor, & alii passim, dum *sess.* 23. *c.* 1. ait: *cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, verbi* DEI *prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, & in cætera omnia pastoralia incumbere, quæ omniæ nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant & assistunt, sed mercenariorum more deserviunt. &c.* Dein etsi hoc jus seu præceptum divinum commorandi apud gregem expresim, & signanter fortè in sacris literis constitutum non sit, necessariò tamen & evidenter colligitur ex his, quæ scriptura tradit (uti ex iis hoc præceptum utique agnovit Tridentinum) ut dum dicitur Petro: *pasce oves meas & agnos meos.* dum Salamoni ait: *Agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera.* Et certè ex natura officii pastoralis præceptum tale naturale residendi concluditur, dum in pastore propria cura, labor, industria personæ requiritur, pastorisque sit oves suas cognoscere, ducere ad pascua, eas nominatim vocare, invisere, sua præsentia solari, quod infirmum est, consolidare, ut loquitur Dominus apud Ezech. quod confractum est, alligare, quod abjectum reducere, &c. quæ officia cùm præstari ab absente, & per alium commodè nequeant, personalem præsentiam ex natura rei requirunt. vide Azor. *loc. cit.*

Quæstio 368. *An per consuetudinem fieri possit, ut propriè ac strictè curam habens absit à sua Ecclesia?*

Respondeo negativè: cùm consuetudo, quæ est contra jus divinum vel naturale, etiam immemorialis, semper sit corruptela. Azor. *loc. cit.* & plures alii apud Fagn. *in cap. ex parte de Cler. non resid. num.* 77. & *in c. cùm omnes. de constit. num.* 36. Nihilominùs Pirh. *tit. de Cler. non resid. num.* 14. per consuetudinem immemorialem ex justa causa induci posse, docet, ut Parochi aliíque curati non teneantur residere in Ecclesiis suis curatis, modò officium pastorale per Vicarium perpetuum, vel etiam amovibilem exerceatur, ita ut grex ex absentia Pastoris seu Rectoris principalis nullum notabile damnum patiatur. citat pro hoc Abb. *in c. exstirpanda. num.* 8. Navar. *l.* 3. *consiliorum cons.* 21. *de Cler. non resid. num.* 4. Laym. *l.* 4.

tr. 2.

tr. 2. c. 6. num. 3. Barb. *de Paroch. p. 2. c. 18. nu. 39.* citans Sayr. in floribus decisionum *decis. 18. de Cler. non resid.* eò quòd consuetudo æquipolleat privilegio, ita ut quidquid induci potest privilegio, etiam induci possit per consuetudinem, juxta *c. super quibusdam. de verb. significat. & l. hoc jure. ff. de aqua quotid. & æstiva.* per privilegium autem Papæ induci possit, ut Rector parochialis non teneatur exercere curam per se ipsum, sed per alium, sicut de facto de jure communi statutum est, ut id fiat per Vicarios perpetuos. Unde licèt curatus obligetur præcepto divino, ut exerceat curam pastoralem per seipsum, si salus animarum id exigat, ita ut per alium exerceri, sine gravi damno earum nequeat, adeóque non possit in eo casu per ullam consuetudinem induci, ut Pastor per alium exerceat curam, si tamen æque bene provideri possit saluti animarum per alium, potest absque violatione præcepti divini officium pastorale exerceri per alium; similiter licèt in Pastore electa sit opera & industria personæ; id tamen intelligendum, ut nequeat sine causâ gravi uti operâ alterius, seu alium substituere. ita ferè Pirh. dum tamen Pastor beneficium parochiale altero substituto retinet, licèt corpore absens sit, animo tamen & providentiâ præsentem esse debere, ut nihil necessarii ad salutem ovibus suis desit, rectè monet Barb. *loc. cit. c. 17. num. 14.* ex Chapiavil. *de modo administrandi sacramentum tempore pestis. c. 1. q. 4.*

Quæstio 369. An, & qualiter Pontifex possit dispensare in hâc lege residendi quoad Curatos?

1. Respondeo primò: posse in hoc justis ex causis dispensare Pontificem, faciendo iis potestatem non residendi; nam etiam exsolutio voti, servatio jurisjurandi, est juris divini. Azor. *loc. cit. q. 1.* Soto *loc. cit. q. 3. a. 4.* quamvis hæc non sit propriè dispensatio, sed potiùs interpretatio, quâ declaratur legem divinam hîc & nunc per se ipsam cessare. Pirh. *n. 42.* ex Suar. *de ll. l. 10. c. 6. n. 7. & seq.*

2. Respondeo secundò: non aliter hoc jus divinum est dispensabile, quàm ex suppositione causæ, nempe majoris utilitatis Ecclesiæ, non tam per relaxationem, quàm interpretationem, seu per materiæ mutationem. Lott. *n. 40.* Soto & Azor. *ll. cit.* Unde non potest Papa pro libitu suo hujus legis rigorem in gratiam alicujus laxare (uti id potest saltem validè, ubi onus residendi est ex solo jure humano, puta Canonico communi, vel ex speciali statuto, vel ex mente fundatoris, uti contingit in beneficiis aliquibus simplicibus) ita ut ubi hanc facultatem non residendi concederet sine justa causâ, non solùm peccaret, sed & potestas data nullius esset valoris in conscientiâ, etsi in foro judiciali vim habeat. Azor. *ibid.*

Quæstio 370. Num jure quoque divino & humano ad residendum personaliter teneantur ii, quibus cura animarum non nisi latiùs talis, seu exterior tantùm incumbit, dum nimirum citra administrationem sacramentorum ex officio possunt visitare, corrigere, censuras excommunicationis, suspensionis, interdicti &c. infligere?

Respondet probabiliter affirmativè Azor. *loc. cit. q. 2.* & hunc secutus Filliuc. *cit. c. 6. nu. 27.* & quidquid sit de Conc. Tridentino; decreto illius hosce Curatos censet Azor non comprehendi & astringi ad residendum; comprehenduntur nihilominus constitutione Pii IV. edita de residentia Pastorum. Azor. & Filliuc. *ll. cit.*

Quæstio 371. Qualiter residere teneantur propriè & strictè curati?

1. Respondeo primò: si quæritur de loco, Parochi Vicariique curati, ut dictum supra, intra ipsius parochiæ limites in loco commodo omnibusque opportuno habitare debent, ita ut etiam in casibus repentinis adesse possint suis, & hi illos convenire commodè, qualis ferè est domus propè Ecclesiam; imò in domo Parocho destinata, si adsit, quia hæc præsumitur talis C. de Luc. ad Trid. *d. 4. n. 11.* Lott. *cit. q. 27. num. 39.* Addit tamen C. de Luc. quòd hæc generalis regula pro facti qualitate apta sit recipere limitationem ex Episcopi arbitrio, quòd autem justâ causâ sit regulandum. Sic si Ecclesia habeat quidem domum pastoralem, parochus tamen, ea relicta, in paterna vel cognatorum degat intra fines parochiæ propter honesta servitia, & sui majus commodum, scientе & tacente Episcopo, tutus erit in conscientia, prout etiam permittens, modò administrationi sacramentorum, & ceteris curæ indigentiis præsto esse possit æquè bene, acsi in parochiali domo habitaret. Paxjord. *loc. cit. n. 56.* citans Possevin. *de off. curati c. 1. n. 17.* & Barb. *cit. c. 8. num. 39.* Quòd si autem degeret Parochus in civitate distante à parochia tribus aut quatuor milliaribus (puta italicis) non posse haberi pro residente, etiamsi festivis diebus ad illam accedat, censet idem Paxjord. *n. 57.* juxta declarationem S. Congreg. apud Garc. *n. 179.* & Barb. *loc. cit.* imò etsi longè minor foret distantia, dum residet in urbe, quæ nocte claudi solet. Paxjord. *ibidem.* ex suo. Vide dicta sub initium *hujus cap. de parochis.*

2. Respondeo secundò: si quæratur de tempore, quando nimirum, quantóque tempore abesse possint; non ita vi dicti præcepti divini arctari hos curatos ad residendum continuè, quin non quandoque ex justa causa ad breve tempus abesse possint. Hoc ipsum tempus breve citra violationem dicti juris divini determinat jus humanum, nempe Trident. potissimum. *cit. c. 1. sess. 23.* indulgendo Episcopis per trimestre (modò præsentes sint in suis Ecclesiis tempore Adventûs, Nativitatis domini, Quadragesimæ, Paschæ, Pentecostes, & corporis Christi) Parochis verò, ut per bimestre, sivè continuè, sivè interruptè ex justa causa abesse possint, modò id fiat sine ullo gregis detrimento. De cetero etsi residentiam parochi necesse non sit esse ita continuam, ut quasi hærens in compedibus fines parochiæ exire nequeat, sed si careat infirmis cum periculo, possit abesse per horas aliquot, etiam nullo alio substituto, vel etiam integram diem; putat tamen Paxjord. *n. 59.* probabiliter esse mortale, abesse per duos vel tres dies, nullo infirmante, & nulla alia causa justificante, ubi in propinquo non sunt alii sacerdotes. Verùm in hoc puncto multum tribuendum locorum consuetudini monet Engels *ad tit. de cler. non resid. n. 7.* & AA. passim, qui etiam *n. 13.* ait, ut ex consuetudine licitum sit parochis una alterave hebdomade ex rationabili causa, substituto idoneo Vicario, ubi non adest periculum damnificandi gregem, sine licentia petita, maximè ubi ob loci distantiam

stantiam difficilior pro ea obtinenda est ad Episcopum accessus, se non audere improbare, imò posse satis tolerari, si alicubi de consuetudine Parochi etiam per duos menses continuos abessent, citátque pro hoc posteriore Laym. *Theolog. mor. l. 4. tr. 2. c. 6. n. 7.* quo spectat, quòd obligatio ista petendi licentiam discedendi, suppositâ justâ causâ discessûs, cùm sit jure merè humano inducta per contrariam consuetudinem tolli possit. Engels *n. 12.* si tamen ex tali cõsuetudine liceret parocho notabili tempore ultra duos menses abesse sine licentia superioris juxta Trid. *cit. sess. 23. c. 1.* foret corruptela, ac proinde invalida propter multa inconvenientia inde nascitura, de quibus vide Engels *ibidem.*

3. Respondeo tertiò: si quæratur de modo residendi, qui non est merè materialis, utique intelligitur residentia cum effectu. de Graffiis *in decisionib. casuum, l. 2. c. 97.* Zechus *de munere Episcop. c. 5. num. 1.* Garc. *nu. 53.* juxta *c. exstirpandæ. de præb.* & Trid. *cit. c. 1.* nimirum quod debeat per se obire munia pastoralia, non per substitutum, nisi quatenus per se solum omnia implere nequit. Concil. *cit. c. 1.* requirente in Parocho industriam personæ, quæ per alium suppleri nequit: ita ut Parochus corpore quidem præsens seu residens, sed officium suum non exercens, nisi per alium minimè satisfaciat præcepto residendi, nec in foro interiore, nec exteriore. Paxjord. *n. 58.* citans Possev. *dicto c. 1. n. 8.* & Barb. *cit. c. 8. n. 40.* qui etiam hinc inferant, quòd ubi Parochus legitimè habet Coadjutorem, vel cooperatores ad majorem quietem, non tamen hinc liceat ei omnia ardua relinquere, v. g. surgere de nocte, audire multas confessiones &c. sed tantùm habere pro socio laboris, & signanter, quando ipse nominatim vocatur, & exspectatur, debet ire, & ovium suarum benevolentiæ, & amori respondere, ita ferè Paxjord. citans Cajet. 2. 2. *q. 185. a. 5.* Sotum *de just. & jure. l. 10. q. 3. a. 5.* Possev. Sa. Barb. teneri quoque talem Parochum, qui præsens totam curam per cooperatores exercet ad restitutionem, tenent Sylv. *v. residentia. à n. 1. & 2.* Jacob. de Graff. *cit. l. 2. c. 92. num. 57.* Jo. Sanchez &c. apud Engels *loc. cit. n. 16.* ubi ait: se hanc sententiam judicare Tridentino, menti & rationi legis esse conformiorem, ac propterea amplectendam, cum hac tamen moderatione, ut ex sola residentiâ personali præcisâ ab administratione, putet Parochum saltem medietatem fructuum lucrari, eò quòd experientiâ constet, parochianos ex sola etiam præsentia Parochi magnam utilitatem percipere, dum in quacunque necessitate recursum ad Parochum habent, & sacramenta per Capellanos præsente Parocho diligentiùs ipsis administrentur. imò ait se non dubitare, quandoque Parochum etiam rariùs per se administrantem sacramenta ad nullam restitutionem teneri, si revera comperiat, suos Parochianos sufficienter & fortè meliùs per Capellanos, quàm per se ipsum instrui. Garc. etiam *loc. cit. n. 52. & seq.* simpliciter censet talem, etsi non resideat ut debet, non teneri ad restitutionem fructuum; eò quòd Concilium hanc pœnam amissionis fructuum ponat solùm contra absentes, & non residentes; talis verò non possit dici abesse, & non residere, quamvis officium suum non exerceat, & pœnæ, maximè ipsò jure impositæ, non sint extendendæ.

Quæstio 372. Num igitur, quemadmodum Episcopi absque approbatione Metropolitani, aut alterius superioris (uti etiam de Abbatibus, & Prælatis exemptis Episcopali jurisdictione utentibus idem, de aliis verò Episcopo subditis contrarium censet Tamb. de jure Abb. d. 14. q. 5. *apud Engels* n. 6.) *ita Parochi aliiq. curati abesse possint duobus illis mensibus à Concilio istis concessis, ex causa, quæ ipsis justa videtur absque approbatione, & licentia ordinarii?*

1. Respondeo: sententiam affirmantem semper Parochis aliisque curatis, etiam dum abesse necessarium est ob utilitatem Ecclesiæ, opus esse licentiâ Ordinarii, & quidem in scriptis videri juri conformiorem Filliuc. *loc. cit. n. 29.* & alii; eò quòd Trid. de iis dicat: *quandocunque eos, causâ prius per Episcopum cognitâ, & probatâ, abesse contingeret.* hanc que veram esse Concilii intelligentiam declarávit S. Congregatio super *cit. c. 1. sess. 23.* his verbis (quæ præter binas quoque alias rigidiores adhuc sacræ ejusdem Congregationis declarationes recitat. Garc.) *nec per bimestre tempus possunt abesse Parochi sine licentia Episcopi, valetque constitutio Episcopi, ne Parochi possint abesse ultra duos dies sine licentia &c.* Ac proinde hanc sententiam affirmantem absolutè tenent Paxjord. *n. 61.* citans Ugol. *de off. Ep. c. 15. §. 5. num. 2.* Possevin. *de off. curat. c. 1. num. 11.* Sanctarel. *variar. resol. q. 4. num. 12.* Barb. *de off. Paroch. c. n. 55.* & plures apud Garc. *p. 3. c. 2. n. 22.* dicatque inter alios apud eundem Cavallos. *q. 582. num. 6.* ita recepisse praxin. Porrò videtur sententia hæc potissimùm tenere, ubi absentia duorum mensium, vel alterius notabilis temporis esset continua, non ita, ubi est interpolata nunc per dies tres vel quatuor, alias per sex vel octo.

2. Nihilominus sententiam oppositam, ab auctoritate saltem DD. non minùs probabilem tenent Navar. *in man. c. 25. n. 121.* (id tribus argumentis conans concludere, nimirum quia id jure antiquo permissum. Argumento *c. præsentiam. 7. q. 1.* quod correctum vel sublatum non est per Trid. dein quia Episcopis arctiori vinculo ad residendum adstrictis id conceditur, Conciliúmque hac in parte servandum in parochis, quod in Episcopis disposuerit) Quintadven. *l. 4. q. 76.* Zerol. *v. privatio.* Sa. *v. residentia.* Zech. *de casibus reserv. cas. 3.* pluresque alii apud Garc. *n. 19.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 31. n. 11.* Leo *in thes. fori Eccles. p. 3. c. 1. n. 19.* Bonac. &c. apud Paxjord. *loc. cit.* idem plures apud Barb. *in collect. ad Concil. loc. cit. n. 67.* Item Filliuc. *loc. cit.* qui ait, praxin contrariam unà cum probabili propter DD. auctoritatem temperâsse quoad hoc bimestre rigorem illum juris. Azor. *cit. p. 2. l. 7. c. 4. q. 10.* dicens sententiam Navarri sibi probari; eò quòd Canones pro nihilo reputent, quod modicum est; Concilium autem absentiam duorum mensium judicâsse modicum, seu concedendo duos menses declarâsse, quantum absentiæ tempus pro modico, adeóque pro nihilo habeatur. Less. *cit. l. 2. c. 34. n. 159.* etsi dicat se putare verius mentem Concilii esse, ut non absint primo bimestri absque facultate Episcopi, subjungit tamen credere se hoc non esse receptum, in qua non receptione multum se fundare AA. qui post memoratas paulò supra ex Garcia declarationes sacræ Congregationis scripserunt, necesse videtur;

detur: Engels *loc. cit. nu. 6.* inquit, existimare se, hac in re, utpote dubia, consuetudini locorum aliquid tribuendum. Et sane per legitimam consuetudinem, non obstante tali declaratione S. Congregationis, posse derogari similibus, quæ sunt meri juris humani, modò non reputetur, & sit corruptela, videtur satis certum, vide dicta ad *quæst. præced.*

3. Atque juxta hanc sententiam inferes primò à potiori, opus non esse consensu Episcopi, dum subita occurrente necessitate, Episcopus adiri nequit. Azor. *loc. cit. q.* 11. ex Selva *de benef. p.* 4. *q.* 6. *n.* 13. citante Abbatem, Hostiens. &c. Secundò citatos AA. id multo magis dicturos de Abbatibus similibusque Prælatis, Episcopo inferioribus non exemptis, utpote quorum dignitas major, & absentia non tam periculosa, sicut Parochorum, quibus quotidie incumbit obligatio sacramenta petentibus, & indigentibus administrandi. Engels *loc. cit.* Quòd si verò vera est sententia prior, sequitur primò, curatum, etiamsi habeat notoriè justam causam & necessitatem recedendi, adhuc non posse sine licentia Ordinarii recedere, nisi talis sit necessitas, quæ non patiatur moram, sed sit periculum in mora petendi veniam, & tunc quamprimum debere certiorem fieri Ordinarium de discessu, & necessitate occurrente, ut de causa cognoscat, & det licentiam, nisi in brevi sit reversurus. Garc. *loc. cit. n.* 33. citans Abbat. *in c. relatum. de cler. non resid. n.* 6. Selvam &c. item S. Congregationem iisdem fere verbis id declarantem. Videtur secundò, Parochum habentem justam causam recedendi ad duos vel tres menses, non satisfacere conscientiæ suæ, si petat licentiam, jurans se habere gravem causam, quam non expediat manifestare: vel etiam exprimens causam rationabilem, quam vir bonus & æquus justam judicaret, dum rigidus Ordinarius licentiâ negat, quia movetur suspicione, quòd ficta sit, habet tamen recursum ad superiorem. hanc esse expressam declarationem S. Congregationis, refert Garc. & eidem inhæret *n.* 73. citans AA. *ubi supra.* Sequitur tertiò, quod, qui per duos vel etiam unum mensem, aut aliud tempus notabile abfuit sine licentia Ordinarii, pro tempore absentiæ non facit fructus suos, sed tenetur eos restituere; eò quòd absit contra tenorem decreti imponentis hanc pœnam Garc. *num.* 25. *& seq.* neque sufficiat licentia tacita, sed oporteat, ut sit expressa. Garc. *n.* 35.

Quæstio 373. *An, & qua licentia egeant Episcopi iisque superiores aut in jurisdictione similes Prælati abfuturi ultra tres menses ipsis concessos?*

REspondeo: Episcopus (idem est de aliis) qui ex causa magnæ necessitatis aut utilitatis longiori tempore abesse cupit, debet causam absentiæ Papæ, vel Archiepiscopo metropolitano, aut hoc absente, seniori suffraganeo (qui idem metropolitani absentiam probare debet) significare, & approbationem in scriptis obtinere, nisi tamen periculum in mora fuerit. vel absentia inciderit propter munus aliquod, & reipubl. officium Episcopatibus adjunctum, cujus causæ sint notoriæ. Trid. *sess. 6. c.* 1. *& sess. 23. c.* 1. Hinc Episcopus, qui simul est Princeps imperii, dum ad comitia vocatus comparet, non tenetur licentiam impetrare, saltem si absentia non fuerit plus æquo diuturna, & Ecclesiæ periculosa, & aliàs semper solitus sit personaliter comparere, qua tamen in re ad usum hactenus practicatum in similibus Episcopatibus præcipuè attendendum. ita fere Engels *loc. cit. sub initium.*

Quæstio 374. *An, & qui præter Papam aliis curatis inferioribus dare possint licentiam non residendi etiam ultra bimestre?*

1. REspondeo primò: jus ipsum commune, quemadmodùm vi juris antiqui concessum erat Parochis & curatis abesse ad quinquennium ratione studiorum. *c. ult. de magistris.*

2. Secundò Episcopi similésque Prælati dare possunt curatis licentiam non residendi ad tempus ex justa causa, quatenus hoc ipsum iis à jure aut Papa concessum est; inferior enim laxare nequit legem superioris, nisi quatenus id ei concessum; solet autem Papa propter necessitatem, & casus frequenter occurrentes facultatem laxandi legem, seu obligationem residendi concedere Episcopis, aliisque similibus Prælatis in beneficiis curatis nonnisi limitatè, ut nimirum curati non permittantur abesse ultra dictos duos menses, nisi ex gravi causa. Pirh. *ad tit. de cler. non resid. n.* 14. de cetero tempus breve, in quo Episcopus cum curato super residentia dispensare potest, relinquendum est arbitrio boni viri, cum in jure non sit expressum, juxta exigentiam necessitatis, seu rationabilis causæ. Pirh. *ibid.* citans Laym. *ad c. licet de elect. in* 6. *n.* 2. Qui etiã addit, quod hoc tempus videatur restrictum ad annum in Trid. *sess.* 4. *c.* 12.

3. Tertiò: idem potestatis hac in parte habet legatus Pontificius in provincia sibi demandata, quòd Episcopus in sua diœcesi. Azor. *loc. cit. q.* 2. ex Selva *p.* 4. *q.* 9.

4. Quartò: Capitulum sede Episcopali vacante, cùm in iis, quæ sunt jurisdictionis non voluntariæ, sed necessariæ, potestas Episcopi transeat ad capitulum. Azor. *ibid. q.* 3, Selva. *q.* 10. Abb. *in cit. c. relatum.*

5. Quintò: posse locorum Ordinarios (intelligendo per Ordinarium Superiorem, sivè majorem sive minorem Episcopo. ut Gl. *in c. licet canon. de Elect. in* 6.) facere Parochis potestatem ad tempus aliquod recedendi à suis Ecclesiis, tenet Azor. *loc. cit. q.* 4. citans Abbatem, Host. Innoc. *in c. relatum.* Si verò Prælatus inferior Episcopo non habet jurisdictionem ordinariam in loco v. g. Abbas regularis aut Prælatus, seu Rector Ecclesiæ Collegiatæ, etsi habeat quidem potestatem conferendi Parochiam, vel aliud beneficium curatum, provisus tamen seu curatus jurisdictioni Episcopi subsit, & ab eo circa administrationem, & curam parochiæ pendeat, tunc ab eodem Episcopo licentiam petere debet, & si illegitimè absit ab eodem puniri. Pirh. *loc. cit.* 43. Addit Fagn. *in c. relatum. de cler. non resid. n.* 4. quod Prælati Episcopo inferiores nequeant dare licentiam discedendi ab Ecclesia, vel loco beneficii, nisi habeant jurisdictionem ordinariam, & quidem excluso Episcopo.

Quæstio 375. *An dum jus ipsum, vel etiam Papa generaliter indulget curato abesse studendi gratia (idem est de aliis honestis causis. Lott.* paulò post citand. *Garc.* n. 89. *& 96.) adhuc hæc causa insinuari debeat*

beat Episcopo, ab eo cognosci, peti ab eodem, & obtineri licentia in scriptis?

1. RESP. primò: probabiliter jure antiquo id opus non fuisse, non solùm ratione studii, sed etiam in aliis casibus, in quibus absentes habentur à jure pro præsentibus. v. g. absentes pro negotiis Ecclesiæ. Garc. *cit. p. 3. c. 2. n. 94. & seq.* nam licet *c. relatum.* ab Alexand. III. exigatur hæc licentia Ordinarii vel Prælati, sive causa studii, sive alia proponatur, ut Lot. *l. 3. cit. q. 27. n. 194.* ei tamen derogatum per posterius *c. fin. de Magist.* ab Honorio III. concedente de novo licentiam. & privilegium percipiendi fructus in absentia studiorum gratia, adeóque habendo tales pro præsentibus. Garc. *loc. cit.* quamvis & aliam det hujus textûs interpretationem *n.* 92. de quo paulò pòst.

2. Respondeo secundò: jure novo, nimirum post Trid. probabiliter id requiri. Lott. *n.* 194. & quem is citat Mandos. *de signat. gratiæ.* Garc. *p. 3. c. 2. n. 75. & seq.* Majol. *de irreg. c. 5. n.* 15. Navar. Hojed. Rodriq. Sa. pluresque alii apud Garc. qui scripserunt post Trident. & omnes cum Lott. docent sic generaliter dispositum per Trid. *cit. sess. 23. c. 1.* Zechus insuper *de casibus reserv. casu 3. num. 2. & de munere Episcop. c. 5. n.* 4. & Vega apud Garc. *loc. cit.* docent, quod gratiæ, & indulta de non residendo, & percipiendo fructus ratione studii, non valeant sine consensu Ordinarii vi Bullæ Pii IV. quæ est ad finem Concilii, de quo vide Garc. *n.* 77. longè enim aliud est, quod lex vel Papa indulgeat, ut quis abesse possit, & aliud, ut quis abesse possit absque licentia; dum enim lex vel Papa indulget simpliciter, ut quis abesse possit ex tali vel tali causa, id nihil ultra importat, quàm ut causa absentiæ, vel ex hoc ipso justa omnino sit, ceterum inde non sequitur, quin ea causa debeat Episcopo insinuari, & ab eo peti licentia. Lott. *n.* 194. *& seq.* Cujus ulteriorem hanc reddit rationem Garc *loc. cit. n.* 88. ideo adhuc requiri in hoc casu licentiam Prælati, etiam ratione studii, ne indociles & inepti se conferant ad studia, contra mentem istorum jurium id permittentium, & ne multitudo nimia id faciat. Sed neque *c. fin. de magist.* hanc licentiam Episcopi per modum executionis licentiæ ibidem concessæ excludit, ut Garc. gl. *ibid. v. licentia.* Lott. *n.* 197. vel etiam, ut interpretatur illud Garc. *n.* 92. quia terminus licentiæ refertur ad actum perceptionis fructuum, non autem ad factum absentiæ; adeóque supponit ibi Pontifex absentem obtinuisse licentiam à suo Ordinario, prævia causæ cognitione. Unde manet, quòd etiam dum Papa simpliciter concedit indultum de percipiendis fructibus in absentia, adhuc opus sit obtinere licentiam super absentia ab Episcopo. Lott. *n.* 198. citans Cardin. *in c. tuæ n. 6.* & Imol. *ibid. n. 9. de cler. non resid.* Secùs est, & nulla requiritur alia licentia Ordinarii, dum Papa concedit particulare indultum, non solùm de percipiendis fructibus in absentia, sed etiam super facultate abessendi. Lott. *ibid.* Porrò tam ex dispositione juris communis, quàm ex dispositione Trident. *sess. 23. c. 1.* debere hanc licentiam peti ab Episcopo, etiamsi vi statuti cujusdam specialis Ecclesiæ petenda esset à Capitulo, censet Lott. *n.* 208. *& seq.* & sic responsum *in una Caligaritana fructuum 26. Maji 1614. quæ est 608. recent. p. 2.* sede autem vacante à Capitulo. Tam verò necessariam esse dictam licentiæ petitionem, tenet idem Lott. *n.* 211. ut etiamsi abfuturus propter litem cum eo, à quo ipso obtineri debet hæc licentia, puta Episcopo vel Capitulo sede vacante, pro evidente habeat, se eam non obtenturum (adeóque iniquum videatur, eum ad illam petendam adigi) adhuc non excusetur ab ea petenda, cùm lex non exigat licentiam ob alium finem, quàm ut evitetur contemptus, adeóque dicta excusatio non sit juridica, cùm petitione licentiæ excludatur dictus contemptus. Quin etiam addit *n.* 213. si in dicto casu non obtineatur licentia, etsi in ordine ad evitandam pœnam privationis sufficiat petisse; idipsum tamen non sufficiat ad effectum consequendi fructus, nisi fuerit prosecutus recursum ad superiorem, qui inferiorem compellat juxta Cardin. *in c. tuæ. de cler. non resid. n. 6.*

Quæstio 376. In genere, quæ censeantur justæ causæ non residendi, & quæ dicatur justa absentia?

1. RESPONDEO ad primum: brevis absentiæ, puta quoad bimestre, causæ, ut censeantur justæ, non requiruntur adeo graves, sed sufficiunt leviores, puta recreationis alicujus seu relaxationis animi, visitationis cognatorum, vel amicorum; diuturnioris verò absentiæ, puta ultra bimestre causæ exiguntur graves, & quæ tales sunt arbitrio Episcopi. Filiuc. *loc. cit.* Cæval. apud Garc. *loc. cit.* Paxjord. *l. 10. tit. 40. n.* 62. Cumque juxta sententiam unam, & pro bimestri requiratur licentia Episcopi in scripto, debet aliqua causa proponi; satis tamen erit, quamvis non multum urgens. Paxjord. *ibid.* Pro trimestri vero Episcoporum absentia, ad quam quoque non requiritur causa strictè rationabilis, sufficit æquitas quædam, quam Concilium ipsorum Episcoporum conscientiæ reliquit, non requiritur licentia, ut vel hoc ipso patet, quòd æquitas causæ remittatur ipsius recedentis arbitratui. Paxjord. *n.* 27. Porrò reducuntur causæ graves à Trid. *sess. 23. c. 1.* ad quatuor capita, nimirum christianæ charitatis (quo spectat causa juvandi proximum auxilio egentem v. g. ut odia & lites componantur) evidentis, urgentis necessitatis, præsertim communis (v. g. dum quis abest ob aëris intemperiem juxta *c. præsentiam. 7. q. 1. & c. ad audientiam. de cler. non resid.* ob persecutionem tyranni, ob capitales inimicitias. Vasq. *de benef. c. 4. num. 135.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 6. n. 4.* vel ob piam peregrinationem. Laym. *ibid.*) obedientiæ majoribus debitæ (ut dum versatur beneficiatus in servitio Papæ vel Episcopi) evidentis Ecclesiæ, cui quis præfectus est, necessitatis, vel utilitatis, ut dum abest ob prosecutionem litis super juribus beneficii, vel aliud negotium Ecclesiæ v. g. vocatus ad synodum Ecclesiasticam, aut imperatoriam, aut studiorum vel doctionis gratia. Verùm de his vide Laym. Azor. Filiuc. *ll. cit.*

2. Respondeo ad secundum, ad *justitiam* absentiæ exigi concursum nimirum causæ rationabilis & licentiæ. Garc. *loc. cit. nu. 90.* Lott. *cit. q. 27. n. 122.* citans Abb. Anchar. & plures Rotæ decisiones; siquidem sine *justa* causa licentia Superioris manet *injusta*, & inutilis, cùm vox *licentia* non importet nudam voluntatem, sed concessionem ex causa, & tanquam derivata ex verbo, *licet* sonet in arbitrium boni viri, & propterea nil valeat sine *justa* causa. Lott. *n.* 123. ex Selva *p. 4. q. 7. num. 53.* & sine ea dispensatus non est tutus. Rebuff. *in praxi tit. de cler. non resid.* Adeóque nisi quæ ultra licentiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tiam probet causam frustra agit ad fructus. Lott. *n.* 125. Econtra justa causa sine licentia non sufficit; quia daretur contemptus superioris, & sic illud bonum resultans ex justitia causæ remanet quasi absorptum à malo, resultante ex hujusmodi temeritate, & contemptu; atque ita ratio hujus necessitatis licentiæ est radicata super bono obedientiæ. Lott. *num.* 126. juxta Gl. *in c. inter quatuor. de cler. non resid. v. sine justa causa.*

Quæstio 377. *Efformata semel justa absentia ex concursu causæ, & licentiæ, quamdiu duret ejus effectus?*

REspondeo: tamdiu, quamdiu durat causa, etiam Prælato, qui concessit licentiam, mortuo. Lott. *n.* 216. juxta Archid. *in c. licet. canon. de elect. in 6to.* Nec est in potestate Prælati eam revocare, nisi nova causa superveniat, vel detegatur falsitas causæ prætensæ; vel finita fuerit causa v. g. cursus studiorum jam terminatus, ex assecutione gradûs doctoralis vel magistri. Lott. *n.* 217. & 218. citans Gemin. *in c. cùm ex eo. de elect. in 6. n.* 9. Verùm circa hoc exemplum doctoratûs vide dicenda inferiùs.

Quæstio 378. *Quænam excusent ab hac licentia petenda?*

1. REspondeo primò: posse induci consuetudine, ut sine licentia Prælati ex causa rationabili, & vel maximè expressa in jure, posset quis abesse. Garc. *nu.* 91. citans Selvam & de Graffiis. Lott. *n.* 200. Et in specie id quoque tenere de curatis, quamvis enim residentia omnium curatorum, ut dictum, sit juris divini, ita ut curatus suas oves sine justa causa relinquere non possit, & consequenter id per consuetudinem immutari nequeat, quæ contra jus divinum nihil operatur: Verùm id in thesi seu generaliter intelligendum est; in specie autem seu hypothesi v. g. quòd hîc & nunc, hic vel ille Pastor, Prælatus &c. justam causam habens sine licentia Superioris ad breve tempus à sua Ecclesia, Monasterio &c. abesse non possit, nequaquam est juris divini, sed humani Pontificii, aliàs nec Episcopus, nec Pontifex illam licentiam concedere posset. Engels *ad tit. de cler. non resid. n.* 6.

2. Secundò: dum expressè aliter cautum est privilegio speciali. Garc. *n.* 93. cujus verba diligenter ponderanda. Lott. *n.* 200. idem docet *nu.* 98. indultario Apostolico de se absentando in individuo non esse opus licentia Episcopi.

3. Tertiò: dum ingruit necessitas, quæ non patitur moram petendi veniam, in quo casu tamen servandum, quod dictum supra. Addit Lott. *n.* 215. si Episcopus sit absens à diœcesi, & urgeat necessitas recedendi, non teneri aliquem pro licentia mittere ad Episcopum extra provinciam, neque eam petere à Capitulo, cùm *c. relatum.* hunc honorem deferat Prælato, non Capitulo.

4. Quartò: censet idem Lott. *num.* 219. cessare hanc necessitatem petendi licentiam, si fiat provisio præsenti in Curia, & hic provisus in ea perseveret gratiâ studii, idque ex indulto Bonifacii VIII. quòd tamen num perstet ad curatos, non exprimit Lotterius.

5. Quintò: necessitati petendi & obtinendi licentiam ab Ordinario obnoxii non sunt docentes, etiam gratis, si tamen sint ab ipsa Universitate studii Generalis ad hoc constituti. Lott. *nu.* 201. ex Garc. *p.* 3. *c.* 2. *num.* 87. & 559. testante sic ad sui ipsius instantiam declaratum à S. Congreg. Verùm hoc intelligendum non est de curatis, ut constabit ex paulò pòst dicendis.

Quæstio 379. *In particulari, quid ergo liceat, constitutúmque sit quoad non residendum ratione doctionis, quæ causa refertur ad bonum religionis christianæ seu Ecclesiæ?*

1. REspondeo primò: ad doctionem Theologiæ publicam jus ipsum ad quantumcunque longum tempus permittit non residere, & in absentia percipere fructus. *c. in fine. de magist.* Azor *cit. l.* 7. *q.* 3. Garc. *n.* 54. Less. *cit. c.* 34. *n.* 163. Idem est de doctione juris can. Garc. *n.* 64. Navar. *in man. c.* 25. *n.* 121. Lott. *n.* 201. Azor. Less. *ll. cit.* Idem esse etiam de doctione cujuscunque facultatis honestæ in Universitatibus Salmant. Complut. & Vallisolet. ex speciali privilegio iis concesso ab Eugenio IV. testatur Garc. *n.* 66. Intelligendum autem hoc ipsum est, non solùm de iis, qui conducti seu salariati, aut ratione stipendii, seu cathedræ, quam habent, sed etiam qui sponte ac voluntariè legunt Theologiam, & jus canon. modò legant cum licentia Universitatis seu collegii DD. Trident. enim *sess.* 5. *c.* 1. solum requirit, ut in scholis publicè doceant Lott. *n.* 201. Garc. *num.* 60. ne tamen quilibet hoc titulo velit se à residentia subtrahere, requiritur dicta licentia Universitatis, quæ eam concedere non debet, nisi iis, qui apti & utiles videntur ad docendum. Garc. *n.* 61. testans sic declaratum à S. Congregat. ad instantiam Univertatis Complut. requiri tamen videtur, ut doceant in loco studiis Generalibus publicè deputato (quale studium Generale dicitur illud, quod est erectum & institutum per Papam, Regem, seu Principem, seu quod habet studium ex privilegio, aut consuetudine immemoriali. Garc. *n.* 56. citans Horatium Lucium *de his qui gaudent privileg. scholar. ad finem istius tr. n.* 23. Pacian. *de probat. l.* 2. *c.* 41. *nu.* 48. *&c.*) non secùs ac in studentibus id requiritur, de quo tamen paulò pòst. & sic censuit sacra Congregat ad *cit. sess.* 5. *c.* 1. de docentibus jus canon. in publica Universitate, gaudere illos privilegiis de percipiendis fructibus suarum præbendarum, in absentia, quamvis subdat idem dicendum de docentibus S. Scripturam in Cathedralibus & Collegiatis. Ac demum non requiri licentiam Ordinarii pro talibus docentibus, dictum est *quæst. præcedente.* Econtra requiritur ea quoad docentes Grammaticam, literas humaniores, & philosophiam ex *c. relatum. & c. tuæ. de cler. non resid.* nisi consuetudo in quibusdam locis aliud præscripserit, & quidem etiam ante Trid. Filliuc. *tr.* 41. *c.* 6. *n.* 23. Quin & hodie requiritur indultum Papæ cum licentia Ordinarii vi constit. Pii IV. Filiuc. *ibid.*

2. Respondeo secundò: si dicta privilegia à jure concessa docentibus habuêre locum etiam in curatis, ut satis indicant Azor. Less. Filiuc. Garc. qui etiam *n.* 73. testatur pluribus exemplis, sic sæpè servatum; perseveréntque etiam modò respectu Canonicorum, aliorúmque similium; quoad habentes tamen beneficia parochialia, aliáque curata modò stante decreto Trid. *sess.* 23, *c.* 1. non subsistunt, ut habent plures declarationes sacræ Cong. *ad c.* 1. *sess.* 5. opus proinde erit indulto Papæ, &

licentiâ Ordinarii. Garc. *n.* 78. *junctо. n.* 83. & ex eo Filiuc. *loc. cit.* Addit Laym. *th. mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 5. quoad æquitatem causæ, dum sunt beneficiati curati, necessarium videri, præsertim si absentia ratione doctionis diuturnior, ut sit necessitas aliqua docendi, v. g. quia pauci admodùm doctores reperiantur, vel major Ecclesiæ utilitas, citátque pro hoc Vasq. *de benef. c.* 4. *n.* 146. nisi dicere quis velit hoc ipso etiam respectu curatorum licitum esse docere publicè Theologiam, quia docendo plus Ecclesiæ prosunt: siquidem facere Prædicatores, ministros, & Pastores Ecclesiæ idoneos, melius est quàm prædicare, & ministrare. Laym. *ibid.* Sed néque ad legendum & docendum, etiam Theologiam, quamvis nullus alius idoneus reperiretur, & Vicarius habilis ad curam relinqueretur, curato concedere licentiam poterit Episcopus juxta Paxjord. *l.* 10 *tit.* 40. *n.* 51. qui citat pro hoc Gonz. *ad reg.* 8. *Gl.* 6. *n.* 254. & Barb. *de off. Episcopi alleg.* 53. *n.* 76.

Quæstio 380. *An, & qualiter liceat curatis abesse ratione studiorum, quæ causa manifestam implicat Ecclesiæ, cui quis præest, utilitatem, ut eleganter deducit Abbas* in c. licèt vobis. de præb. n. 5. apud Lott. *n.* 150.

1. REspondeo primò jure antiquo, nimirum vi *c.* 2. *de privileg. in* 6. *c. licèt. de præb. c. cum ex eo. de elect. in* 6. *c. fin. de Magist. &c.* concessum, ut per quinquennium excusentur à residentia, & in absentia fructus suorum beneficiorum percipiant Studentes Theologiæ, vel juri canon. (DD. námque communiter & S. Congreg. parificant hæc studia duo, eò quòd his temporibus pro regimine Ecclesiarum æquè benè, ne dixerim meliùs, deserviat jus canonicum, quàm Theologia; imo quoad facilitatem addiscendi, & opportunitatem lucrandi panem jus canonicum prævaleat. Paxjord. *num.* 148. citans Zerol. *v. studium.* Carol. de Graffis *de effect. Cler. in prælud. n.* 54. *&* 64. Abb. Felin. *in cit. c. fin.* Horat. Lucius *in tr. de privileg. privilegio* 99. Navar. *in man. c.* 25. *n.* 120. Hojed. *de incomp. c.* 17. *num.* 28. & passim alii apud Garc. *n.* 54. Quin & Studentes in alia qualibet scientia, etiam Grammatica, Azor. *cit. p.* 2. *l.* 7 *q.* 3. juxta Gl. *in c. cùm ex eo v. literarum.* Etsi enim *cit. c. fin.* prohibeatur Religiosis & extensive etiam Archidiaconis, Decanis, Plebanis, Præpositis, Cantoribus, aliisque Clericis personatus habentibus, nec non presbyteris, studere Philosophiæ vel legibus (de quo etiam vide Paxjord. *loc. cit. nnm.* 151. ubi etiam ait, si studium non sit privilegiatum, vel solùm pro certo tempore, neque adsit particularis dispensatio Papæ, qui legibus sæcularibus, aut philosophiæ operam daret, non solum non lucraretur fructus beneficii, sed & quatuor pœnas, quas *num.* 152. enumerat, incurreret; neque inferiorem Papa posse hanc licentiam concedere, adjecta tamen *num.* 157. *&* *seq.* bona limitatione, quoad studium juris civilis) non tamen intelligitur id de eo philosophices vel legum studio, quod fit in ordine ad intelligentiam canonum, & Theologiæ, sed ad summum de eo, quod diversum à studio Theologiæ, vel canonum in se ipso ita terminatur & sistit, ut quis fiat Philosophus vel causidicus. Lott. *l.* 3. *q.* 27. *num.* 204. Modò tamen studeant in studio generali, seu celebri Universitate. *c. tuæ. de Cler. non resid. c.* 2. *de privileg. in* 6. Garc. *num.* 55. citans Zech. *de rep. Eccles. tit. de Cler. non resid. n.* 7. Zerol. *v. studium.* Quamvis Lott. *num.* 206. dicat quosdam distortis verbis citatæ decretalis distinguere inter studium publicum in Universitate aliqua, & studium privatum in camera. Pirh. quoque sentiat contrarium *ad tit. de Cler. non resident. num.* 38. citans pro se Abb. *in c. tuæ. n.* 4. & Host. *ibid.* idque Argumento *c. tuæ* cùm ibi solùm dicatur non gaudere indulgentia, seu privilegio lucrandi fructus in absentia, qui in fraudem se conferunt prætextu studiorum ad talia loca, in quibus nullum, seu non competens est studiorum exercitium. Unde si alicubi studia vigeant, adeóque finis & utilitas, ob quam privilegium hoc studentibus Clericis concessum est, obtineri possit, eodem gaudebunt, qui ibi student, sive locus sit civitas, sive villa, sive castellum. Felin. etiam Hostiens. & alii apud Paxjord. *num.* 139. putent, quod si aliquis excellens Doctor legeret extra studii generalis locum, tutum fore in conscientia, qui sub illo studeret; hoc tamen Superioris arbitrio prudenter relinquendum, ne sub hoc prætextu tegantur otia; sed & ante Trident. solitum non peti ad hoc licentiam Episcopi testatur Azor. *loc. cit.* ex Innoc. Hostiens. &c. *in c. relatum.* Quin & passim impetrari solitam in Curia Romana à summo Pœnitentiario. Porrò dictum quinquennium incipit computari à die, quo cepit beneficiatus literis operam dare. Azor. *loc. cit.* Idem est de septennio, de quo paulò post, quod uti & dictum quinquennium debet esse utile, & integrum, deducto nimirum omni justo impedimento. Lott. *n.* 170. dicens hanc fuisse sententiam Lapi, Franch. & aliorum secutorum Archidiaconum. Denique dictis juribus & privilegiis comprehendi quoque habentes beneficia parochialia, & curata, potuisse nimirum eos olim ratione studiorum saltem de licentia Episcopi etiam ad septennium abesse satis indicant, & docent AA. Azor. *loc. cit.* Lott. *num.* 152. *&* *seq.* Engels *ad tit. de Cler. non resid. num.* 11.

2. Respondeo secundò: modo etiam post Trident. dictis juribus, & privilegiis, uti & privilegiis concessis specialiter quibusdam universitatibus, etiam quoad curatos derogatum non esse (cùm non exter decretum aliquod, in quo ea revocentur *c. enim.* 2. *sess.* 6. revocantur solùm indulta perpetua de non residendo. Garc. *n.* 69. sed neque *c.* 1. *sess.* 23. verbis illis: *quolibet privilegio*: quia ubi derogatur simpliciter privilegiis, in dubio non intelligitur de privilegiis insertis in jure, Bart. communiter receptus in *Extrav. ad reprimendum. v. non obstantibus.* Felin. *in c.* 1. *de rescrip. n.* 12. & plurimi alii apud Garc. *n.* 72.) sed & licere illis abesse ratione studiorum, petita & obtenta ab Ordinario licentia, tenent plures scribentes post Trid. sic expressè Laym. *Tho. mor. l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 6. *n.* 5. ait: concessum est Episcopo *in cap. cùm eo de elect. in* 6. dispensare cum promotis ad Ecclesias parochiales, ut usque ad septennium, quo in studiis morari possunt, ad sacerdotium promoveri non teneantur, modò intra annum post adeptam parochiam subdiaconi fiant. idem tradit *ad c. cùm ex eo. de elect. in* 6. Idem claris verbis tenet Pirh. *loc. cit. num.* 34. *ibid.* quod etiam curati quinque annis studere, & quamdiu, voluerint docere possint in Theologia & jure canon. absque eo, quòd opus sit ad hoc licentia Ordinarii, quamvis id intimandum Episcopo, præcisè, ut idoneum Vicarium substituere possit, quin &, si Episcopus impedire velit, quò minùs curatus, qui non sufficienter in his disciplinis instructus, & ad studia idoneus est, iis operam dare possit,

posit, is posset tanquam gravatus appellare, siquidem indultum à jure beneficium non est alicui auferendum, &c. ita manifestè supponit Lott. *cit. q. 27. num. 151. & seq.* dum ait *num. 152.* ex Abb. *in c. licèt*; quòd in tali casu causâ studii possit differri sacerdotium ad septennium, modò illico fiant subdiaconi. & *n. 161.* ex Archid. & Gemin. quòd si data habilitate ac legitimitate personæ denegaretur talis dispensatio, esset locus recursui impetrando officium Superioris, ita ut hic Episcopum cogeret ad dispensandum. & *num. 136.* quòd cùm hæc dispensatio fiat mediante deputatione Vicarii, qui animarum curam subeat, sicut hæc deputatio ad nullum alium, quàm Episcopum, ita etiam ista potestas dispensandi (subintellige ratione studii) non spectet nisi ad Episcopum. Zerola quoque *p. 1. v. studium* apud Garc. *num. 82.* dicit non esse adhuc ablatam Ordinariis auctoritatem dandi hujusmodi licentiam non residendi studiorum gratiâ habentibus Ecclesias parochiales, utpote quæ licentia eis competat jure communi, & quæ præscribuntur servanda in concessione hujusmodi licentiæ, dum ea petitur in urbe, servanda etiam esse locorum ordinariis, si quando eam volunt concedere, quamvis ad eam concedendam se debeant parcissimè habere. Zerolam sequi videtur Zechus *de rep. Eccl. tit. de Cler, non resid. num. 7.* apud Garc. *num. 84.* Verùm

3. Respondeo tertiò longè probabiliùs, modò post Trid. curatis vi dictorum jurium antiquorum ac privilegiorum non licet ampliùs ratione studiorum abesse, neque ad id Episcopus ultra dictos duos menses facere potest potestatem. Garc. *loc. cit. à n. 80.* Filiuc. *loc. cit. n. 29.* Paxjord. *n. 50.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 6. n. 251.* Alzedo *de præst. Episc. dign. p. 2, c. 9. n. 37.* Barb. *in collect. ad Trid. sess. 23. c. 1. n. 55.* uti & *de off. Paroch. cit. c. 8. n. 27.* Engels *loc. cit. &c.* sic sæpius declaratum à S. Congregatione testatur Paxjord. & alii passim; refert quoque Garc. *loc. cit.* plures harum declarationum, in quibus postquam præscriptus est modus servandus, dum datur istiusmodi licentia in Curia expressè subjungitur, hanc licentiam solùm habere locum in parochialibus obtentis ante Trid. quia in obtentis post Trident. licentia ab essendi studiorum gratia non datur. Et idem habetur juxta has declarationes S. Congreg. in Conc. Mediolan. *1. p. tit. 2. de residentia* apud Garc. *nu. 82.* atque ex his patet privilegium de non residendo, ut & de percipiendis fructibus derogatum quoad parochiales respectu studentium per Trid. Garc. *num. 83.* opus proinde ad hoc indulto speciali Papæ cum consensu ordinarii. Filiuc. *loc. cit.* Porrò circa modum servandum in concessione talis licentiæ, dum ea conceditur in Urbe, quoad parochiales obtentas ante confirmationem Trident. (quod observandum in ordine ad hoc, dum fortè talis licentia per speciale indultum committeretur Episcopo concedenda curato) ait eadem Congregatio apud Garc. *n. 81.* de licentiis percipiendi fructus in absentia ratione studii ex parochialibus, itémque de non promovendo, quatenus imposterum concedere contigerit his, qui in Curia præsentes erunt, is modus servetur, scilicet ut hi, qui illas petunt, præsentent se personaliter Illustriss. N. aut Reverèdissimo Prælato signaturæ sanctissimi, qui ex aspectu & brevi examine videant, an in fraudem id petatur; postea in licentia danda apponantur omnes hæ conditiones: Primò oneretur conscientia eorum, quibus conceditur, ut debeant verè & actu ipso in famosa Universitate studio Theologiæ, vel canonum operam dare, alioquin fructus non faciant suos, ac pœna non residentium teneantur, perinde ac si nullam licentiam habuissent. Secundò exprimatur in ea ætas impetrantis cum juramento, ut si fuerit major triginta annis, licentia non detur, nisi jam studium incepisset, & adhuc non absolvisset. Tertiò non concedatur nisi ad quinquennium à principio studii computandum cum clausula: *modò intra annum promoveatur ad subdiaconatum.* Quartò mandetur, ut cura animarum per Vicarium idoneum ab Ordinario eligendum gubernetur assignata congrua fructuum; pro his verò, qui erunt absentes à Curia licentiæ istæ committantur Ordinario, ubi est beneficium, & apponantur omnes qualitates, quæ supra. &c.

Quæstio 381. *Vbi nam dicto privilegio juris communis quoad curatos absentes ratione studiorum derogatum colligatur per illud Trid.* sess. 23. c. 1.

Respondeo: quatenus *ibidem* enixè statuit, ne curati abesse possint, nisi causâ prius per Episcopum cognita, & probata, & quod discedendi licentiam ultra bimestre non obtineant, nisi ex gravi causa; S. Congregatio verò interpretum dicti Concilii causam studii judicet non esse causam gravem hodie in beneficiis curatis post dictum Concilium obtentis, ut ea obtinens possit abesse ad studendum, & discendum, ex quo habentur parochiales per concursum, vel saltem in forma *dignum* per examen factum cum tribus Examinatoribus synodalibus, cúmque Concilium in beneficiis curatis id specialiter disponat in Ecclesiarum & animarum favorem, derogatur per illud dictum privilegium in jure insertum de percipiendis fructibus in absentia ratione studii, quoad beneficia curata. Et vel sic etiam derogatur privilegium de hoc specialiter concessum Universitatibus quibusdam, ut in iis per quinquennium tales studere possint, & in specie privilegium Eugenianæ concessum super hoc universitati Salmantic. licèt de iis privilegiis facta non sit mentio specialis, cùm privilegia ista contineant privilegium juris communis, illud extendendo. sic ferè verbotenus, Garc. *num. 107. & seq.*

Quæstio 382. *An, & quando negotium proprium, vel lis ipsius beneficiati sit causa justa absentiæ ab Ecclesia?*

1. Respondeo primò: ut negotium proprium (quod ponitur pro causa justa licentiæ ab essendi. *c. præsentiam 7. q. 1.* & Argumento *c. relatum*, ubi causa studii refertur ad quamlibet aliam honestam causam, juxta Gl. *v. prælatorum.* Lott. *n. 174.* sit causa justa necesse est, ut implicet utilitatem aliquam Ecclesiæ, vel beneficii, de cujus agitur residentia, vel ex persona propria ipsius beneficiati, vel ex natura rei. Lott. *num. 177.* Unde

2. Respondeo secundò: lis mota beneficiato super juribus & bonis ipsius beneficii, est causa justa absentiæ. *c. ex parte. de Cler. non resid.* Lott. *loc. cit.* Et in specie prosecutio litis super juribus & & bonis ipsius parochialis est Parocho justa causa absentiæ à parochia. Garc. *num. 48.* citans Nav. *consil. 14. de Cler. non resid.* Addit tamen, quòd ne-

que ex hac causâ in parochiali debeat dari licentia ad multum tempus, maximè hodie, stante Trid. *sess. 23. c. 1.* quamvis *num. 50.* dicat, ad hujusmodi absentiam pro causâ Ecclesiæ & prosecutione litis super juribus, seu bonis dignitatis, seu præbendæ non requiritur licentia superioris, quia jus ipsum eam dat. Econtra si lis non tangat statum personæ ipsius beneficiati, vel beneficii, sed sit super alia re, vel etiam super alio beneficio, non reputatur causa justa pro absentia ab Ecclesia vel beneficio residentiam exigente. Lott. *num. 178.* referens sic distinxisse Rotam *in Astensi fructuum 15. Mart. 1613. coram Manzanedo*, sic lis ejusque prosecutio super dignitate aut canonicatu ipso non excusat possessorem à residentia ultra tempus à Concilio permissum *sess. 24. c. 12.* Etsi prosecutio litis super juribus, seu bonis istius dignitatis aut canonicatûs excuset à residentia, quam aliàs dicta dignitas vel canonicatus exigit, & lucratur talis absens fructus illius. Garc. *n. 49.* juxta *c. ex parte, & c. cùm non deceat. de elect. in 6.* citans Navar. *ubi ante*, & referens sic decisum *in una Burgensi jurisdictionis 4. Maji 1584. coram Seraphino.* Sic etiam absentem ob prosecutionem litis super juribus suæ dignitatis non lucrari fructus sui canonicatûs, quem simul obtinet in eadem Ecclesia, quia non agit causam canonicatûs. tenet Garc. *num. 50.* contra Navar. *cit. consil. 14.* Quin & in specie, lis super parochiali non excusat à residentia, nec prosecutio talis litis. Garc. *num. 47.* citans desuper *num. 42.* clara verba declar. S. Congregationis. Hujus discriminis ratio est, quòd ubi agitur magnum interesse Ecclesiæ ipsius, aut explicitum, aut implicitum, permissum est beneficiato per se ipsum agere *c. 1. & ult. extra. depostulat.* ac consequenter abesse pro dicto negotio vel lite; ubi autem cessat tale interesse, præponderat causa residendi, quæ, cùm impediat eum abesse, subintrat provisio juris, ut per procuratorem negotium expediatur, cùm ad hoc usus procuratoris sit introductus, juxta *l. 1. de procurat.* Lott. *num. 180. & 181.* Porrò dum quis abest, tam, ut negotia Ecclesiæ pertractet principaliter, quàm ut sua alteriúsve pertractet principaliter, Ecclesia verò non nisi consecutivè, seu per quandam consequentiam, qua ea connexa sunt negotiis, & utilitati Ecclesiæ, haberi talem in utroque casu pro præsente, & percipere omnes fructus, qui solis præsentibus dari consueverunt, docet Lott. *num. 146. & seq.* juxta *c. licet vobis. extra. de præb.*

Quæstio 383. An, & qualiter ratione infirmitatis corporalis, & spiritualis Parochus excusatur à residendo?

1. REspondeo primò: infirmitas præstat justam causam non residendi, & tamen percipiendi fructus, *c. unico. de Cler. non resid. in 6.* is enim dicitur satis servire ad effectum consequendi alimenta, qui propter adversam valetudinem servire impeditur, juxta *l. rebus. ff. commod.* Host. apud Lott. *num. 134.* Modò tamen infirmitas non sit levis, sed considerabilis. Moneta *de distrib. p. 2. q. 6. nu. 21.* citatus à Lott. *num. 137.* sicut enim non sufficit ad justitiam causæ quæcunque utilitas, sed magna evidénsq; ita etiã requiritur necessitas provisi magna. Lott. *nu. 132.* citans Archid. *in c. licet causam. de elect. in 6.* Item modò infirmus sit is, qui dum sanus erat, consuetus est residere, & divinis interesse; non verò si nec sanus residebat. Lott. *n. 138.* citans Abb. *in c. ad audientiam. de Cler. non resid.* & Didac. *variar. resol. l. 3. c. 13. n. 8.* Circa quam tamen limitationem id observandum in genere ex Card. de Luca. *de Canon. d. 12. n. 7.* contrarium esse, si infirmus, aut aliter impeditus impedimento in jure expresso citra istam infirmitatem, aut aliud illud impedimentum solitus quoque erat non residere ex alia tamen justa causa, v. g. si nunc infirmus, ante infirmitatem etiam non residebat, inculpatè tamen, quia v. g. impediebatur ob servitium Episcopi, adhuc percipiet fructus & distributiones. Tenétque responsio, etiamsi quis propria culpa in talem infirmitatem incidisset. Lott. *num. 136.* Didac. *loc. cit.* contra Probum *in cit. c. unic. num. 17.* Unde jam in specie Parochus infirmus, qui ex defectu medicorum curari non potest in loco beneficii, licentiam obtinere valet ab Ordinario per tres vel quatuor menses in locis vicinis commorandi curationis gratiâ, constituto interim ab ipso Ordinario Vicario idoneo. Paxjord. *l. 10. tit. 40. num. 53.* citans Ugol. *de off. Episc. cap. 15. §. 3.* Zerol. *p. 1. v. residentia.* Barb. cit. *c. 8. n. 29.*

2. Respondeo secundò: quæ dicta de infirmitate corporali, eâdem ratione locum habent de infirmitate spirituali, modò in eam propriâ culpâ non inciderit quis. Lott. *n. 138.* sic si quis injustè fuerit excommunicatus, suspensus, &c. ac propterea non admissus ad divina, seu residere ad effectum exercendi pastoralia, proventus percipiet. Lott. *num. 139.* citans Monet. *ubi supra q. 15. num. 18.* etsi quamdiu durat excommunicatio, non patefacta ejus injustitia, nihil ei dandum sit, nisi quatenus fortè fame periret. Lott. *n. 141.*

3. Respondeo tertiò: huc quoque spectare, quæ casu aliquo extrinseco circa personam contingunt, similémve necessitatem inducunt, ut si quis injustè incarceratus sit, etiam in eodem oppido, de quibus vide Lott. *à num. 142.*

Quæstio 384. An propter aeris intemperiem, pestem, aliúmve morbum contagiosum, vel ob populi furorem excusetur Parochus à residentia?

1. REspondeo ad primum negativè, nimirum ob aeris intemperiem non posse Parochum, etiamsi inde oriundus non sit, dimissâ residentiâ habitare alibi, etiam de licentia Episcopi, & licet idoneum Vicarium vellet subrogare. Paxjord. Ugol. Zerol. Barb. paulò ante citati.

2. Respondeo ad secundum etiam negativè, nimirum Parochum causâ grassantis contagionis non excusari à residentia, dum immineret detrimentum gregis in spiritualibus, nec adessent, qui supplere possent, & vellent. Paxjord. *loc. cit.* & citatus ab eo Barb. *ubi ante n. 81.* Quin & licet Parochus pestem fugiens alios idoneos ministros vellet loco sui substituere, non excusari adhuc à residentia, decisum fuisse, instante S. Carolo Borromæo, ex Selva refert Barb. *in cit. c. 1. Trid. sess. 23. n. 60.* apud Engels *de Cler. non resid. nu. 17.* cùm utique in calamitoso illo statu parochiani ex præsentia proprii Parochi magnam consolationem habeant. Qui tamen *num. 18.* ait nimis durum esse dicere, quòd Parochus eousque obligetur, ut etiam per se ipsum tempore pestis sacramenta administrare teneatur, si idoneum Vicarium, vel alios viros religiosos habere posset (declarasséq; hoc ipsũ S. Congregationem ad instantiam S. Caroli; nimirum posse Parochum tempore pestis per alium idoneum

mini-

ministrare parochianis peste infectis sacramenta pœnitentiæ & baptismi, etsi & tunc adhuc residere teneatur, testatur Barb. *de paroch. p. 2. c. 17. n. 18.*) quos tamen si habere nequiret, tenebitur vitam suam corporalē pro vita spirituali ovium sibi commissarum exponere. Oportet nihilominus, ut tempore pestis in administrandis sacramentis se cautè gerat, ne ex ipsius præmaturo obitu plures alii spirituale damnum patiantur. Vide apud eundem Engels, quas *num. 19.* hanc in rem ex Medicorum ac Theologorum conciliis collectas regulas adjicit.

Quæstio 385. *An ob capitales inimicitias Ordinarius dare possit Parocho licentiam non residendi?*

REspondet negativè Paxjord. *loc. cit.* idque ut ait, ex declaratione S. Congreg. Episcoporum. Sed recurrendum ad ipsam S. Congregationem, quæ non soleat concedere ultra sex menses ad effectum interim resignandi, vel permutandi, quidquid aliàs concedere hac in parte potuisse Episcopos, doceat Zerol. *in praxi p. 1. v. privatio.* Bonac. *de onere & oblig. beneficiat. p. 5. n. 2. & alii.*

Quæstio 386. *An, & qualiter excusentur à residentia Parochi aliique curati ob servitium præstitum Papæ, Episcopis, Cardinalibus? &c.*

1. REspondeo primò: ratione debitæ obedientiæ summo Pontifici justè à residentia excusatur, percipitque fructus Episcopus à Pontifice accersitus ad tempus breve pro ministerio ac servitio sedis Apostolicæ, vel bono aliquo Ecclesiæ Universalis vel Reipublicæ; quamvis commodè posset suppleri idem ministerium per non Episcopum. Paxjord. *num. 54.* citans Caranz. *tr. de residentia. c. 12.* Sanctarell. *variar. resol. l. 1. quæst. 3. n. 3. &c.* Verumtamen ad hoc, ut talis Episcopus absens in conscientia sit liber, non sufficit obedientia tantùm, sed requiritur debita obedientia, ita ut Papa non puro suo arbitrio & libitu, sed ex rationabili causa, seu cum aliqua necessitate id præcipiat, C. Tolet. *in tr. de residentia vers. 4. causa ult.* apud Paxjord. *loc. cit.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 4. q. 3. §. quinta causa.* Adeóque multò minus excusabitur apud DEUM affectata obedientia, dum nimirum quis studiosè, & ambitiosè præceptum tale Papæ procurat. Paxjord. *ibid.* Quòd si Episcopus ad Curiam vocaretur, ut sit Camerarius, Vice-Cancellarius, summus Pœnitentiarius, Auditor Rotæ, Datarius, à Secretis, aut confessionibus Papæ, licitè conceditur ei potestas abessendi à sua Ecclesia, adeóque licitè obedit, dum non adsunt alii non Episcopi ad dicta munia æquè commodè exequenda. Azor. *loc. cit. q. 5.* Paxjord. *num. 35.* qui dicit id vix credibile in tanta prudentum, præstantium ac doctissimorum in Urbe affluentia. Secus si tales alii æquè idonei adsint. AA. iidem citantes Cajetan. *2. 2. q. 185. n. 5.* Sot. *l. 10. q. 3. num. 4.* Pari modo si ea sit hominum penuria, ut docet & ait Azor. *loc. cit. q. 6.* qui hæc gerant munia, & præstent obsequia eadem, licebit Episcopo ex Pontificis, non verò ex Cæsaris aliúsque Principis sæcularis indulgentia abesse ab Ecclesia, ut in Curia Regum ac Principum fungatur officio Regii Præsidis, confessarii, consiliarii, Proregis, inquisitoris in hæreticos, &c. eò quòd ad communem Reipublicæ salutem pertineant, & privato commodo commune bonum charitatis lege præponatur. Secus si sint alii ad hæc æquè idonei. Cajet. & Soto *loc. cit.* Addit Paxjord. *num. 36.* nullum munus existere, in quo Episcopi potius, quàm alii per summum Pontificem adhibendi, ac pro universali commodo Ecclesiæ à residentia excusandi, quàm Nunciorum Ordinariorum ad Principes.

2. Respondeo secundò: Cardinales in Ecclesiis, quibus ut Pastores præficiuntur, commorari & præsentes esse etiam jure communi compelli, ita ut non eo ipsò, quo Cardinales sunt, residendi præcepto liberentur; cum Trident. *cit. sess. 23. c. 1.* dicat: etiam Cardinales S. Romanæ Ecclesiæ obligari ad personalem residentiam. Azor. *loc. cit. q. 7.* qui tamen addit, quotiescunque Cardinalis eo est consilio, sapientiâ, prudentiâ, industriâ, ut Papa hisce adminiculis plurimū egeat, licitè illum à Papa solvi legibus residendi. De cætero præscindendo à dicta Pontificis, & communis boni egentia, Cardinalatum non esse sufficientem causam, ut dum Cardinalis est simul Episcopus certæ Ecclesiæ procul ab urbe distantis, absit à sua Ecclesia, commorando in Curia Romana; docent iidem Cajet. & Sot. *ll. cit.* contra Canonistas aliquot Oldend. Villadiego &c. apud Azor. *loc. cit. q. 7.*

3. Respondeo tertiò: quòd de Episcopis dictum, dicendum quoque de Parochis, aliisque curatis, nimirum non posse eos perpetuò, aut ad longum tempus detineri absentes à suis Ecclesiis Romæ in servitio Papæ, nisi ex causa gravis necessitatis, vel majoris utilitatis publicæ. Azor. *loc. cit. q. 3. §. porrò hæc.* Pirh. *de Cler. non resid. n. 15.* contra Sylv. *v. residentia. q. 7.* generatim & de omnibus docentem, eos, qui in sacello pontificio tanquam Cantores, Capellani vel Clerici inserviunt, & simpliciter, quicunque Papæ inserviunt etiam Notarii, aliique Scriptores, si id faciant jussu Pontificis excusari à residentia. Idem est de aliis non tantùm habentibus curam animarum exteriorem tantùm, sed etiam habentibus dignitatem, administrationem &c. citra illam curam animarum quoad forum internum. Azor. *loc. cit. §. si autem quæras,* citans Abbat. & Jo. And. *ad c. ad audientiam. de cler non resid.* secùs est de Canonicis, aliisque non curatis, de quibus inferius.

4. Respondeo quartò: non potest Episcopus (idem est de Cardinale legato Apostolico &c.) parochum vel alium curatum abstrahere à sua Ecclesia, & occupare in suo, vel Cathedralis Ecclesiæ servitio ultra bimestre aliàs ei concessum, saltem sine gravi causa (qualem dicit Pirh. *n. 41.* esse, dum in aliqua diœcesi ad aliquod tempus non adesset alii idonei, qui muneribus paulò pòst exprimendis fungerentur) v. g. in visitatione suæ diœcesis, in officiisque Vicarii Generalis, Procuratoris fiscalis, & similibus Pirh. *loc. cit. n. 16.* Garc. *cit. p. 3. c. 2. n. 40.* Azor. *loc. cit.* Gonz. *ad reg. 8. Gl. 6. n. 255.* Paxjord. *loc. cit.* citans Possevin. *de off. curat. c. 1. n. 12.* Barb. Alzed. &c. contra Sylv. *loc. cit.* & Hojed. *c. 17. n. 29.* apud Garc. *loc. cit.* absolutè docentes eum, qui est in servitio Episcopi excusari à residentia, etiamsi habeat beneficium curatum. item contra Navar. *consil. 15. de cler. non resid.* apud Garc. *n. 45.* quatenus docet, parochum etiam post Trid. posse de licentiâ sui Ordinarii ex justa causa, nempe ut sit Vicarius Generalis alterius Episcopi, etiam ad multum tempus, abesse. Quod ipsum admittit Pirh. *cit. num. 41.* dum alii

idonei ad ista munia non ad sint; eò quòd Trident. jus antiquum permittens Episcopo ex gravi causa dare licentiam Parocho abessendi ultra duos menses non abrogarit. Vide etiam de hac Navarri doctrina Zerol. *v. parochus.* §. 6. textus enim concedentes id privilegium non residendi, & in absentia percipiendi fructus adscitis in servitium proprii Episcopi loquuntur solùm de Canonicis, adeóque illud privilegium non est extendendum ad alios, quia materia est damnosa Ecclesiis, & præjudicans cultui divino. Lott. *loc. cit. n.* 185. & consequenter multò minùs ad curatos. Pirh. *loc. cit.* Exstántque desuper claræ declarationes S. Congregationis *ad cit. c.* 1. *Trident.* Garc. *n.* 42. quarum prima sic habet: *Episcopus non potest uti operâ Parochi in visitatione vel in alio servitio suæ diœcesis, nisi pro tempore permisso duorum mensium &c.* Altera: *non licet Episcopo suorum, vel etiam Cathedralis Ecclesiæ negotiorum causa permittere, ut curati extra ipsorum curam maneant, etiam constituto Vicario*; quibus declarationibus consonant Concilia Bononiense & Mediolan. apud Garc. *loc. cit.* quibus proinde, ut ait idem Garc. *n.* 44. sublata videtur & correcta declaratio quædam alia ejusdem S. Congreg. quâ dicebatur, posse Episcopum uti operâ Parochi pro visitatione suæ diœcesis ad quadrimestre, quam declarationem recitat Garc. & ejus meminit Zechus *de casibus reservat. casu* 3. *de resid. n.* 2.

Quæstio 387. *An, & qualiter excusentur curati à residentia ob peregrinationem?*

Respondeo: parochus aliúsve curatus, etiam de licentia Ordinarii ob causam piæ peregrinationis, etiam ex voto, abesse nequit ultra bimestre aliàs ipsi concessum; eò quòd peregrinatio etiam ex voto suscepta non sit ex causis à jure expressis. Pirh. *loc. cit. n.* 23. citans Garc. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 392. *& seq.* qui etsi ibi loquatur non de parochis aut curatis, sed de Canonicis, rectè tamen ex hac ejus doctrina à potiore arguitur ad parochos, aliósque curatos.

Quæstio 388. *Quæ pœnæ jure antiquo ante Trid. fuerint statutæ animarum Curatoribus non residentibus?*

1. Respondeo primò: quoad Ecclesias majores id est Episcopatus, nullibi reperitur à SS. Canonibus statutum, ut privatio earum ab Episcopis non residentibus ipso jure incurratur, sed opus erat sententiâ privatoria, adeóque id nulla interpretatione debet, aut potest suaderi. Lott. *l.* 3. *q.* 27. *num.* 46. Argumento *c.* 2. *& tuæ. de cler. non resid.*

2. Respondeo secundò: quoad Ecclesias verò minores parochiales pœna Parochorum, aliorúmque curatorum est privatio Ecclesiæ parochialis, seu beneficii curati ipso jure incurrenda. *c. exstirpanda. de præb.* Lott. *n.* 47. Garc. *cit. p.* 3. *c.* 2. *n.* 131. citato autem capite duo disponuntur; nimirum ut habens parochialem deserviat ei per se ipsum, & non per alium; & habens præbendam vel dignitatem, cui annexa parochialis, deserviat ei per Vicarium, &c. dein subjungitur: *Alioqui illa se sciat auctoritate hujus decreti privatum libere alii conferenda, &c.* quæ clausula pœnalis non restringitur ad proximam tantùm dispositionem, quod nimirum solùm negligens statuere deservire per Vicarium in Ecclesia annexa dignitati, sit ea privandus (intellige pro tempore vitæ, absque eo, quòd dicta parochialis avellatur aliàs ab ipsa præbenda, cui annexa) ut Hostiens. & hunc secutus Anchar. apud Lott. *loc. cit.* sed referatur ad utrumque, ut Innoc. & Abb. *in cit. c. exstirpanda.* Selva *p.* 4. *q.* 3. Hojed. *de benef. compat. p.* 1. *c.* 18. *num.* 11. Lott. *loc. cit. num.* 49. & quòd clausula non restringatur ad proximam, ubi inter proximam & remotam non est diversitas rationis, ut ostendit Lott. *ibid.* vel etiam, ut contra communem probat Garc. *num.* 133. singulariter afficit solum casum primum, nimirum parochos parochialis non annexæ alteri præbendæ. Sed neque textus *cit. capitis* sic extensus est correctorius antiquorum canonum, in quibus indicatur necessitas sententiæ privatoriæ (quamvis censeat Gloss. apud Azor. *cit. l.* 7. *c.* 6. *q.* 4. omnia illa jura *in tit. de Cler. non resid.* esse correcta per decretum. *cap. illud exstirpandæ. &c.* desumptum ex Concil. Lateran. faveátque glossæ Garc. *loc. cit. n.* 138.) nam *c.* 2. *& c. ex tuæ*, & alibi *tit. de Cler. non resid.* ubi fit mentio Ecclesiæ, *Ecclesia* de Episcopatu accipitur, & appellatione *parochia* non venit parochialis Ecclesia, sed diœcesis, ut ex Cujacio *in rubric. hujus tit. ad principium & medium* ostendit Lott. *num.* 50. *& seq.* Adeóque necessitas illa sententiæ privatoriæ respicit solas Ecclesias majores, seu Episcopos, utpote quibus, ut dictum, privatio ipso jure incurrenda nullibi intentatur. Quamvis & aliter dicta jura conciliet Azor. *loc. cit.* nimirum, quòd *cit. c. exstirp.* locum habeat, cùm manifestum notoriúmque fuerit, parochum aliúmve curatum, absque legitima causa & licentia abesse à sua Ecclesia, vel etiam suum beneficium pro delicto habere (ut si absens uxorem ducat, vel aliam parochiam accipiat, vel miles effectus in bello pugnet Gl. *in c. ult. de Cler. non resid.*) eò quòd cùm ob facti notitiam opus non sit ulla monitione aut citatione, sed possit Ordinarius alteri conferre beneficium tanquam vacans, ac si citatus & monitus fuisset, & quòd in his casibus non sit ipso facto privatus beneficio, jure tamen privatus censeatur. Cæteri verò textus locum habeant, dum dubitatur aut non constat, legitimène parochus absit, aut ambigitur justéne impeditus sit, quò minùs ad suam Ecclesiam redeat; tunc enim priùs monendus, quàm privetur.

3. Respondeo tertiò: quoad monitionem præviam, an ea necessaria sit ad hoc, ut incurratur prædicta pœna privationis ipso jure à Parochis non residentibus nec ne, controverti ab AA. affirmativam tenente Innoc. cum pluribus, negativam Abbate cum aliis apud Garc. *n.* 135. *& seq.* quem vide.

4. Pro qua conciliatione clausulam pœnalem complecti duo minimè confundenda, aut quoad Ordinem invertenda, nimirum condemnationem his verbis: *sciat se privatum auctoritate hujus decreti*; & executionem condemnationis comprehensam his verbis: *liberè alias conferenda*: cùm non possit conferri uni beneficium alterius, quin auferatur ab illo.

5. Secundò quoad condemnationem penitus excludi quodcunque hominis ministerium, eámque ipso jure incurri (si tamen qualitates legis eam inducentis verificentur, id est, quòd nolit residere, quæ qualitas ex sola & simplici absentia contra juris præscriptum convincitur, ut Abb. *in cit. c. extirpand. num.* 26.) citra necessitatem ullius monitionis; quoad executionem verò opus esse monitione, quatenus ubicunque ipso jure pœna incurritur, pro-

propter factum, exigitur sententia factum illud simpliciter declarans existere Felin. *in c. Rudolphus. de rescript. n. 34.* Verum

6. Notandum tertiò executionem aliam esse juris, quatenus juris sententia omnes juris effectus secum trahit; & alteram facti, quatenus juris effectus hominis ministerio ad extrinsecam executionem facti deducuntur. Gemin. *in cap. felicis. de pœnis. num. 8.* Decius *consil. 145. num. 5.* Porrò quoad executionem circa juris effectum, qui hic consistit in sola & simplice privatione, nulla requiritur monitio, quod voluit Abb. *loc. cit. num. 19.* si autem quæratur de extrinseca illa executione, quæ versatur in facto, nimirum in spoliatione beneficii, & in conferendo illud alteri, non est dubium, requiri declaratoriam, ut dictum, & consequenter monitionem & citationem partis, quæ tamen monitio à Canonibus requisita tanquam præambula ad spoliationem propter non residentiam in Ecclesiis curatis non foret pars substantialis ipsius privationis, sed simpliciter solùm requiritur, ut patefiat, neque hinc tollitur, quo minus non residens, seu nolens residere, sit jam privatus apud DEUM. Lott. *n. 66.* qui judicat hanc esse mentem Abbatis.

7. Quartò opus non esse, ut talis monitio sit trina. Lott. *num. 68.* citans Abb. *in c. exstirp. num. 25.* Selv. *cit. q. 3. num. 5.* Hojed. *cit. c. 18. n. 24.* Neque requiri, ut exspectetur per sex menses. Abb. *ibid. num. 23.* sed satis esse exspectari aliquantulum, ut Innoc. quod ait Lott. esse de consilio: sed neque ad hoc opus istâ monitione, ubi esset certum, seu constaret vel ex conjecturis talem abfuisse sine justa causa. Lott. *n. 67.* ex Abb. *l. cit. n. 21. & 22.*

8. Denique ubi factum absentiæ, seu voluntatis non residendi & liquidum, ita ut dici possit, pœna privationis ipso jure incursa, non posse eam remitti per Ordinarium, sed tantùm per Papam. Lott. *num. 70.* ex Archid. Jo. And. & Franc. *in cit. c. felicis*, multóque minus posse ab Ordinario evitari hunc effectum juris, statuendo nimirum eandem pœnam privationis ex aliqua Synodali constitutione contra Rectores absentes, nisi intra certum tempus ad residendum redierint; talis enim constitutionis virtus restringeretur ad id, ut non exigeretur alia ulterior monitio; atque ita respiceret solam executionem extrinsecam, non intrinsecam juris, adeóque nec in hoc casu esset censenda sententia super privatione, sed simplex declaratoria incursæ privationis. Lott. *num. 71. & seq.* citans Federic. de Senis *cons. 109. n. 7.* & hunc secutum Felin. *in c. prohibeas. de Magist. num. 5.* Butrio *in c. quoniam. ut lite non contestata. num. 7.* Quin & si in hoc casu, dum nimirum pœna privationis incurritur ipso jure, diceret Ordinarius, se propter absentiam talem privare (cùm in hoc casu ipse privare non posset, sed solùm declarare privatum) nihil aliud ageret, quàm declararet privatum, cùm secundùm juris intellectum utrinsq; tunc formulæ idem sit sensus, respiciens nimirum solam executionem extrinsecam. Lott. *num. 74.*

Quæstio 389. Quæ pœnæ statutæ animarum curatoribus ob non residentiam jure novo, sive post Trident.

1. REspondeo primò: circa Episcopos hæc haberi in Trident. *sess. 6. c. 1. si quis à Patriarchali, Metrpolitana, seu Cathedrali Ecclesia sibi quocunque titulo, causa, nomine, seu jure commissa, quacunque ille dignitate, gradu, & præeminentia fulgeat, legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diœcesin manendo abfuerint, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat. Quòd super alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam fructuum similiter applicandam eo ipso amittat; crescente verò contumacia, severiori SS. Canonum censuræ subjiciatur. sess.* verò *23. c. 1.* hæc habentur: *si quis contra hujus decreti dispositionem* (quo statuitur, ut Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & quicunq; alii Cathedral. Ecclesiis, quibuscunq; quocunq; nomine & titulo præfecti, etiamsi Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, personaliter in sua Ecclesia, vel diœcesi resideãt, nec ultra tres menses eis indultos absint) *abfuerit: statuit SS. Synodus præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas & innovatas, & peccati mortalis reatum, quem incurrit, cùm pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia declaratione etiam non secuta sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante per Superiorem Ecclesiasticum, illos fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunque conventione, vel compositione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus, quibuscunque privilegiis cuicunque Collegio, aut fabricæ concessis. &c.*

2. Circa quæ signanter Notandum primò, quòd dum primo loco dicitur quartem partem fructuum unius anni subtrahendam *sess.* verò *23. c. 1.* dicitur, quòd omnes fructus tempori absentiæ pro rata correspondentes sint restituendi integrè, & in totum, auctam esse pœnam per hunc secundum locum, ita ut absens per sex menses jam non tantùm amittat quartam partem fructuum unius anni (intellige jam legitimè acquisitorum per residentiam) sed insuper puniatur non perceptione fructuum aliàs percipiendorum pro rata hujus semestris absentiæ. Vide Castrop. *tr. 13. de benef. d. 5. p. 3. n. 2.* Less. *de jure & just. l. 2. c. 34. n. 157.*

3. Notandum secundò quòd obligatio restituendi fructus pro rata absentiæ non tantùm intret ipso jure, sed etiam absque omni sententia declaratoria, ut signanter dicitur in textu *cit. c. 1. sess. 23.* etsi enim ordinariè lex pœnalis, etiam sub pœna ipso jure incurrenda, non obliget delingentem ad executionem sine sententia judicis saltem declaratoria, excipitur tamen, nisi hujusmodi lex consistat in privatione, ita ut faciat aliquem inhabilem ad acquirendum v. g. ut fructus beneficii non faciat suos. Pirh. *de cler. non resid. num. 54.* citans Castrop. cujus contrarium videtur esse in erogatione dictæ quartæ partis fructuum, si ea, ut censet Castrop. *loc. cit.* sumenda ex fructibus jam legitimè perceptis & possessis; eò quòd ad eos percipiendos nulla lege inhabilis redditus fuerit, adeóque requiri sententiam declaratoriam. Porrò an, & qualiter Episcopi, dum non residunt, amittant alternativam mensium quoad conferenda beneficia, vide apud Lott. *circa initium cit. q. 27.* item apud C. de Luca *de benef. d. 93. n. 13. & 15. & seq. d. 18. n. 9.*

4. Respondeo secundò quoad curatos animarum inferiores, hæc habet Trident. *cit. sess. 23. c. 1. eadem omnino* (nimirum quæ paulò ante statuta quoad Episcopos) *quoad culpam & amissionem fructuum de curatis inferioribus, & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens, obtinent, sacrosancta synodus declarat & decernit:* posteáque subjungit: *quòd si per edictum citati etiam non personaliter contumaces fuerint, liberum vult esse*

Ordi-

Ordinariis per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliáque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere; nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscunque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento quacunque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemoriali, quæ potiùs corruptela censenda est, sine appellatione aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis suspendi posse &c. ita Concilium: præter quæ super residentia Prælatorum, aliorúmque curam animarum habentium emanavit constitutio Pii IV. ejusque motus proprius, in quibus præter pœnas constitutas à Trident. in virtute S. obedientiæ, nec non sub pœna privationis illorum, & amotionis ab Ecclesiarum regimine, atque amissiones facultatis testandi, & disponendi, aliisque pœnis suo & Romani Pontificiis arbitrio imponendis renovat præceptum residendi. Vide de hoc Paxjord. *l. cit. n.* 20.

5. Circa illam autem Concilii dispositionem præter notatum paulo ante de obligatione restituendi intrante ipso jure absque sententia declaratoria. Notandum primò, præter peccatum mortale à Concilio tres statui pœnas absentibus ultra duos menses curatis sine justâ causâ & licentiâ obtentâ, nimirum amissionem fructuum, infl;ctionem censurarum Ecclesiasticarum, & privationem beneficii, atque ita ut ipsum Concilium ait *c.* 1. *sess.* 6. quin & ut de *c.* 1. *sess.* 23. ait C. Luca *ad Trid. d.* 4. *n.* 15. & in genere Azor *loc. cit. c.* 6. *q.* 4. innovantur per dictum antiquorum Canonum dispositiones, & pœnæ jure communi constitutæ.

6. Notandum secundò, non tamen innovari per Concilium pœnam privationis ipso jure incurrendam statutam *c. exstirpandæ*, sed potiùs eam hodiedum cessare, ita ut hodiedum, etiam post monitionem absens parochus non sit ipso jure privatus beneficio parochiali; aliàs enim statim procedendum esset ad declarandum talem privatum, nec esset in arbitrio Episcopi, qua via, & quo remedio ex iis, nimirum dictis tribus uti vellet. Garc. *loc. cit. n.* 139. Paxjord. *n.* 64. citans Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 10. *n.* 61. & Barb.

7. Notandum tertiò, vi dicti decreti Conciliaris necessarium non esse, ut Episcopus in his pœnis infligendis servet ordinem, ita ut priùs infligat censuras, dein persistentibus in contumacia amissionem fructuum, ac denique privationem; sed poterit absque aliis pœnis mox procedere ad privationem, cùm Concilium relinquat id liberum Episcopis, declaratióque S. Congreg. ad *cit. c.* 1. sic habeat: *compellere arbitrii est Episcopi, qua via, & quo remedio ex iis uti voluerit contra non residentes* Garc. *loc. cit. n.* 139. Paxjord. *loc. cit. num.* 65. citans Barb. *c.* 8. *de off. Paroch. n.* 73. Lott. *n.* 115.

8. Notandum quartò, quòd dum Concilium dicit: quòd si per edictum citati etiam non personaliter contumaces fuerint, posse Episcopum procedere contra eos per censuras, id intelligendum esse cum terminis habilibus, nimirum vel ubi citandus dolosè latitat, seu aliàs impedimentum præbet, quò minùs citetur, in quo casu citatio per proclama; vel edictum illum reddit verè contumacem, ac si personaliter citatus esset: vel intellgendum de censuris minoribus, puta interdicto, suspensione &c. C. de Luca *de benef. d.* 60. *n.* 8. & 9. Excommunicationem verò cùm sit pœna gravissima, atque in spiritualibus plusquam ordinaria, majúsque sit aliquem excommunicari, quàm temporaliter plecti capite, omnino necessaria est personalis citatio juxta *c. sacro, de sententia excomm.* & Buratt. *decis.* 176. *n.* 1. Card. de Luca *ibid. n.* 7. qui etiam *n.* 10. subjicit, quòd observantia prædecessorum non residendi de facto, ubi etiam damnata tanquam corruptela, etsi non firmaret statutum, nec induceret excusationem ab onere residendi in futurum, præbeat tamen excusationem à contumacia, & incursu pœnarum de præterito juxta deducta per Farinac. *q.* 95. *nu.* 1. & *seq.* quòd scilicet mala consuetudo non excuset ab aliis effectibus civilibus, sed bene à pœna. Similiter etsi sacra etiam Congregatio declaraverit; posse quoque ad ipsam pœnam privationis procedi, prævia sola ista citatione per edictum sine personali monitione seu citatione, ut testatur Fagn. *in c. ex tuæ. de cler. non resid. n.* 31. dictúmque est per Rotam *in una Caligurit. Canonicatús coram Cantuccio*, adeóque per hoc Trid. decretum, id quod aliàs jure communi dispositum, nimirum seclusâ dolosâ latitatione & affectato impedimento ad inducendam veram contumaciam, ob quam ad hujusmodi pœnam ordinariam procedi valeat, opus esse citatione personali; nihilominus adhuc id intelligendum, ubi absentia esset culpata & injusta, & incertum ubi Clericus talis moratur, non autem ubi locus scitur, & non residentia non est omnino culpata, sed ex aliquo motivo saltem colorata, docet C. de Luca *de benef. d.* 77. *n.* 11. citans Fagn. *in cit. c. ex tuæ. nu.* 4. & Lott. *n.* 83. *cum seq.* ubi etiam dictus Cardinalis *num.* 12. ait: dictum decretum conciliare de sufficientia solius edicti procedere in solis parochialibus; in dignitatibus enim & Canonicatibus, aliisque beneficiis Cathedralium & Collegiatarum dispositum esse videtur circa pœnas aliter, citátque pro hoc Fagn. *ubi ante n.* 14. & 14. ubi etiam advertat, mendosam esse declarationem enunciatam per Manticam *decis.* 67. *n.* 6.

9. Notandum quintò, quoad amissionem fructum pro rata absentiæ illâ incurri, ut dictum, ipso jure, adeóque absque eo, quòd ab Episcopo infligatur, aut quasi executioni detur hæc pœna (quamvis Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 6. apud Pirh. *loc. cit. n.* 74. dicat amissionem fructuum pro rata absentiæ absque omni sententia judicis faciendam, in eo rigore receptum non esse, si per absentiam culpabilem clerici notabile damnum Ecclesiæ illatum non sit; quia Vicarius interim constitutus erat) ubi tamen parochi negligunt dictos fructus restituere, Episcopus in executione facienda super istis fructibus, quos Parochi pro rata absentiæ non fecerunt suos, non tenetur observare intervalla, aliáque, quæ aliàs vi *c.* 1. *sess.* 6. observare debet, quoties in pœnam omissæ residentiæ vult subtrahere partem fructuum, quos suos fecerunt. sic habet declaratio S. Congreg. apud Garc. *n.* 32.

10. Notandum sextò, non posse hanc pœnam remitti ab Episcopo, cùm non possit dispensare contra Canones, dictique fructus ob non residentiam restituendi sunt integrè, & nullum locum habeat compositio juxta *cit. c.* 1. *Trid.* Garc. *n.* 30. citans Navar. Rodriq. &c.

11. Notandum septimò, quòd sicut dicti fructus ab Episcopis restituendi sunt fabricis Ecclesiarum, aut pauperibus diœcesis prout maluerint, ita restituendos à Parocho debere restitui fabricæ Ecclesiæ suæ parochialis, aut pauperibus ipsius parochiæ, etsi non reperiantur pauperes intra limites parochiæ, restituendi sunt præcisè fabricæ Ecclesiæ,

cleſiæ, etiamſi pro tunc non indigeat, quia poteſt egere ſaltem quo ad ornamenta. Garc. *n.* 31. citans claram deſuper S. Congregationis declarationem.

12. Notandum octavò: quòd etſi dictæ pœnæ extendantur ad omnes habentes beneficium aliquod curam animarum habens, adeóque ad ipſos etiam Coadjutores, & Vicarios perpetuos, non tamen pertinent ad Abbates ad Priores habentes curam animarum ſuorum religioſorum, ſed ad ſolos habentes curam animarum ſæcularium per ipſoſmet adminiſtrandam; de tali enim cura loquitur Concilium, ut reſpondit etiam S. Congreg. regulares autem in adminiſtratione ſuorum regularium reliquit ſuis ſtatutis, & ſuperiorum regularium ordinationibus. Leſſ. *loc. cit. n.* 161. Addit Engels *de cler. non reſid. n.* 5. pœnas illas circa amiſſionem fructuum in Abbatibus non reſidentibus propterea locum habere non poſſe, quia illi propter votum religioſæ paupertatis proprios reditus non habent, ſed omnia monaſterio acquirunt, quod ex Abbatis culpa damnificari non debet juxta *c. delictum, de reg. juris, in 6.* & *c. ſi Epiſcopum. 16. q. 6.* unde per alia media Eccleſiaſtica contra contumaces debere procedi.

13. Notandum nonò: quòd dum Concilium dicit, dictas pœnas contra Parochos non reſidentes privilegio, licentiâ, ſtatuto, conſuetudine immemoriali, aut etiam appellatione, aut inhibitione ſuſpendi non poſſe, plures apud Garc. *loc. cit. n.* 161. tenere, generaliter id accipiendum eſſe contra abſentes ſive obedientes, ſive contumaces; neque tamen etiam Concilium ibi tollere appellationem devolutivam, ſed ſolum ſuſpenſivam tenet Garc. *ibid. n.* 162. teſtans, ſic ſæpe cenſuiſſe S. Congregationem.

14. Notandum decimò, poſſe ſic Epiſcopum compellere quoque Rectores parochialium, etſi earum collatio pertineat ad inferiores collatores, ut habet S. Congregationis declaratio ſuper *cit. c. 1. ſeſſ. 23.*

15. Notandum denique circa ordinem procedendi ad privationem contra non reſidentem, quòd licet privatus ob non reſidentiam deſtituatur omni jure & poſſeſſione, nec per appellationem ſuſpendatur exercitio juxta *c. relatum, & c. conquerente. de cler. non reſid.* & diſpoſitionem Trident. *cit. c. 1. ſeſſ. 25.* & conſtitutionem Pii V. 67. Lott. *cit. q. 27. n.* 75. id tamen intelligi, ſi juris ordine ſervato proceſſum fuerit, aliàs enim ſententia erit nulla, poteritque pro parte illius, contra quem eſt lata, inſtari pro manutentione in poſſeſſione. Lott. *n.* 76. citans *deciſ.* 1346. *Seraph. per totam.* Hinc jam pro contingentia variorum caſuum.

Quæſtio 390. *An dum abſentia à principio fuit juſta, quia nimirum ex juſta cauſa, & cum licentia Superioris conceſſa ad certum tempus, quod jam elapſum eſt (in quo caſu, quod non revertitur infra tempus, reputari eum deſertorem beneficii, & cenſeri illum vagari, ait Lott.* n. 77. *citans Bellamer. & jus civile) requiratur monitio antequam ſpolietur, & beneficium conferatur alteri?*

1. REſpondet primò Gl. *in c. quoniam frequenter* affirmativè. Reſpondet ſecundò Jo. And. in *idem c. nu.* 52. ſub diſtinctione, nimirum opus non eſſe monitione, ſi in ipſa licentia conceſſa inſerta fuit monitio: ſi autem inſerta non fuit, opus eſſe monitione, aut citatione. Lotterius *num.* 79. ait quod ipſe in praxi non recederet à dicta diſtinctione, etſi in puncto juris veriorem cenſeat ſententiam illam antiquorum apud eundem Jo. And. *loc. cit.* quæ dicit, debere moneri, vel exſpectari per ſex menſes, ita ut elapſis iſtis menſibus ultra tempus licentiæ abſque ulla monitione procedi poſſit ad privationem, eò quòd cùm nullus canon exſtet, qui hanc neceſſitatem monendi expreſsè imponat, ſubintret diſpoſitio juris civilis, à quo hoc determinatum eſt, ut effluxio ſex menſium à die elapſi temporis conceſſi per ſe ſola ſufficiat, ut miles qui commeatum obtinuit tanquam deſertor, etiamſi poſtea revertatur, habeatur & loco moveatur ſuo: quamvis ſi reverſus probaverit juſtum impedimentum redintegretur. *l. deſertorem. ff. de re milit.* quod ipſum in noſtra materia diſpoſuerunt Canones, ut *c. præſentium 7. q. 1.* Lott. *n.* 80. *& ſeq.*

Quæſtio 391. *Quid ſi temerè receſſit, ſciturque locus in quo moratur, neque ipſe latitat, vel impedit acceſſum ad ſuam perſonam?*

REſpondeo: debet legitimè moneri, ut ad ſuam Eccleſiam revertatur intra tempus conveniens juxta locorum diſtantiam & temporis qualitatem, arbitrio Epiſcopi præfigendum: & ſi intra illud non redierit, vel cauſam juſtam, quo minus redierit, non oſtenderit (quin & reſidentiam continuârit; non enim per ſimplicem reditum videtur ſatisfactum monitioni, aut contumacia purgata, etiamſi fuerit reſidentia continuata Lott. *l. 3. q. 27. num.* 91. dicens ſic docere omnes, ac præcipuè Jo. And. *ad c. ex parte*) poterit poſtmodum Eccleſia privari, ut eſt caſus in *c. inter quatuor, & c. ult. de cler. non reſid.* Lott. *n.* 83. ita ut opus adhuc ſit tali monitione, etiamſi abſentia non ſit notoria, niſi ipſi ſuperiori præſentiam exigenti. Lott. *num.* 85. quantumcunque diuturna fuerit abſentia juxta *c. ex parte* & Gl. 16. *v. decem annorum.* Lott. *num.* 86. Non tamen requiritur monitio, uti nec privatio ſolennis, & judicialis, ſed ſufficit, quòd de facto moneatur, & de facto ſpolietur. Lott. *num.* 84. citans Abb. *in c. ex parte. & c. qualiter. de Cler. non reſid.* Felin. *in c. 2. de reſcript. &c.* ita ut poſt relatam dictam monitionem perſonaliter executam, & lapſum temporis in ea conſtitutũ non ſit neceſſe aliud tempus exſpectare; ſed illicò poſſit procedi ad privationem, mediante promotione alterius. Lott. *nu.* 89. citans Gl. *ad c. quoniam frequenter.* Mantic. *deciſ. 67. n. 5.* &c. tenétque hoc ipſum, etiamſi aliter conſtet monitionem ad ejus notitiam deveniſſe. Lott. *n.* 90.

Quæſtio 392. *Quid ſi ſciatur locus, ſed ipſe abſens impediat, ne perſonaliter moneatur?*

REſpondeo: tunc probato, hujuſmodi impedimento, debet citari per edictum, eáque citatio operabitur eum effectum, quem citatio perſonalis juxta *c. quoniam frequenter.* Lott. *n.* 92. ita ut non ſit opus citationem illam iterare, aut exſpectare alium lapſum temporis Lott. *n.* 93. citans Abb. *in c. ex tuæ. n.* 12. Porrò impedimentum illud probari poterit, vel per formalem relationem executoris

Ordinariis per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliáque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere; nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscunque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento quacunque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemoriali, quæ potiùs corruptela censenda est, sine appellatione aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis suspendi posse &c. ita Concilium: præter quæ super residentia Prælatorum, aliorúmque curam animarum habentium emanavit constitutio Pii IV. ejusque motus proprius, in quibus præter pœnas constitutas à Trident. in virtute S. obedientiæ, nec non sub pœna privationis illorum, & amotionis ab Ecclesiarum regimine, atque amissiones facultatis testandi, & disponendi, aliisque pœnis suo & Romani Pontificiis arbitrio imponendis renovat præceptum residendi. Vide de hoc Paxjord. *l. cit. n.* 20.

5. Circa illam autem Concilii dispositionem præter notatum paulo ante de obligatione restituendi intrante ipso jure absque sententia declaratoria. Notandum primò, præter peccatum mortale à Concilio tres statui pœnas absentibus ultra duos menses curatis sine justâ causâ & licentiâ obtentâ, nimirum amissionem fructuum, infl;ctionem censurarum Ecclesiasticarum, & privationem beneficii, atque ita ut ipsum Concilium ait *c.* 1. *sess.* 6. quin & ut de *c.* 1. *sess.* 23. ait C. Luca *ad Trid. d.* 4. *n.* 15. & in genere Azor *loc. cit. c.* 6. *q.* 4. innovantur per dictum antiquorum Canonum dispositiones, & pœnæ jure communi constitutæ.

6. Notandum secundò, non tamen innovari per Concilium pœnam privationis ipso jure incurrendam statutam *c. exstirpandæ*, sed potiùs eam hodiedum cessare, ita ut hodiedum, etiam post monitionem absens parochus non sit ipso jure privatus beneficio parochiali; aliàs enim statim procedendum esset ad declarandum talem privatum, nec esset in arbitrio Episcopi, qua via, & quo remedio ex iis, nimirum dictis tribus uti vellet. Garc. *loc. cit. n.* 139. Paxjord. *n.* 64. citans Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 10. *n.* 61. & Barb.

7. Notandum tertiò, vi dicti decreti Conciliaris necessarium non esse, ut Episcopus in his pœnis infligendis servet ordinem, ita ut priùs infligat censuras, dein persistentibus in contumacia amissionem fructuum, ac denique privationem; sed poterit absque aliis pœnis mox procedere ad privationem, cùm Concilium relinquat id liberum Episcopis, declaratióque S. Congreg. ad *cit. c.* 1. sic habeat: *compellere arbitrii est Episcopi, qua via, & quo remedio ex iis uti voluerit contra non residentes* Garc. *loc. cit. n.* 139. Paxjord. *loc. cit. num.* 65. citans Barb. *c.* 8. *de off. Paroch. n.* 73. Lott. *n.* 115.

8. Notandum quartò, quòd dum Concilium dicit: quòd si per edictum citati etiam non personaliter contumaces fuerint, posse Episcopum procedere contra eos per censuras, id intelligendum esse cum terminis habilibus, nimirum vel ubi citandus dolosè latitat, seu aliàs impedimentum præbet, quò minùs citetur, in quo casu citatio per proclama; vel edictum illum reddit verè contumacem, ac si personaliter citatus esset: vel intellgendum de censuris minoribus, puta interdicto, suspensione &c. C. de Luca *de benef. d.* 60. *n.* 8. & 9. Excommunicationem verò cùm sit pœna gravissima, atque in spiritualibus plusquam ordinaria, majúsque sit aliquem excommunicari, quàm temporaliter plecti capite, omnino necessaria est personalis citatio juxta *c. sacro, de sententia excomm.* & Buratt. *decis.* 176. *n.* 1. Card. de Luca *ibid. n.* 7. qui etiam *n.* 10. subjicit, quòd observantia prædecessorum non residendi de facto, ubi etiam damnata tanquam corruptela, etsi non firmaret statutum, nec induceret excusationem ab onere residendi in futurum, præbeat tamen excusationem à contumacia, & incursu pœnarum de præterito juxta deducta per Farinac. *q.* 95. *nu.* 1. & *seq.* quòd scilicet mala consuetudo non excuset ab aliis effectibus civilibus, sed bene à pœna. Similiter etsi sacra etiam Congregatio declaraverit; posse quoque ad ipsam pœnam privationis procedi, prævia sola ista citatione per edictum sine personali monitione seu citatione, ut testatur Fagn. *in c. ex tuæ. de cler. non resid. n.* 31. dictúmque est per Rotam *in una Caligurit. Canonicatús coram Cantuccio*, adeóque per hoc Trid. decretum, id quod aliàs jure communi dispositum, nimirum seclusâ dolosâ latitatione & affectato impedimento ad inducendam veram contumaciam, ob quam ad hujusmodi pœnam ordinariam procedi valeat, opus esse citatione personali; nihilominus adhuc id intelligendum, ubi absentia esset culpata & injusta, & incertum ubi Clericus talis moratur, non autem ubi locus scitur, & non residentia non est omnino culpata, sed ex aliquo motivo saltem colorata, docet C. de Luca *de benef. d.* 77. *n.* 11. citans Fagn. *in cit. c. ex tuæ. nu.* 4. & Lott. *n.* 83. *cum seq.* ubi etiam dictus Cardinalis *num.* 12. ait: dictum decretum conciliare de sufficientia solius edicti procedere in solis parochialibus; in dignitatibus enim & Canonicatibus, aliisque beneficiis Cathedralium & Collegiatarum dispositum esse videtur circa pœnas aliter, citátque pro hoc Fagn. *ubi ante n.* 14. & 14. ubi etiam advertat, mendosam esse declarationem enunciatam per Manticam *decis.* 67. *n.* 6.

9. Notandum quintò, quoad amissionem fructum pro rata absentiæ illâ incurri, ut dictum, ipso jure, adeóque absque eo, quòd ab Episcopo infligatur, aut quasi executioni detur hæc pœna (quamvis Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 6. apud Pirh. *loc. cit. n.* 74. dicat amissionem fructuum pro rata absentiæ absque omni sententia judicis faciendam, in eo rigore receptum non esse, si per absentiam culpabilem clerici notabile damnum Ecclesiæ illatum non sit; quia Vicarius interim constitutus erat) ubi tamen parochi negligunt dictos fructus restituere, Episcopus in executione facienda super istis fructibus, quos Parochi pro rata absentiæ non fecerunt suos, non tenetur observare intervalla, aliáque, quæ aliàs vi *c.* 1. *sess.* 6. observare debet, quoties in pœnam omissæ residentiæ vult subtrahere partem fructuum, quos suos fecerunt. sic habet declaratio S. Congreg. apud Garc. *n.* 32.

10. Notandum sextò, non posse hanc pœnam remitti ab Episcopo, cùm non possit dispensare contra Canones, dictique fructus ob non residentiam restituendi sunt integrè, & nullum locum habeat compositio juxta *cit. c.* 1. *Trid.* Garc. *n.* 30. citans Navar. Rodriq. &c.

11. Notandum septimò, quòd sicut dicti fructus ab Episcopis restituendi sunt fabricis Ecclesiarum, aut pauperibus diœcesis prout maluerint, ita restituendos à Parocho debere restitui fabricæ Ecclesiæ suæ parochialis, aut pauperibus ipsius parochiæ, etsi non reperiantur pauperes intra limites parochiæ, restituendi sunt præcisè fabricæ Ecclesiæ,

cleſiæ, etiamſi pro tunc non indigeat, quia poteſt egere ſaltem quo ad ornamenta. Garc. *n.* 31. citans claram deſuper S. Congregationis declarationem.

12. Notandum octavò: quòd etſi dictæ pœnæ extendantur ad omnes habentes beneficium aliquod curam animarum habens, adeóque ad ipſos etiam Coadjutores, & Vicarios perpetuos, non tamen pertinent ad Abbates ad Priores habentes curam animarum ſuorum religioſorum, ſed ad ſolos habentes curam animarum ſæcularium per ipſoſmet adminiſtrandam; de tali enim cura loquitur Concilium, ut reſpondit etiam S. Congreg. regulares autem in adminiſtratione ſuorum regularium reliquit ſuis ſtatutis, & ſuperiorum regularium ordinationibus. Leſſ. *loc. cit. n.* 161. Addit Engels *de cler. non reſid. n.* 5. pœnas illas circa amiſſionem fructuum in Abbatibus non reſidentibus propterea locum habere non poſſe, quia illi propter votum religioſæ paupertatis proprios reditus non habent, ſed omnia monaſterio acquirunt, quod ex Abbatis culpa damnificari non debet juxta *c. delictum, de reg. juris, in 6.* & *c. ſi Epiſcopum. 16. q. 6.* unde per alia media Eccleſiaſtica contra contumaces debere procedi.

13. Notandum nonò: quòd dum Concilium dicit, dictas pœnas contra Parochos non reſidentes privilegio, licentiâ, ſtatuto, conſuetudine immemoriali, aut etiam appellatione, aut inhibitione ſuſpendi non poſſe, plures apud Garc. *loc. cit. n.* 161. tenere, generaliter id accipiendum eſſe contra abſentes ſive obedientes, ſive contumaces; neque tamen etiam Concilium ibi tollere appellationem devolutivam, ſed ſolum ſuſpenſivam tenet Garc. *ibid. n.* 162. teſtans, ſic ſæpe cenſuiſſe S. Congregationem.

14. Notandum decimò, poſſe ſic Epiſcopum compellere quoque Rectores parochialium, etſi earum collatio pertineat ad inferiores collatores, ut habet S. Congregationis declaratio ſuper *cit. c. 1. ſeſſ. 23.*

15. Notandum denique circa ordinem procedendi ad privationem contra non reſidentem, quòd licet privatus ob non reſidentiam deſtituatur omni jure & poſſeſſione, nec per appellationem ſuſpendatur exercitio juxta *c. relatum, & c. conquerente. de cler. non reſid.* & diſpoſitionem Trident. *cit. c. 1. ſeſſ. 25.* & conſtitutionem Pii V. 67. Lott. *cit. q. 27. n.* 75. id tamen intelligi, ſi juris ordine ſervato proceſſum fuerit, aliàs enim ſententia erit nulla, poteritque pro parte illius, contra quem eſt lata, inſtari pro manutentione in poſſeſſione. Lott. *n.* 76. citans *deciſ.* 1346. *Seraph. per totam.* Hinc jam pro contingentia variorum caſuum.

Quæſtio 390. *An dum abſentia à principio fuit juſta, quia nimirum ex juſta cauſa, & cum licentia Superioris conceſſa ad certum tempus, quod jam elapſum eſt (in quo caſu, quod non revertitur infra tempus, reputari eum deſertorem beneficii, & cenſeri illum vagari, ait Lott.* n. 77. *citans Bellamer. & jus civile) requiratur monitio antequam ſpolietur, & beneficium conferatur alteri?*

1. REſpondet primò Gl. *in c. quoniam frequenter* affirmativè. Reſpondet ſecundò Jo. And. in *idem c. nu.* 52. ſub diſtinctione, nimirum opus non eſſe monitione, ſi in ipſa licentia conceſſa inſerta fuit monitio: ſi autem inſerta non fuit, opus eſſe monitione, aut citatione. Lotterius *num.* 79. ait quod ipſe in praxi non recederet à dicta diſtinctione, etſi in puncto juris veriorem cenſeat ſententiam illam antiquorum apud eundem Jo. And. *loc. cit.* quæ dicit, debere moneri, vel exſpectari per ſex menſes, ita ut elapſis iſtis menſibus ultra tempus licentiæ abſque ulla monitione procedi poſſit ad privationem, eò quòd cùm nullus canon exſtet, qui hanc neceſſitatem monendi expreſsè imponat, ſubintret diſpoſitio juris civilis, à quo hoc determinatum eſt, ut effluxio ſex menſium à die elapſi temporis conceſſi per ſe ſola ſufficiat, ut miles qui commeatum obtinuit tanquam deſertor, etiamſi poſtea revertatur, habeatur & loco moveatur ſuo: quamvis ſi reverſus probaverit juſtum impedimentum redintegretur. *l. deſertorem. ff. de re milit.* quod ipſum in noſtra materia diſpoſuerunt Canones, ut *c. præſentium 7. q. 1.* Lott. *n.* 80. *& ſeq.*

Quæſtio 391. *Quid ſi temerè receſſit, ſciturque locus in quo moratur, neque ipſe latitat, vel impedit acceſſum ad ſuam perſonam?*

REſpondeo: debet legitimè moneri, ut ad ſuam Eccleſiam revertatur intra tempus conveniens juxta locorum diſtantiam & temporis qualitatem, arbitrio Epiſcopi præfigendum: & ſi intra illud non redierit, vel cauſam juſtam, quo minus redierit, non oſtenderit (quin & reſidentiam continuârit; non enim per ſimplicem reditum videtur ſatisfactum monitioni, aut contumacia purgata, etiamſi fuerit reſidentia continuata Lott. *l. 3. q. 27. num.* 91. dicens ſic docere omnes, ac præcipuè Jo. And. *ad c. ex parte*) poterit poſtmodum Eccleſia privari, ut eſt caſus in *c. inter quatuor, & c. ult. de cler. non reſid.* Lott. *n.* 83. ita ut opus adhuc ſit tali monitione, etiamſi abſentia non ſit notoria, niſi ipſi ſuperiori præſentiam exigenti. Lott. *num.* 85. quantumcunque diuturna fuerit abſentia juxta *c. ex parte* & Gl. 16. *v. decem annorum.* Lott. *num.* 86. Non tamen requiritur monitio, uti nec privatio ſolennis, & judicialis, ſed ſufficit, quòd de facto moneatur, & de facto ſpolietur. Lott. *num.* 84. citans Abb. *in c. ex parte. & c. qualiter. de Cler. non reſid.* Felin. *in c. 2. de reſcript. &c.* ita ut poſt relatam dictam monitionem perſonaliter executam, & lapſum temporis in ea conſtitutũ non ſit neceſſe aliud tempus exſpectare; ſed illicò poſſit procedi ad privationem, mediante promotione alterius. Lott. *nu.* 89. citans Gl. *ad c. quoniam frequenter.* Mantic. *deciſ. 67. n. 5.* &c. tenétque hoc ipſum, etiamſi aliter conſtet monitionem ad ejus notitiam deveniſſe. Lott. *n.* 90.

Quæſtio 392. *Quid ſi ſciatur locus, ſed ipſe abſens impediat, ne perſonaliter moneatur?*

REſpondeo: tunc probato, hujuſmodi impedimento, debet citari per edictum, eáque citatio operabitur eum effectum, quem citatio perſonalis juxta *c. quoniam frequenter.* Lott. *n.* 92. ita ut non ſit opus citationem illam iterare, aut exſpectare alium lapſum temporis Lott. *n.* 93. citans Abb. *in c. ex tuæ. n.* 12. Porrò impedimentum illud probari poterit, vel per formalem relationem executoris

toris super tali impedimento. ut Menoch. *de arb. c.* 112. *n.* 19. Lott. *n.* 94. si autem talis relatio formalis haberi nequit, ex aliqua violentia poterit justificari ex minus justis & informibus probationibus. Lott. *ibid.*

Quæstio 393. *Quid si penitus ignoretur, ubinam gentium vel locorum degat absens, ita ut nequeat personaliter citari?*

1. REspondeo: tunc debet citari tribus vicibus & exspectari per sex menses, & non ante hos elapsos privari potest *c. ex tuæ.* & *ibid.* DD. præcipuè Abb. *n.* 13. Lott. *n.* 95. citans Mantic. *decis.* 12. *n.* 2. & *Rotam.* Idem est, dum scitur quidem locus, sed is talis est, in quo non potest commodè citari. Lott. *n.* 96. testans sic clarè censuisse Rotam apud Mantic. *loc. cit.* & esse ex mente Abb. *in c. quoniam freq. n.* 11. *ut lite non contestata.*

2. Circa hunc casum observandum primò, quòd antequam decernantur edicta, debet constare Episcopo non simpliciter de absentia, sed de tali absentia qualificata per summariam informationem, quam sumet à personis fide dignis extra judicialiter, nemine citato, juxta practicam, quam docuit Bart. *in Extrav. ad reprimendam. v. per edictum. n.* 6. Lott. *l.* 3. *q.* 27. *n.* 97.

3. Secundò, non minuendum hunc numerum ternorum edictorum, quasi unum solum cum peremptorio sufficeret pro tribus, ut censuit Oldra. *cons.* 196. *n.* 6. Canones enim exigunt trinam hanc citationem per edictum, non solùm, ne præmaturè procedatur; Verùm etiam, quia facilius potest pervenire ad notitiam absentis citatio, si ter fiat, quàm si semel cum peremptorio; & quia ex hac multiplicatione insurgit major contemptus judicis & major contumacia, ut Felin. *in c. quoniam freq. n.* 32. & Bellamer, *ibid. n.* 16. Lott. *n.* 99. Et ita regulare est, ubi agitur de incursu pœnæ, nusquam unicam citationem sufficere pro tribus. & sic sentire omnes *in c. ex tuæ.* testatur Lott. *n.* 100. qui tamen addit *n.* 101. tolerari nihilominus posse sententiam Oldradi, si agatur de parochiali ob rationem particularem, de qua Hojed. *p.* 1. *c.* 18. *nu.* 24. Addit etiam Garc. *cit. p.* 3. *c* 2. *n.* 160. in genere, ad procedendum contra absentes, præter privationem non videri opus trina citatione per edictum, sed sufficere unam peremptoriam, quamvis trinam requiri etiam ad privationem fructuum dicat tenuisse Rotam.

4. Tertiò dictum lapsum sex mensium debere computari post lapsum ultimi peremptorii. Lott. *n.* 102. citans Abb.

5. Observandum denique tanquam quid commune his quatuor casibus, nimirum non esse necessariam positivam pronunciationem super privatione, sed sufficere declaratoriam super vacatione ob non residentiam. Lott. *nu.* 103. citans Mantic. *decis.* 67. *nu.* 8. vel quòd beneficium conferatur tanquam vacans. Abb. *in c. inter quatuor. num.* 2. Butrio *in c. ex tuæ. num.* 9. apud Lott. *ibid.* cùm in sententiis valeat argumentum à consequente ad necessarium antecedens, ut dicatur pronunciatum super consequens, dicatur etiam implicitè pronunciatum super tale antecedens. Lott. *n.* 104. ex Mantica *loc. cit.*

Quæstio 394. *Quid si post requisitionem seu citationem comparuerit excusator, vel etiam redierit ipse absens?*

1. REspondeo ad primum: si comparuerit excusator, qui causas absentiæ, & justi impedimenti proposuerit, nisi hæ causæ fuerint excussæ, processus & omnia erunt nulla. Bart. qui etiam tradit modum illud deducendi in praxin *in l. quæsitum. n.* 4. *de re judiciar.* prout etiam *in l.* 1. *n.* 4. *c. de diverf. tempor. præscript.* tradit, an & quando teneatur sic monitus excusatorem mittere, vide Lott. *n.* 106. & 107.

2. Respondeo ad secundum: si nemo comparuerit, sed ipse absens postmodum reversus deduxerit, & probaverit impedimentum, quo tenebatur, validus quidem erit processus cum omnibus inde secutis Lott. *l.* 3. *q.* 27. *n.* 108. citans Jo. And. *in c. inter quatuor. num.* 2. sed ei subvenitur extraordinario remedio in integrum restitutionis, juxta text. *c. præsentium* 7. *q.* 1. Lott. *n.* 109. citans Alex. de Nevo *in c. ult. de Cler. non resid. n.* 22. unde jam poterit judicium per procuratorem promoveri coram Ordinario eodem, sive per viam nullitatis, si causæ propositi impedimenti non fuerint discussæ, juxta gl. ult. *in l. judex, ff. de rejudic.* vel per viam restitutionis, si impedimentum non fuit propositum, possit tamen probari *l. præfecti. ff. de minor.* Lott. *n.* 110. & 111. Porrò justi impedimenti causæ reducuntur ad Magistratûs imperium, tempestates, aut vim fluminis, ad valetudinem. jurisconf. *ad l.* 2. *ff. si quis caution.* Lott. *n.* 112. Et quoad valetudinem standum est medicorum relationi, juxta *l. semel. c. de re milit.* quin etiam proprio juramento infirmi, si concurrat aliqua verisimilitudo ex vestigiis infirmitatis, v. g. si sit facie extenuata. Bart. *in l. quæsitum.* vide Lott. *n.* 113.

PARAGRAPHVS II.

De onere residendi aliorum beneficiatorum non curatorum.

Quæstio 395. *Quinam præterea, & quo jure residere teneantur? ac imprimis quid sit hac in parte circa beneficia simplicia in genere?*

1. REspondeo primò: spectatâ juris communis dispositione, omne beneficium, quantumcunque simplex habet onus residendi. Lott. *l.* 3. *q.* 27. *n.* 8. dicens hanc esse communem omnium opinionem. Garc. *p.* 3. *c.* 2 *n.* 1. citans quamplurimos. Excipit tamen *ibid.* præstimonia, seu præstimoniales portiones, quas dicit videri ex sua institutione nullum habere servitiũ annexum, quàm recitationem horarum. citat pro hoc Azor. *l.* 10. *c.* 4. *ad finem.* Navar. *de orat. miscell.* 48. *aliàs* 43. Puteum &c. contra Hojed. *de incomp. c.* 17. *n.* 25. Cur verò residentiam requirant de jure communi rationem vivam dari à Tholos. *de benef. c.* 7. *nu.* 1. & Covar. *var. resol. l.* 3. *c.* 13. *num.* 3. dicit Lott. *loc. cit.*

2. Re-

2. Respondeo secundò: ex eo, quòd postea multa beneficia facta sint insufficientia ad sustentationem illa obtinentium, per generalem consuetudinem beneficia hujusmodi simplicia onus residendi exuerunt. Lott. *num.* 9. Garc. *num.* 3. *& seq.* pro hac communi citans quamplurimos. uti & plures decisiones Rotæ, & S. Congregationis declarationes, in quarum etiam una dicitur: *Episcopus non potest cogere obtinentes beneficia simplicia aliquod personale servitium suis beneficiis impendere, cùm ex antiquissima totius Ecclesiæ consuetudine non nisi ad officium recitandum teneantur.*

3. Respondeo tertiò: consuetudinem hanc generalem non residendi in beneficiis simplicibus cessare, & requiri residentiam, ubi aliud inductũ est jure speciali, v.g. ubi adest statutum, vel consuetudo in contrarium, & potissimum dispositio testatoris, seu fundatoris. Garc. *n.* 11. citans Felin. *in c. dilectus. de rescript. n.* 1. Zerol. *v. beneficium, & v. privatio*, plurésque ad fusum Rotæ decisiones. Nihil enim est, quo minùs ex statuto Ecclesiæ alicujus possit induci hæc necessitas etiam abrogando consuetudinem; sive fiat hujusmodi statutum per solum capitulum sine interventu Episcopi, sive per solum Episcopum sine capitulo; modò semper urgeat necessitas, vel utilitas Ecclesiæ ex defectu ministrorum. Lott. *loc. cit. num.* 15. & 16. citans Abbatem *in c. cùm omnes. de constit. num.* 1. & *ibidem* eum secutos Decium & Felin. Nihil enim hoc casu decernitur contra jus, sed potius dimota illa consuetudine reditur ad jus commune, & vel sic ad statutum majoris perfectionis ex mente citatorum AA. & Rotæ *in decis.* 375. *num.* 4. *p.* 2. *recent.* Lott. *num.* 17. decerneretur autem contra jus, si vel cessaret causa, vel decretum de residendo non afficeret omnes æqualiter, sed aliquos tantùm ejusdem gradûs & ordinis. Lott. *num.* 18.

Quæstio 396. *An, & quando exprimenda, præsumenda, & arguenda sit qualitas residentialis in beneficiis istiusmodi simplicibus?*

1. REspondeo ad primum: licèt opus non sit, ut ait Rota *in una Verdun. canonicatus* 23. *februarii An.* 1587. *coram Gipsio* apud Garc. *p.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. probare, quòd Capellania obtenta narrata in gratia non requirat residentiam, cùm beneficia simplicia de generali consuetudine residentiam non requirant. Hæc tamen qualitas vel ex hoc ipso, quòd propter generalem illam consuetudinem non præsumatur, veniat omnino exprimenda, ubi ea supponitur, sive versemur in gratia provisiva, sive unione aut suspensione. Lott. *num.* 25. *& seq.* citans pro utroque plures.

2. Respondeo ad secundum: de cætero in dubio non præsumitur in esse beneficio qualitas ista residentiæ propriæ, & præcisæ juxta communem. Gonc. *ad reg.* 8. *gl.* 15. *num.* 19. & 22. de Luc. *de benef. d.* 58. *n.* 4. citans Jo. And. Abb. Butrio & alios *in c. fin. de Cler. non resid.*

3. Respondeo ad tertium: neque arguitur ex onere canendi, v.g. litanias, vel etiam certis horis assistendi divinis in choro, cùm ista assistentia importet solum residentiam causativam, de qua supra. Idem Card. de Luca *loc. cit.* & *d.* 57. *num.* 7. Sicut autem ex pretii seu emolumenti quantitate arguitur contrahentium, vel disponentium voluntas, ita etiam ex emolumentis beneficii & oneribus dubia voluntas fundatoris circa onus residendi arguitur; ita ut in dicto casu dubii, dum reditus sunt tenues, & improportionati isti oneri residendi, bene arguitur, non fuisse eam fundatoris voluntatem. Card. de Luca *loc. cit. num.* 8. & 9. qui etiam *d.* 59 *num.* 5. advertit in similibus beneficiis simplicibus non attendendam nuncupationem Canonicorum, sive quòd tales beneficiati hìc & nunc quandoque vulgò dicantur Canonici, & Ecclesiæ Collegiales; non enim attenditur cortex & formalitas verborum, sed substantia veritatis, adeóque sola nuncupatio non facit Canonicos. Vide quoque quoad hæc, nimirum unde beneficio simplici à fundatore impositum onus residentiæ præcisæ arguatur, dicta superius. Vide etiam Lott. *hic loc. cit. num.* 12. *& seq.* ubi etiam ait *n.* 14. quòd etsi fundator dixit: *celebret per se ipsum*, concludatur requiri residentiam, non tamen refragetur Rota, ut per Manticam *decis.* 67. *num.* 12. in hoc casu aliquando fuisse præstitum servitium per substitutum aut aliter observatum. Ac denique *n.* 20. ait, beneficium rectè censeri ratione ei annexi Ordinis requirere residentiam (intellige præcisam) citátque pro hoc se ipsum *l.* 2. *q.* 47.

Quæstio 397. *Quid sit in hoc puncto quoad obtinentes in Ecclesiis cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones?*

1. REspondeo: tenentur hi ad residentiam, ita ut non liceat eis vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses etiam continuos (ut Congregatio declaravit) ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt (sic ut in isto casu tunc nequidem dictis tribus mensibus liceat abesse) ita Trident. *sess.* 24. *c.* 12. Censet quoque Lott. *loc. cit. num.* 20. *& seq.* ideo etiam requiri in Canonicis & portionariis Ecclesiarum cathedralium residentiam personalem, quia ex dispositione Trid. *loc. cit.* in cathedralibus omnes canonicatus, & portiones habent annexum Ordinem sacrum, cùm beneficium ratione annexionis Ordinis sacri dicatur requirere residentiam tam de jure quàm consuetudine, ut Card. *in c. ult. de Cler. non resid.* & Alex. de Nevo *in c. pervenit. de appellat.* apud Lott. *ibid.*

2. Porrò circa hæc notanda & deducenda sequentia potissimum ex Garcia. Primò comprehendi hac Concilii dispositione dignitates etiam principales, quæ sunt capita Ecclesiarum collegiatarum, & habent tantum jurisdictionem in Canonicos, & deservientes in illis Ecclesiis, ut habet declaratio S. Congreg. apud Garc. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 181. etiamsi hæ dignitates essent exemptæ à jurisdictione Episcopi. Garc. *ibid.*

3. Secundò eum, qui habet dignitatem, maximè principalem, in collegiata, cui competit etiam sedes in cathedrali, teneri residere in collegiata, non obstante, quòd dicta sedes requirat etiam residentiam in Cathedrali, quia sedes illa in Collegiata, est dignior, cùm ibi sit caput. Garc. *num.* 182. referens fusè sic resolutum *in una Vallesolet. residentia coram sacrato* 1. *Junii* 1611.

4. Tertiò eum, qui obtinet Canonicatum, & Monasterium ab animarum cura liberum, teneri residere in Canonicatu; eò quòd in Monasteriis & Abbatiis, quæ curâ & conventu carent, necessaria non est residentia. Garc. *n.* 183. juxta S. Congreg. declarationes, quas citat.

5. Quartò eum, qui habet ex dispensatione duas dignitates, vel duos Canonicatus, dum æquales sunt, posse, in quo maluerit, residere, alias tenetur residere in digniore, vel in eo beneficio, quod majorem residendi causam habet; sic etiam, qui præter Canonicatum aliud beneficium habet ex legitima dispensatione, quod majorem vel æqualem causam residendi habet, licet non intersit muneri, quod exigat Canonicatus, non potest tamen eo privari, nec aliâ pœnâ affici, nisi privatione distributionum quotidianarum. Garc. *n.* 185. *& seq.* ex variis S. Congregat. declarationibus.

6. Quintò, per dictam Concilii dispositionem derogatum etiam consuetudini immemoriali non residendi, seu abessendi ultra tres menses. ita Garc. *n.* 197. postquam multa attulisset in contrarium *à nu.* 190. citans pro hac sententia Covar. *variar. resolut. l.* 3. *c.* 13. *n.* 9. Hojed. *de incomp. c.* 17. *n.* 20. & quamplurimas desuper claras S. Congregationis declarationes, quarum una sic habet: *S. Dominus noster Greg. XIII. ex sententia S. Congregationis declaravit, immemorialem consuetudinem non excusare à residentia in Cathedralibus & Collegiatis insignibus; in Collegiatis autem non insignibus posse excusare, si Ecclesiæ sint rurales prorsus destitutæ, aut in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere, aut in quibus adeo tenues reditus essent, ut Canonicos aliunde non habentes, unde viverent, alere non possent; & sufficit ad excludendam immemorialem, quod aliqui Canonici residerint &c.* unde ait Garc. *n.* 199. obtinentes dignitates in talibus Ecclesiis, non posse hodie excusari à residentia, licet ante Concilium Trident. essent in consuetudine immemoriali non residendi; nec etiam videri posse eos excusari dicendo, quòd Concilium non sit quoad hoc receptum in dictis dignitatibus & certis Ecclesiis, quas nominat; eò quòd dum Concilium derogat consuetudini immemoriali, videatur ei derogare tanquam irrationabili, ut Covar. *loc. cit. n.* 5. adeoque non videatur excusare non receptio. ita ille: citans desuper seipsum *p.* 11. *c.* 5. *n.* 161.

7. Sextò, obtinentes dictas dignitates teneri residere, etiamsi ante Concilium cum iis esset litigatum super residentia, & habuissent sententiam, & rem judicatam in favorem, quia probaverant immemorialem consuetudinem non residendi; cùm enim sententia illa & res judicata fundetur, & innitatur consuetudini immemoriali, non dat plus roboris illi, quàm de se habet, sed solùm imponit finem liti, & sententia non dat jus, sed declarat competere jus ex illa consuetudine. Garc. *nu.* 210. citans desuper S. Congregationis declarationem; addénsque *nu.* 212. non obstare in contrarium adducta à *n.* 200. nimirum quòd derogatione sententiarum non comprehendantur eæ sententiæ, quæ jam transierunt in rem judicatam; cùm id ipsum procedat solùm, ubi non constat sententiam & rem judicatam fundari, & inniti fundamento revocato, quale hic est ipsa consuetudo immemorialis, cui, ut dictum, derogatum est.

8. Septimò, non tamen per Concilium derogatum esse statuto à sede Apostolica confirmato, quo conceditur abesse ultra tres menses. Garc. *n.* 214 *& seq.* citans plures decisiones S. Congr. modò tamen statutum confirmatum sit ex certa scientia, & cum causæ cognitione; statuta enim & concordiæ confirmata in forma communi, non censentur præservata, sed derogata per Concilium. Garc. *n.* 221. *& seq.* juxta declarationem S. Congregationis, quam recitat *num.* 222. idque verum dicit *num.* 223. etiamsi concurrant consuetudo immemorialis, concordia seu statutum, & confirmatio Papæ. Porrò illa confirmatio est ex certa scientia, & cum causæ cognitione, in qua est insertus tenor, vel saltem narrata substantia, & est expedita præcedente solitâ discussione. Garc. *num* 226. *&* 227. citans Mandos. *in c.* 1. *de confirmat. utili.* Molin. *de Hispan. primog. l.* 2. *c.* 7. *num* 9. Mascard. *de præb. concl.* 228. *&c.* secus est de alia confirmatione, etiamsi signanter in ea habeatur clausula: *ex certa scientia*: ut videre est ex pluribus Rotæ decisionibus apud Garc. *n.* 131. & consequenter non esse talem confirmationem præservatam in decretis Trident. quamvis ipse dicat *num.* 133. confirmationem, in qua apposita est clausula: *ex certa scientia* esse confirmationem ex certa scientia, & non in forma communi, ad effectum confirmandi actum aliàs in jure invalidum, ut etiam Molin. *de just. tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 174. licèt non tollat defectum intentionis, nec purget vitium subreptionis, sive non operetur, quoad ea, quæ sunt facti. Vide de hoc fusè agentem Garc. *loc. cit.*

9. Octavò, derogatum statuto, vel consuetudini aliquarum Ecclesiarum, in quibus ultra tres menses dabatur, singulis mensibus dies unus pro certa aliqua occupatione, v. g. pro tonsione barbæ. Garc. *n.* 248.

10. Nonò, Concilium non derogasse indultis ac privilegiis Apostolicis, quibus conceditur posse abesse ultra tres menses à servitio Ecclesiæ. Garc. *num.* 259. lex enim generaliter loqueus non tollit privilegium particulare concessum super eo, de quo lex generalis loquitur. Oldr. *cons.* 228. Felin. *in c.* 1. *de rescrip. num.* 10. Mandos. *ad reg.* 4. *cancell. q.* 7. *nu.* 5. & alii apud Garc. *ibid.* Et ubi Concilium dictum vult privilegiis derogare, id exprimit Garc. *n.* 260. ut censuit S. Congregatio apud Germon. *de indult. cardinal.* Nec obstat Bulla Pii IV. revocatoria privilegiorum in his, in quibus decretis Tridentini contrariantur, quæ habetur ad finem Concilii; quia cùm dicta Bulla regulanda & intelligenda sit secundùm ipsa decreta Concilii, & terminos illorum, & sic restringenda ad ea tantùm, quæ per dicta decreta prohibita sunt cum derogatione privilegiorum. Rodriq. *qq. regul. tom.* 1. *q.* 8. *a.* 6. Vivaldus *in candelab. aureo. tit. de absolut. n.* 40. apud Garc. *nu.* 262. non extendit se nisi ad ea decreta, quæ dictam derogationem privilegiorum annexam habent. Germon. *loc. cit.* apud Garc. *n.* 261. referens sic censuisse S. Congregationem. Contra quæ si opponas S. Congregationem declarasse, ut videre est apud Garc. *n.* 267. Regulares vi suorum privilegiorum non posse à casibus Episcopo reservatis absolvere, & tamen ubi hac de re agitur, & id inhibetur in Trident. *sess.* nimirum 14. *c.* 7. *&* Can. 11. non adest revocatio privilegii, vi cujus id poterant regulares ante Trident. Ad hoc inquam, respondet Garc. *n.* 301. aliorum responsionibus rejectis, & aliquot assertionibus præmissis, prædicta privilegia ab istis absolvendi non solùm ante Tridentinum concessa, sed & post illud ante Gregor. XIII. sublata esse, non per Trident. sed per declarationem & decretum Gregorii XIII. Quòd si præterea opponas dictam Bullam Pii IV. juxta hanc explicationem fore superfluam. Respondet idem Garc. *n.* 305. id negando, cùm facta fuerit ad hoc, ut omnia & singula privilegia in his, in quibus decretis Concilii illa revocantibus contrariantur.

trariantur, revocata censeantur, non obstante, quòd sint concessa motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu etiam quorumcunque Principum intuitu, & ex quacunque honesta causa, & cujuscunque sint tenoris; ita ut videatur dicta Bulla emanâsse ad corroborandam derogationem privilegiorum in decretis Concilii contentam, ut Rodriq. *loc. cit. q. 8. a. 6.*

11. Decimò censet Garc. *num.* 344. Concilium non derogâsse statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, quibus statuitur & conceditur beneficiatis, qui per quadraginta annos continuos beneficio pacificè concesso per se ipsos deservierunt, residendo & interessendo divinis, ut à dicta Ecclesia deinceps, quoad vixerint, ut emeriti abesse liceat, & tanquam præsentes in choro habeantur tam ratione fructuum præbendarum, quàm distributionum quotidianarum, referrèque sic iisdem ferè verbis censuisse S. Congregationem & Gregor. XIII.

12. Denique observandum, non sufficere præsentiam & interessentiam chori per integros novem menses collectos ex punctaturis; ita ut qui novem partes punctaturarum ex duodecim habuisset, servitio novem mensium satisfeciisset, sed dies ipsi residentiæ & servitii sive continui, sive interpolati integri esse, & computari debent ad complementum istorum novem mensium. Barb. *de can. c. 2. n. 12.* Garc. *n.* 327. apud Paxjord. *n.* 77. citantes S. Congregat. declarationem. Verùm hæc omnia ubi dicta Concilii Trid. dispositio in rigore suo recepta est.

13. De cætero namque notandum, hanc constitutionem Tridentini in multis Ecclesiis, præsertim Germaniæ nostræ, quin & in aliquibus Hispaniæ, de quibus Garc. *num.* 330. non esse receptam, dum alicubi tantùm medio anno, alibi tribus tantùm mensibus Canonici residere coguntur, ad lucrandos fructus grossos, quin & in quibusdam Ecclesiis totius anni reditus lucrentur, qui uno solùm die præsentes sunt, & divinis intersunt. Laym. *l. 4. tr. 2. c. 6.* Pirh. *loc. cit. n. 6.* Garc. *loc. cit.*

Quæstio 398. *Quis Canonicis, aliisque præfatis dare possit licentiam non residendi, seu discedendi ab Ecclesia, aut loco beneficii?*

1. REspondeo primò, hanc facultatem non residendi, etiam ad longum tempus, aut in perpetuum dare posse Pontificem; cùm enim is sit supremus legislator, & juri universali, & particulari canonico præsit, & specialiter in beneficiis Ecclesiasticis pleniſſimam potestatem habeat; possit etiam fundatorum dispositiones immutare, potest pro suo arbitratu obligationem personaliter residendi, ubi ea non nisi jure humano, nempe canonico universali (ut in præsente materia contingit) vel speciali statuto, aut fundatoris ordinatione requiritur, omnino relaxare, etiam sine causa, saltem validè. Azor. *cit. l. 7. c. 5. q. 1.* Pirh. *loc. cit. n. 42.* etsi non soleat facilè dare istiusmodi licentias absentiæ perpetuæ Gl. *in c. licet canon. de elect. in 6.*

2. Respondeo secundò: cùm hodie Canonici, obtinentésque dignitates, & portiones &c. habeant concessos sibi à concilio tres menses vacationis, non potest Ordinarius ultra id tempus dare eis licentiam absentiæ, nisi in casibus in jure exceptis. Garc. *p. 3. c. 2. n. 97.* Nec nisi ex dictis causis excusare potest canonicum à residentia in choro, ut videre est ex pluribus S. Congregat. declarationibus, quas recitat Garc. *eodem c. 2. num.* 406. *& seq.* & dum earum una dicitur: *Episcopus potest ob legitimam causam dare licentiam Canonicis à suæ Ecclesiæ servitio*: legitima causâ dicitur, quæ est à lege approbata, & in jure expressa, ut Garc. *n.* 408. & dum in alia ad Episcopum Caurienſem dicitur: *Episcopus potest dare licentiam Canonicis, ut ab eorum Canonicatibus per quatuor menses abesse possint*: sciendum est, quòd illa non sit declaratio universalis, sed gratia & facultas specialis facta Episcopo Caurienſi ex causis particularibus, nempe maximi calaris istius urbis, ut ostendit Garc. *n.* 411. *&* 412. adeoque hinc malè intulerunt Zerol. & Zechus apud eundem, competere universaliter Episcopis facultatem dandi licentiam ad quatuor menses. Docet nihilominus etiam Paxjord. *lib. 10. tit. 40. num.* 130. quod etiamsi causa non sit jure expressa, si tamen legitima & justa boni viri arbitrio censeretur, posse approbari per licentiam Superioris, imo sufficere justam causam, sine licentia, ubi vigeret consuetudo legitimè præscripta abessendi ex justa causa sine licentia.

3. Respondeo tertiò: multò minus Capitulum potest dare Canonicis & præbendatis licentiam absentiæ, & eos habere pro præsentibus ultra tempus à Concilio permissum, etiam ad breve tempus ex causa justa in jure non expressa, ne quidem per viam gratiæ, & nemine contradicente (ut tenuerunt Jo. Guttier, & Palatio) saltem seclusâ consuetudine. Garc. *n.* 404. qui dicit hoc certum esse, cùm notum sit, Capitulum non posse dispensare, & gratiam facere in lege Superioris, qualis est illa de residendo *in tit. de Cler. non resid.* & in Trident. *sess. 24. c. 12.* Unde nec valet statutum in contrarium, nisi à Pontifice in forma specifica, & ex certa scientia confirmatum. Garc. *n.* 405. Sed neque stante tali consuetudine, etiam ante & post Trident. semper observata Capitulum concedere potest talem licentiam Garc. *n.* 417. *& seq.* citans Rutilium Benzonium *in speculo Episcoporum de fuga. l. 1. disputat. 1. q. 7. ad finem* dicentem, Canonicos non posse eximere aliquem à servitio Ecclesiæ, & gratiam Canonico facere, ut non serviat & participet; quamcunque autem consuetudinem in contrarium abusum esse, & corruptelam. Item Covaruviam *l. 3. variar. resolut. c. 13. sub n. 9.* cujus quoque gravissima in hanc rem verba recitat citato *n.* 417. qui etiam dum ait tales consuetudines ad abusum pertinere, nisi detur ea licentia abeundi ex causis à jure communi, vel Ecclesiarum validis statutis expressis, aut saltem iis similibus, per τὸ *iis similibus* non intelligat causas in jure aut statutis validis non expressas, sed causas in jure aut statutis validis virtualiter comprehensas ex identitate rationis, ut Garc. *num.* 418. Et eo maximè consuetudo ista foret irrationabilis & corruptela, si restricta non esset ad licentias ex causis alias rationabilibus & justis, licet in jure non expressis; dum Capitula ea concedunt sæpe absque ullo delectu, & ex causis non solùm non justis, sed & irrationabilibus & vanis; accedítque adhuc major irrationabilitas, & iniquitas consuetudini, dum non restringitur ad tempus breve. Garc. *n.* 420. *&* 423. citans desuper fusas sacræ Congregat. declarationes. Neque in proposito sufficit occulta, quia hæc sæpe ficta est & simulata Ecclesiæ utilitas, sed requiritur evidens. Garc *num.* 421. Unde jam sequitur non posse tales absentes in virtute talis à Capitulo obtentæ licentiæ facere fructus præbendæ suos, qui

aliàs residendo, & divinis intereſſendo lucrifiunt. Garc. juxta reſponſionem S. Congreg. *num.* 425. Ne quidem ſub prætextu, quòd alii præbendati videantur eis donare & remittere partem, quæ ſibi erat obventura, ſed de hoc infra. Porrò poſſe Capitulum dare licentiam ſaltem ad breve tempus ex cauſis in jure expreſſis, ſatis indicat, & ſupponere videtur Garc. *n.* 433. *& ſeq.* ubi docet, quòd ſi per conſuetudinem Eccleſiæ vel ſtatuti capitularis cauſa in jure aliàs expreſsa eſſet ita modificata, ut talis conſuetudo vel ſtatutum non poſſet adhuc dici eſſe contra jus, ſed declarare & limitare veluti jus ex rationabili cauſa, non poſſe dare Capitulum licentiam contra tale ſtatutum, ſeu ut abeſſet, in quo dicta cauſa in jure expreſsa ſic modificata per ſtatutum non inveniretur, eò quòd jam talis licentia, ſeu gratia eſſet contra jus, v. g. infirmitas eſt cauſa juſtæ abſentiæ in jure expreſſa, ubi hæc jam ita modificaretur per ſtatutum capitulare, ut ſolùm infirmus, qui domo exire nequit, excuſaretur, & haberetur pro præſente, ratione infirmitatis, hæc modificatio infirmitatis aliàs in jure expreſsæ non eſſet contra jus, ſed limitatio quædam juris ex cauſa rationabili (nimirum ad cavendas magis fraudes, ne ſi habiti pro infirmis adhuc exire poſſent domo, multi fingerent ſe infirmos, aut ex leviſſima cauſa facerent ſe, ut tales haberi) adeóque jam Capitulum non poſſet contra hoc ſuum ſtatutum diſpenſare, & talem aliquem infirmum, qui domo adhuc exire poteſt, habere ratione infirmitatis pro præſente, quia jam ageret contra jus. Econtra verò ſi cauſa in jure expreſſa ita modificata eſſet per conſuetudinem vel ſtatutum, ut jam directè eſſet contra jus, v. g. ſi ſtatuiſſet, ut non haberetur pro præſente ratione infirmitatis, qui venit foris, nec eſſet præſentatus in Eccleſia, poſſe tunc Capitulum facere gratiam, & habere talem adhuc pro præſente; eò quòd tunc talis gratia eſſet contra ſtatuta, & non contra jus, ſed potius ex cauſis in jure expreſſis. Unde

4. Reſpondeo quartò: ſi obligatio reſidendi præcisè ſolùm eſt vi ſtatuti alicujus ſynodalis, aut diœceſani, Epiſcopus poteſt dare licentiam ex juſta cauſa, & Capitulum Cathedrale ſede vacante. Quin & ipſum collegium Canonicorum poteſt dare licentiam hanc, ubi ab ipſo ſolo ſimile ſtatutum de reſidendo eſt factum, ita ut ſine illo ſtatuto nulla eſſet obligatio reſidendi. Pirh. *num.* 43. Azor. *loc. cit. q.* 5.

Quæſtio 399. *An obtinentes dignitates, Canonicatus, portiones &c. licitè & tutâ conſcientiâ poſſint ultra tempus à Concilio permiſſum, amittendo diſtributiones, & omnes fructus, qui reſidendo lucrifiunt, abeſſe, & non reſidere?*

Reſpondet Garcias *p.* 3. *c.* 2. *n.* 321. negativè, ſed peccare mortaliter, qui notabiliter ultra dictum tempus abſunt, cùm contraveniant graviſſimo præcepto Concilii, quod non eſt, nec dici poteſt lex purè pœnalis. Et ſic inter cæteras S. Congregat. declarationes habet ſecunda, quam refert Garc. *num.* 322. *Nullus excuſatur à reſidentia, licet diſtributiones quotidianas amittere conſentiat.* Idémque tenere ait *num.* 323. etiamſi reſideant in civitate, ubi eſt Eccleſia, peccare námque mortaliter, nec ſatisfacere, ſi notabiliter ultra dictum tempus abfuerint à ſervitio Eccleſiæ, citátque pro hoc quoque plures S. Congregat. declarationes, inter quas prima ſic habet: *Decretum hoc intelligenduin eſt, ut Canonici non poſſint abeſſe ab Eccleſia ſuæ ſervitio ultra tres menſes ſingulis annis, nihilque eis prodeſſe, quòd in civitate maneant, niſi Eccleſiæ debitis horis inſerviant; intelligendúmque eſt omnes in contrarium conſuetudines per hoc decretum ſublatas;* Idem docet Paxjord. *loc. cit. n.* 75. citans Covar. *cit. c.* 13, *n.* 25. Vaſq. *in opuſc. mor. de benef. c.* 4. §. 2. Barboſ. *c.* 2. *de can. num.* 12. Zerol. *in praxi Epiſc. p.* 2. *c.* 3. *num.* 10. qui etiam hanc referat declarationem S. Congregat. *Congregatio cenſuit eſſe puniendos, qui à ſervitio Eccleſiæ abſunt, etſi ubi Eccleſia conſiſtit, ſint præſentes &c.* Vide eundem Paxjord. *ibid. nu.* 98. ubi poſtquam pro ſententia hac citaſſet Suar. *de relig. to.* 2. *l.* 4. *c.* 10. *num.* 17. Bonac. *de horis canon. d.* 1. *q.* 1. *p.* 2 *nu.* 1. Squillante *de oblig. Cler. p.* 1. *num.* 57. dicit referri à Barb. *de can. c.* 40. *n.* 9. contrariam ſententiam, eámque ab eo dici teneri à claſſicis AA. & practicari poſſe in conſcientia, reſpondendo etiam contrariis argumentis: nimirum quòd tales abſentes à divinis officiis ad ſummum peccent venialiter tantùm (& ne venialiter quidem, dum adeſt juſta cauſa) niſi fortè adſit particulare præceptum prælati ex juſta cauſa factum, vel non remanerent tot Canonici, qui poſſent Eccleſiæ competenter inſervire (v. g. ut Jacob. Macig. *de horis can. c.* 56. *n.* 24. apud eundem Paxjord. *nu.* 100. ſi eo abſente non remanerent ſaltem quatuor in choro) hanc ſententiam benignam, ut refert Paxjord. *n.* 99. tenent Cajet. *in ſumma v. hora.* Navar. *de orat. c.* 5. *n.* 14. Valent. *tom.* 3. *d.* 6. *q.* 2. *p* 10. Reginald. *in praxi l.* 18. *n.* 176. Angel. Sylv. & ipſemet Barb. *de off. Epiſc. alleg.* 53. *n.* 131. *& cit. c.* 40 *n.* 11.

Quæſtio 400. *Vtrum per conſuetudinem induci poſſit, ut Canonici tam Collegiatæ, quàm Cathedralis, habentéſque dignitates non curatas, licitè non reſideant, & in abſentia percipiant fructus, etiam non conſtituendo alium, qui loco ipſorum deſerviat Eccleſiæ?*

Reſpondeo affirmativè: modò per talem abſentiam cultus divinus non minuatur, & conſequenter talis conſuetudo noxia non ſit Eccleſiæ. Pirh. *loc. cit n.* 15. citans Abbatem *in c. exſtirpande. de præb.* Fagn. *in c. cùm omnes. de conſtitut. n.* 18. quilibet enim Clericus, cùm in ſortem Domini aſſumptus ſit, inſervit Eccleſiæ univerſali; júsque naturale ſolùm requirit, ut Eccleſia neceſſario non deſtituatur miniſterio; quòd autem beneficiatus quiſque per ſe, vel per ſubſtitutum inſervire debeat, etiam cùm aliunde Eccleſiæ commodè inſervitur, id ſolùm jure canon. ſtatutum, cui per conſuetudinem derogari poteſt. Pirh. *nu.* 16. citans Azor. *ubi ſupra q.* 2. atque ita obtinuit, & valida eſt conſuetudo, vi cujus perſonalis reſidentia in beneficiis ſimplicibus non requiritur, etiam in iis, quæ propriè in titulum dantur: Verùm quoad Canonicos, præbendatos, habentéſque dignitates in Cathedralibus & Collegiatis conſuetudinem abeſſendi licitè, & in abſentia percipiendi fructus, vel etiam inſerviendi per ſubſtitutos ſuſtulit Trident. *cit. c.* 12. *ſeſſ.* 24. Adeóque ſi etiam ſuſtulit talem conſuetudinem non ſolùm jam exiſtentem, ſed etiam impedivit, ne talis de novo naſci poſſet, aliter excuſari non poterit, quòd nihilominus de facto ex uſu tales non reſideant licitè, quàm quòd Concilium uſu non ſit receptum, quoad hoc in iſtis locis.

Quæſtio

Quæstio 401. *Circa dictos tres menses à Concilio permissos quietis & recreationis causâ sumendos continuè vel interpolatim, quid observandum ulterius?*

1. REspondeo sequentia ex Garc. Primò, dictos tres menses singulos continere triginta dies. Garc. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 306. citans Abbat. *in c. licet. de suppl. negl.* Menoch. *de arb. l.* 2. *casu* 50. *à num.* 12. accipiendo singulos pro duodecima parte anni docent Lamb. *de jurep. p.* 2. *l.* 2. *q.* 1. *a.* 14. *n.* 3. & Sanch. *de matr. l.* 2. *d.* 24. *n.* 20. etsi in materia suspensionis illos aliter computet Suar. *de cens. d.* 29. *s.* 1. *n.* 5.

2. Secundò hanc trimestrem absentiam tunc habere locum, si constitutio aut consuetudo Ecclesiæ requirat servitium totius anni, cùm residentia totius anni sit nimis rigida, oporteátque juxta fragilitatem humanam indulgeri tempus aliquod ad recreationem corporis & animi. Garc. *n.* 312. referens pro hoc declarat. S. Congregationis.

3. Tertiò posse Canonicos cæterósque illos uti beneficio trium istorum mensium, nullâ declaratâ causâ aut petita licentia, cùm Concilium absolutè permittat illam licentiam ob aliquam recreationem, & vacationem à labore, ne sit nimis dura residentia. Garc. *nu.* 314. juxta plures quas refert, S. Congregationis declarationes contra Navar. *de orat. c.* 5. *n.* 20. docentem non posse Canonicos &c. sine rationabili causa pro solo suo libitu, uti dicta absentia &c.

4. Quartò non posse tamen juxta eásdem declarationes apud Garc. *n.* 315. omnes simul abesse, aut tot, ut Ecclesia debito suo destituatur servitio; quot autem simul abesse possint, relinquendum arbitrio Episcopi & Capituli.

5. Quintò, cavendum quoque, ne dicta absentia incurrat in Natali Domini, aut Paschate, similibúsve maximis solennitatibus. Zerol. *in praxi Episc. p.* 1. *v. privatio.* & Zechus *de rep. Eccl. tit. de beneficiat. num.* 6. juxta monitionem S. Congregat. apud Garc. *n.* 316. & 317. quamvis is *n.* 318. dicat id non observari in Hispania, nec taxari ibi numerum eorum, qui simul abesse possunt; eò quòd regulariter in Ecclesiis Hispaniæ competens numerus remaneat. Recitat etiam Paxjord. *loc. cit. n.* 73. declarationem S. Congregat. cujus authenticum exemplum dicit apud se exstare hujus tenoris: *Etsi S. Congregatio declaravit, nullam requiri licentiam, ad hoc, ut Canonici in mensibus à Concilio concessis abesse possint; censuit tamen hanc declarationem locum non habere, quoties Canonici abesse volunt extra diœcesin, perinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam*: cæterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa negare, &c.

6. Sextò posse pro dicto tempore simul abesse coadjutorem, & coadjutum, nisi obstet speciale statutum. Paxjord. *ibid. num.* 74. citans Monetam *de optione Canonic. q.* 8. *n.* 172. Navar. *de Cler. ægrotant. consil.* 1. *num.* 6. Sanctarell. &c.

Quæstio 402. *Num istis tribus mensibus, qui dantur recreationis causâ, absentes non solùm lucrentur fructus, seu grossam, sed etiam distributiones quotidianas, maximè stante tali consuetudine & ordinatione?*

REspondeo negativè juxta Text. *c. unici. de Cler. non resid. in* 6*to.* & *c.* 12. *sess.* 24. *Trid.* Garc. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 249. citans Paris. *de resign. l.* 1. *c.* 10. *nu.* 65. Zerol. & Zech. *ll. cit.* Gonz. & alios. & sic declaravit S. Congregatio apud Garc. his expressis: *Absentes recreationis causa non lucrantur nisi fructus præbendarum, non autem distributiones quotidianas, sive antiquæ, sive novæ, quæ sunt distinctæ à præbendis &c. & vacantiæ unius, aut plurium mensium, quibus absentes percipere solebant distributiones sublatæ sunt, &c.* Addit Pirh. *de Cler. non resid. n.* 94. nulla particulari consuetudine aut statuto induci posse, ut distributiones (idem est de portionibus anniversariorum) quæ ex prima sua institutione, seu fundatione tantùm iis dari debent, qui divinis officiis sunt præsentes, dentur absentibus, cùm talis consuetudo, utpote cedens in detrimentum cultûs divini, reprobetur in Trident. *cit. c.* 12. Idem procedere, etiamsi Canonicatuum omnes fructus sint distributiones quotidianæ, tenet Garc. *num.* 252. ob declarationem Sac. Congregat. quam citat *num.* 250. nisi fortè contrarium sit in Ecclesia aliqua statutum à Papa ex certa scientia confirmatum, quale esse in Ecclesia Abulensi ait *n.* 253. Nihilominus Pirh. *loc. cit.* sentit contrarium, nempe si fructus beneficii in solis distributionibus consistant; eò quòd Ecclesia non habeat præbendas, sed dentur quotidie singulis pro victu certi proventus in fructibus, vel pecunia, hos proventus, seu distributiones minùs propriè tales dari debere etiam absentibus, quibus jure communi, vel speciali, vel ex privilegio proventûs beneficiorum debentur, eò quòd tunc potius sint præbendæ, quàm distributiones, citátque pro hoc Gl. *in cit. c. unic.* Imò probabile dicit, quòd quando ex communibus proventibus Capituli pars aliqua deducitur, vel olim deducta fuit in distributiones convertenda, consuetudine vel statuto induci possit, ut absentes ex justa causa, & in specie tribus illis mensibus, quos Trid. concedit non residentes eas etiam distributiones istorum mensium percipiant; eò quòd cùm distributiones hæ in locum præbendæ succedant, utpote quæ ex præbendis detractæ iis substituuntur, de iis judicetur sicut de præbendis, & eadem de iis sit dispositio, subrogato Sapiente ejus naturam, in cujus locum subrogatur, citátque pro hoc Probum *in addit. ad Jo. Monach.* & Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 7. *n.* 3.

Quæstio 403. *Circa causas justæ absentiæ habentium dignitates, Canonicatus &c. num omnis causa justa excusans à residentia faciat etiam fructus lucrifieri pro rata istius justæ absentiæ?*

REspondeo negativè: fructus enim non lucrifiunt in absentia, nisi in casibus à jure exceptis, Garc. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 340. citans Rebuff. *in praxi, tit. de dispens. de non resid. n.* 22. Sic dispensatus de non residendo non potest recipere fructus beneficii, nisi concedatur hoc ipsum distinctè in dispensatione. Garc. *ibid.* citans Felin. *in c. fin. de Magist. n.* 3. Item Canonicus ingrediens religionem non lucratur anno probationis fructus, etiamsi sit justè excusatus à residentia. Garc. *num.* 341. Item Canonicus electus, seu nominatus ad Episcopatum Italiæ, qui debet Romæ examinari, dum vadit Romam, justè abest, & tamen interea nullos lucratur fructus. Garcias *n.* 342. Neq; his obstat, quòd ex dispensatione obtinens duos Canonicatus, vel dignitates, & residens in uno lucretur fructus alterius; nam eò ipso quòd dispensetur ad duos Canonicatus, censetur dispensatus, ut in absentia percipiat fructus

alterius, ne aliàs dispensatio ad secundum Canonicatum esset inutilis. Idem est de Canonico obtinente ex dispensatione parochialem, residentes enim in parochiali sunt privilegiati ex Bulla Pii V. ad percipiendos fructus in absentia aliorum beneficiorum, quæ habent. Garc. *n.* 343.

Quæstio 404. *An, & qualiter præfati ob negotium necessarium seu evidentem Ecclesiæ utilitatem abesse possint ultra dictos tres menses, & interim lucrari non tantùm fructus grossos, sed & distributiones quotidianas?*

1. REspondeo affirmativè, juxta *cit. c. unic. §. qui vero &c.* juxtáq; dicta de curatis, & quidem à potiori; intelligendo tamen hoc de negotiis, & utilitate propriæ Ecclesiæ, non alienæ: vel etiam probabiliter de utilitate Ecclesiæ universalis, cùm utilitas communis propria sit cujusque & commune bonum præferendum sit privato; unde si ob utilitatem Ecclesiæ propriæ licet abesse ab Ecclesiâ & choro, & tamen percipere etiam distributiones quotidianas, multò magis id licebit ob utilitatem propriæ & reliquis Ecclesiis communem. Pirh. *loc. cit. n.* 90. citans Castrop. *p.* 2. *de relig. d.* 3. *p.* 9. §. 3. *n.* 1. Qualiter autem cum *cit. c. unico* concilietur textus *c. cùm non deceat. de elect. in* 6*to.* in quo Bonifac. VIII. rescribens ait: *cùm Ecclesiarum suarum prosequentes utilitatem censeri debeant residentes, fructus suorum beneficiorum, quæ obtinent in iis Ecclesiis, quorum negotia prosequuntur, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis recipiant. &c.* vide apud Pirh. *loc. cit. num.* 92. ubi inter alias, quas profert conciliationes, hanc dicit esse probabiliorem, eámque teneri à Gl. *ibid. v. utilitates.* Navar. *l.* 3. *conf.* 8. *de Cler. non resident. num.* 4. Laym. *loc. cit. n.* 7. *c.* 3. Azor. *loc. cit. q.* 14. quod nimirum Bonif. *cit. c. unico* adjudicet ex dicta causa absentibus etiam distributiones, dum hæ de consuetudine aut statuto ex tali causa absentibus dantur, approbando talem consuetudinem, vel statutum. citato verò *c. cùm deceat.* velit citra tale statutum vel consuetudinem, sive vi juris communis non deberi eas absentibus, etiam ex dicta causa; quippe quæ ex propria institutione, non nisi iis, qui divinis officiis intersunt, dari debent. Quamvis etiam de jure communi, cessante etiam consuetudine, percipiat non solùm fructus, sed & distributiones quotidianas, qui abest pro evidente utilitate Ecclesiæ, si præsens est in loco, ubi est Ecclesia, ut Garc. *n.* 359. citans Covar. *cit. c.* 13. *nu.* 8. Jo. Guttier. *can.* 99. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 145. Zerol. Zechum. &c.

2. Poterunt igitur ultra tres menses abesse ab Ecclesia & choro, & percipere interim etiam distributiones, Primò Canonicus missus, v. g. Romam, vel aliò, ut tractet negotia Ecclesiæ suæ, defendat jura illius aut Capituli. Pirh. *ibidem.* citans Barb. *de off. Epis. alleg.* 53. *n.* 171.

2. Secundò etiam citra missionem aut jussionem Capituli degens alibi occupatus in visitandis & defendendis juribus, & reditibus præbendæ, vel Canonicatûs, quem habet in Ecclesia, à qua abest. Pirh. *ibidem* citans Barb. *in collectan. ad cit. c. unic. num.* 12.

4. Tertiò habens in Ecclesia dignitatem, cui incumbit visitatio, v. g. Archidiaconus ratione hujus visitationis & muneris sui ultra tres menses absens à dicta Ecclesia lucratur etiam distributiones. Pirh. *ibidem.* Azor. *cit. l.* 7. *c.* 7. *q.* 16. Quod tamen limitat Garc. *cit. c.* 2. *num.* 332. ex declarat. S. Congregationis, quam citat accipiendo distributiones pro iis fructibus Archidiaconatûs, qui lucrifiunt per interessentiam, negat autem de cæteris distributionibus, maximè quotidianis, quamvis *n.* 333. dicat, quòd si esset consuetudo, ut Archidiaconus visitans suum Archidiaconatum reciperet, & has distributiones, esse eam validam nec prohibitam, per *cit. c. unicum.* juxta Monach. *ibid. n.* 2. uti etiam *num.* 336. dicit illum lucrifacturum has distributiones, dum in ipsa civitate vel loco, ubi est Ecclesia, visitaret, seu actu exerceret jurisdictionem imminentem suæ dignitati, dum id oporteret fieri tempore horarum, nec posset commodè post aut ante illas. De cætero *n.* 334. *& seq.* inquit non obstare huic sententiæ de non percipiendis à tali distributionibus quotidianis *c.* 3. *sess.* 22. Trident. ubi dicitur; quòd incumbens curæ animarum imminenti dignitati suæ habetur pro præsente & interessente; eò quòd id intelligendum, ut constat ex S. Congregat. declarationibus, quas *ibidem* recitat, de cura animarum propriè tali, nempe fori interioris, non de illa, quæ est solùm fori exterioris, qualem habet tantùm Archidiaconus, quà talis. Quòd si & talis habeat Canonicatum, cujus fructus, & distributiones sunt distinctæ à fructibus dignitatis, etiam si aliàs Canonicatus adesset dignitati annexus (secus est de portione accessoriè annexa dignitati, cùm tunc sit unum beneficium, & portio ista se habeat, ut prædium dignitatis, adeóque ejus fructus sint fructus ipsius dignitatis, seu ejus prædii. Garc. *num.* 338.) non lucraretur distributiones istius Canonicatûs. Pirh. *loc. cit.* citans Castrop. *ubi supra n.* 9. imò nequidem fructus, nisi pro rata trium mensium, quibus aliàs licet Canonico abesse. Garc. *ibidem.* juxta declarationem S. Congregat. quam citat *n.* 332. quia jam sunt duo beneficia, & visitando ratione dignitatis, non deservit Canonicatui.

5. Quartò, qui à Capitulo missi ad Concilium generale, vel provinciale, aut Synodum, ut tanquam Theologi vel Canonistæ ei intersint. Pirh. *loc. cit.* citans Barb.

6. Quintò, Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis interea, dum confessiones audit in Ecclesia præsens in choro habetur, juxta Trid. *sess.* 24. *c.* 8. Pirh. *ib.*

7. Sextò, qui deputatur ad recipiendas rationes redituum, & bonorum Ecclesiæ. Pirh. *ibid.* citans Castrop. *ubi supra n.* 6.

8. Septimò, Canonicus vel alius beneficiatus tempore divinorum officiorum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata privatim celebrans, etiam sine obligatione, & ex sola devotione habetur pro præsente in choro, & lucratur distributiones ex recepta consuetudine; excipit autem Canonicum habentem in eadem Ecclesia beneficium Capellæ, qui interim, dum inserviendo suo isti beneficio absens est à choro, distributiones recipere non debet juxta declarationem S. Congregat. ad *cit.* 12. *sess.* 24. ita ille. quibus etsi obstent clarissimæ S. Congregationis declarationes apud Garc. *n.* 398. in quibus dicitur; tales etiam ex sola devotione celebrantes non censeri interesse isti horæ, nec illius distributiones recipere posse, nisi jussi essent à Superiore tunc celebrare (quamvis & hunc admonitum velint eædem declarationes, ut à tali jussione abstineant) idémque habeat Concilium Mediolan. Nihilominus & Garc. *n.* 400. ait in Ecclesia

sia sua Abulensi & aliis servari contrarium, nimirum ut celebrantes, etiam ex sola devotione, habeantur pro præsentibus, & interessentibus choro, quæ consuetudo cùm sit ex justa causa, cùm totum sit cultus divini in eadem Ecclesia, & ut beneficiati inducantur ad celebrandum, videtur tolerabilis. citátq; pro hoc Covar. Duenuam Hojed. &c. *hîc & n. 343.* Adeóq; Pirh. hoc ipsum rectè referebat ad meram consuetudinem.

9. Octavò, Canonicus Vicarius Capituli sede vacante in absentia non solùm lucratur fructus, sed & distributiones, quia censetur esse in servitio Ecclesiæ (secus ac Vicarius Episcopi, qui potiùs est in servitio Episcopi, de quo ad *quæst. seq.*) cùm magis commodum sit Ecclesiæ, ut deputetur unus, & non exerceatur jurisdictio per totum Capitulum. Pavinus *de off. & potest. Capit. sede vacante p. 2. q. 10. n. 5.* Rebuff. *in praxi de Vicar. Episc. n. 5.* apud Garc. *n. 358.*

10. Denique Canonici vel habentes dignitatem &c. exercentes curam animarum incumbentem de jure vel consuetudine Canonicatibus suis, vel dignitatibus pro tempore, quo in Ecclesia curata residunt, & ministrant (quamvis declarat. S Congregationis apud Garc. *n. 335.* habeat: *dum tamen sint in actu administrandi Sacramenta, vel alia exercendi, quæ spectant ad ipsam curam*) habentur tanquam præsentes essent, & divinis interessent in Cathedralibus & Collegiatis, juxta *c. 3. sess. 22. Trid.* Pirh. *l. cit. n. 91.* Secùs est de Canonicis, vel dignitatem habentibus, qui parochiales non annexas seu unitas suo Canonicatui, vel dignitati obtinent; hi enim etsi, dum in parochialibus residerint, privilegiati sunt juxta Bullam Pii V. vel ex indulto Pontificio ad perceptionem fructuum suorum Canonicatuum & dignitatum, non tamen ad percipiendas distributiones quotidianas, néq; optare possunt domus canonicales, neq; Canonicatũ presbyteralẽ, & similia, cùm non habeantur pro præsentibus. Et hoc nimirũ, quando exstat consuetudo, vel statutũ, quo absentes non possunt optare; secùs quo absentes possunt optare. sic habet declaratio S. Congr. ad *cit. c. 3. Trid.* quam etiam recitat Garc. *n. 337.*

Quæstio 405. An, & qualiter Canonici præbendati &c. ob servitium præstitum Episcopo licitè absint, & in absentia lucrentur fructus & distributiones?

1. REspondeo, jure antiquo, nempe *c. de cætero, & c. ad audientiam* habetur, quòd duo Canonici existentes in servitio seu obsequio sui Episcopi habentur pro præsentibus, & percipiunt fructus canonicatuum, non tamen distributiones quotidianas. Garc. *p. 3. c. 2. n. 345.* sed neque huic juri derogatum est per *cit. c. 12. Trid.* Garc. *n. 346.* citans Navar. *consil. 1. & 2. de Cler. non resid.* Gon. *gl. 6. n. 255.* Hojed. *de incomp. benef. p. 1. c. 17. n. 29.* Zech. *de rep. Eccl. de Canon. n. 4. &c.* qui post Trid. scripserunt: & sic habent tres claræ declarationes Sacræ Congregationis apud eundem Garc. *n. 347.* juxta regulam, quòd lex generalis posterior limitetur & determinetur per legem priorem specialem. *L. non est novum. & seq. ff. de ll.* & gl. receptam *in authent. offeratur. c. de litis contestatione.* Sanch. *de matrim. l. 2. d. 24. n. 6.* & alii apud Garc. *n. 346.* sic etiam Canonicus Vicarius Episcopi licitè abest, & in absentia percipit fructus. Garc. *n. 357.* Pirh. *loc. cit. n. 91.* non tamen distributiones. AA. iidem cum Rebuff. *in praxi.* Porrò verba illa: *Et ipsius Ecclesiæ servitio*; quæ habentur in citatis textibus non esse amarè accipienda, ita ut inserviens debeat de ea docere, sed satis esse, quòd doceat de servitio pro Episcopo, ita ut dicta verba accipiantur de utilitate implicita Ecclesiæ, cùm Ecclesia sit in Episcopo, tradit Lott. *cit. l. 3. q. 27. n. 191.*

2. Idemque procedit Primò etiam in Canonicis doctorali & magistrali. Garc. *nu. 364.* Gonz. *gl. 6. num. 257.* nisi id vergeret in notabile detrimentum Ecclesiæ, quia maneret destituta literatis. Garc. *n. 29.* & Rebuff. *tit. de dispens. de non residendo num. 40.* Putat tamen Paxjord. *l. 10. tit. 40. n. 170.* hos non excusari à muneribus legendi, & reliqua præstandi ex munere incumbentia, quia cùm separata sint ab ipsa residentia, & particulariter injuncta, nec appareat de immunitate, remanent ad ea implenda obligati. Non tamen videtur procedere in Canonico Pœnitentiario, qui non videtur posse occupari in servitio ultra tres menses aliàs à Concilio permissos à Canonicis. Nec etiam in Canonico Lecturæ, cùm ad munus illud electa sit ejus persona. Garc. *n. 368.*

3. Secundò in Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum. Lott. *loc. cit. n. 190.* Moneta *de distrib. p. 2. c. 8. n. 6.* contra Imol. *ad c. ad audientiam. n. 13.* & Jo. And. *ibid. num. 2.* censentes contrarium; eò quòd non tanta communio sit inter Episcopum, & alias Ecclesias, quanta est illius cum sua Cathedrali,

4. Tertiò in inferioribus etiam Clericis non Canonicis jure aliquo ad residendum adstrictis; occurrente tamen urgente aliquâ necessitate ipsius Episcopi, & dispensatione Episcopi. Lott. *n. 188. & seq.* Garc. *num. 369. & seq.* citans Navar. *in man. c. 25. & 120.* & *consil. 8. de æt. & qualit. num. 46.* Zechum *de rep. Eccl. tit. de benefic. n. 4.* Lopez &c. cùm de cætero textus illi citati, concedentes illud servitium Episcopo, expressè loquantur tantùm de Canonicis, adeóque privilegium illud non sit ad alios extendendum (etiamsi ut determinavit Rota apud Lott. haberent vocem in Capitulo, quod aliud est, quàm esse de Capitulo, ut videre est apud Garc. *n. 377.* & de quo si essent tales inferiores Clerici, uti quandoque contingit in aliquibus Ecclesiis, procederent in iis dicta jura, sicut in Canonicis, cùm tunc sint membra corporis Episcopi. Garc. *n. 378.*) utpote in materia damnosa Ecclesiis, & præjudicante cultui divino. Lott. *nu. 185. & seq.* ex Abbate *in c. cùm dilectus de Cler. non resid.* insuper sit major communio Episcopi cum Canonicis, quàm cum aliis. Garc. *num. 372.* Lott. *num. 187.* ex eodem Abb. *ad c. ad audientiam. n. 8.* ubi etiam docet, posse aliàs Clericos inferiores non Canonicos destinari, seu occupari per Episcopum pro utilitate communi, aut causa suggerente pro servitio ipsius Ecclesiæ Cathedralis (quamvis Rota apud Garc. *n. 372.* dicat ex Jo. And. *ad c. 1. de Cler. non resid.* non sufficere utilitatem totius Episcopatûs in genere, sed requiri utilitatem Ecclesiæ) ita ut tunc in absentia absque dispensatione percipere possint fructus. vide Garc. *cit. n. 370.* & *373.* ubi etiam quòd aliàs occupati seu destinati pro utilitate communi, seu Episcopatûs in genere, aut per Episcopum plures quàm duo ejusdem Ecclesiæ, ut sunt v. g. Procuratores generales cleri alicujus, residentes in Curia Romana, vel aliqua regali, non excusarentur à residentia in suis Ecclesiis, nec fructus lucrarentur, nisi fortè indultum speciale pontificium illis hac in causa concessum.

5. Quartò procedit idem de Cardinali habente in suo servitio duos Canonicos tituli. Lott. *n.* 184. citans Navar. *de cler. non resid. consil.* 1. *per totum.* Nihilominus loquendo universaliter, familiares Cardinalium non excusari à residentia, nec posse percipere fructus in absentia, cùm non extet neque in jure tale privilegium, ut Franch. *in c. fin. de verb. signif. in* 6. *n.* 3. nec etiam hodiedum speciale privilegium Garc. *n.* 388. referens quoque specialem desuper declarationem S. Congregationis *in una Abulensi n.* 423. & ex eo Paxjord. *nu.* 173. contra Syl. Zerol. Abb. Selv. ex Jo. And. asserentes, Papam hodie hanc prærogativam concedere Cardinalibus.

6. Quintò idem procedere in Legato quantùm ad provinciam suam Garc. *num.* 382. citat pro hoc plures, quamvis dicat &c.

7. Sextò procedit in Archiepiscopis quoad clericos suæ diœcesis, & non suorum suffraganeorum. Garc. *loc. cit.* citans Zerol. Selv. Hojed. &c. & dicens esse communem DD. *in c. cum dilectus.*

8. Septimò, & quidem à potiore, quoad familiares Papæ existentes in ejus servitio, ut Capellani, Camerarii & similes, (modò assistant Pontifici principaliter ad ei serviendum, & non ad expiscanda beneficia, quamvis & hæc intentio, si sit secundaria, non noceat. Paxjord. *loc. cit. n.* 171.) ita tamen, ut neque hi percipere possint distributiones quotidianas. Navar. *consil.* 2. *de cler. non resid.* Garc. *n.* 383. & 385. cùm communi DD. *in cit. c. cum dilectus.* Sed nequidem percipiunt fructus scriptores, aliique officiales Curiæ, qui stant principaliter propter suum lucrum, nisi ex præcepto Papæ in Curia morentur. Garc. *n.* 384.

9. Octavò censet Garc. *n.* 381. idem procedere in Prælatis Episcopo inferioribus respectu suorum subditorum, cùm textus *c. de cetero.* loquatur generaliter, nec appareat, cui loquatur. citat pro hoc Abb. *in cit. c. de cætero. n.* 3. Selv. *p.* 4. *q.* 6. *casu* 17. Navar. *l. paulo ante cit.* Rebuff. *tit. de disp. de non resid. n.* 45. idem tenet Paxjord. *n.* 172.

10. Denique existentes in servitio aut officiis Regum & Principum non posse percipere fructus, nec excusari à residentia, eò quòd in jure non extet tale privilegium, aut si quandóque in particulari concessum ante Trident. revocatum sit per illud, docet Garc. *n.* 389. & *seq.* contra Selv. *loc. cit. casu* 24. Cævall. *in suis communibus contra communes. q.* 585. *n.* 7. Bocr. &c. unde nec procedere in Capellanis regum, nisi fortè concessum iis privilegium post Trid. quale tamen non esse, ait idem Garc. *n.* 391.

Quæstio 406. *An, & quando servientes Episcopo (idem est de aliis) præter fructus lucrari possint distributiones?*

1. REspondeo: in sequentibus casibus. Primò ubi ita habet consuetudo; hæc enim servanda erit, cum sit ex justa causa. Garc. *p.* 3. *c.* 2. *num.* 348. citans Covar. *l. variar. resolut. c.* 13. *n.* 5. Hojed. *de incomp. benef. p.* 1. *c.* 17. *num.* 10. contra Navar. *cons.* 2. *de cler. non resid.* dicentem: Canonicis servientibus Episcopo consuetudinem non prodesse ad habendum distributiones.

2. Secundò, dum adest specialis gratia & concessio Papæ. Garc. *n.* 354. citans Navar. *cons.* 2. *n.* 3. ubi & recitat indultum, quo id concessum S. Carolo Boromæo, ut ejus Vicarii foranei, dum ratione officii sui per loca sui Vicariatus ratione visitationis, aut alicujus alterius negotii spiritualis absunt ab eorum Ecclesiis, obveniant nihilominus eis distributiones, acsi in choro præsentes essent. uti & *n.* 356. dicit, istiusmodi privilegium solere quoque ad tempus concedi, & prorogari Inquisitoribus, aliisque ministris S. Inquisitionis Hispaniæ: idémque datum à Clement. VIII. pro Curatoribus generalibus cleri Hispaniæ deputatis & residentibus in Curia Romana, vel Regis Catholici restatur. *n.* 375. Porrò debere hoc ipsum exprimi in concessione Papali, cùm alioqui nomine fructuum non veniant distributiones quotidianæ: esséque tale privilegium strictæ interpretationis, salvâ verborum proprietate, utpote cedens in diminutionem cultûs divini, & præjudicium aliorum præsentium, & derogationem legis communis monet Pirh. *num.* 95. ex Castrop. *cit. d.* 3. *p.* 9. §. 10. *n.* 4.

3. Tertiò Canonici missi à suis Episcopis ad visitanda eorum nomine limina Apostolorum, uti & comitantes ad eadem limina ipsos Episcopos, lucrantur non solùm fructus; sed & distributiones ex decreto Sixti V. Garc. *n.* 349. Pirh. *num.* 91. citans Castrop. *ubi ante n.* 4. quod ipsum ex mente ejusdem Sixti V. procedere in aliis præbendatis, licet non sint de Capitulo, ait idem Garc. *n.* 350. Canonici tamen, aut præbendati missi ab Episcopo alterius Ecclesiæ, aut eum comitantes, etiamsi hic esset eorum Episcopus originis, vel etiam ratione aliorum beneficiorum in ejus diœcesi existentium, nec distributiones, nec fructus percipient. Garc. *ibid.* Neque etiam habentes beneficia simplicia, quibus per substitutum deservire potest, percipient ista de causa non serviendo distributiones, aut alia emolumenta servitii, nec excusabuntur à ponendo Vicario seu substituto. Garc. *ibid.* Porrò non potest Episcopus nisi unum gaudentem hoc privilegio mittere suo nomine ad dicta limina, dum tamen ipse vadit, potest duos secum ducere, & si plures quam duos secùm duceret, aut plures quam unum mitteret, nullus eorum perciperet fructus, aut distributiones, quia non est major ratio de uno, quàm de altero. Garc. *ibid.* quamvis addat, videri probabile, & de mente Sixti V. quòd duo Canonici aut præbendati comitantes Episcopum, aut unus ab eo missus, lucrentur etiam distributiones, licet aliàs habeat in suo servitio occupatos duos alios, nisi fortè ex hoc Ecclesia pateretur magnum detrimentum ob paucitatem ministrorum.

4. Quartò, dum Canonicatus consisteret solùm in distributionibus quotidianis, servientes Episcopo lucrantur quotidianas distributiones, amissa solum tertia parte, quæ deservientibus, seu præsentibus accrescit. Garc. *n.* 351. juxta plures S. Congregationis declarationes, quas *ibidem* recitat. Quòd autem, ut habent ejusdem S. Congregationis declarationes ab eo relatæ. *nu.* 113. & 114. Absentes ratione studii, aut residentiæ in parochiali fruuntur tunc integrè distributionibus, videri rationem esse, quòd istæ causæ absentiæ videantur magis piæ, majoréque favore dignæ. vide illum *n.* 352. & 353.

Quæstio 407. *An, & qualiter Canonici aliique supradicti absentes ratione infirmitatis excusentur à residentia, lucrenturque fructus & distributiones?*

REspondeo: præter dicta superius de curatis hac de causâ absentibus ab Ecclesiis suis, & hic à potiore etiâ in ordine ad distributiones lucran-

lucrandas habere locum. Vide etiam Pirh. *loc. cit. n.* 86. ubi etiam ex Castrop. *loc. cit. n.* 5. ait: probabile esse, eum infirmum, qui etiam dum sanus erat, non solebat interesse divinis, lucrari adhuc tempore infirmitatis etiam distributiones. Et *nu.* 88. dat disparitatem, quare potiùs, qui suâ culpâ incidit in infirmitatem, percipiat adhuc distributiones, & non, qui ob culpam suam est incarceratus.

Quæstio 408. *An, & qualiter Canonici dictique alii ratione studiorum excusentur à residentia, lucrentur fructus & distributiones?*

1. REspondeo primò: quoad Canonicos aliàque beneficia non curata residentiam requirentia, habentes privilegia dicta superiùs abessendi, & in absentia percipiendi fructus manent incorrecta, & non derogata. Garc. *cit. p. 3. c. 2. num.* 88. cum communi. Hoc tamen privilegium locum non habet, etiam in simplicibus beneficiis residentiam requirentibus ex fundatione, seu institutione, quia non censetur derogatum fundationi, nisi expressè ei derogetur, & de ea fiat specialis mentio. Garc. *n.* 111. quem etiam vide *p. 4. c. 3. num.* 73. *& p. 7. c.* 1. *n.* 118. Ubinam autem, quibus studiis vacare debeant, ut dictis privilegiis fruantur, vide dicta supra de curatis quoad hoc punctum. Quibus adde ex Pirh. *n.* 37. quòd non sufficiat tales morari in loco, ubi studia vigent, si ibi solùm aliis rebus vacent; potando, saltando, vel etiam ut linguam peregrinam discant; sed requiri, ut ipsi se in studiis exerceant, ut docet etiam Abb. *in c. fin. de Magistr. n.* 6. item Paxjord. *loc. cit. n.* 142. *& seq.* ubi: quòd nisi cum debita diligentia studiis competentibus incumbant, teneantur ad restitutionem fructuum in tali absentia perceptorum, pro quo citat AA. quamplurimos. qui tamen *num.* 144. ait: hæc accipienda cum moderatione, cùm impossibile sit, semper incumbere studiis, sed satis sit id facere congruis temporibus, & majore anni parte, & hinc concedi valetudinis causa vacantias. Unde etiam Moneta *de distrib. q.* 10. *n.* 19. Barb. *alleg.* 56. *n.* 25. apud Paxjord. *ibid.* docent; non amitti illud privilegium, & censeri istos adhuc esse in scholis, si quandoque aliò ad breve tempus divertant statim reversuri. Et hæc quoad dictum privilegium percipiendi in absentia fructus; nam alia privilegia scholarium non auferuntur regulariter otiosis, & non studentibus, de quo vide pulchra *ibid.* apud Paxjord. *n.* 145. *& seq.* &c. similiter docet Paxjord. *loc. cit. n.* 138. ex Garcia *n.* 117. citante desuper S. Congregationis declarat. quòd scholares seu studentes in Ecclesiis cathedralibus non gaudeant iisdem privilegiis quoad percipiendos fructus in absentia, sicut studentes in studiis publicis, vel academiis, adeóque non sufficere studere apud scholasticum in cathedralibus aut collegiatis, & hujusmodi. citátque pro hoc Monetam *de distrib. q.* 10. *num.* 17. Barb. *ubi ante num.* 21. Zechum &c.

2. Videtur hodiedum requiri etiam in his ad absessendum ratione studii licentia superioris, seu Prælati. (cùm autem quis habere possit plures ordinarios, illius erit dare licentiam, in cujus diœcesi est beneficium, inquit Paxjord. *l.* 10 *tit.* 40. *n.* 131. & quod Episcopus hanc licentiam concedere possit, nec antiqua jura in hoc censeantur correcta, nisi quoad Parochos & curatos, testantur cum communi Rebuff. *de privileg. scholar. privileg.* 29. *&* 31, Horat. Lucius *in eod. tr. privileg.* 99. Garc. *nu.* 45. *&* 85. Barb. & alii apud Paxjord.) cùm requiratur inspectio ætatis, & num sit aptus, aliorúmque de quibus supra juxta declarat. S. Congreg. Garc. *n.* 87. Zerola *v. studium*, dicens ita decrevisse Pium IV. in sua Bulla. Zechus &c. vide etiam Pirh. *loc. cit. nu.* 36. ubi tamen notabili primo videtur excipere studium Theologiæ & juris Canonici. Tenetur autem Ordinarius dare licentiam absentiæ ratione studiorum, modò in petito concurrant ætas & alia requisita, de quibus supra, aliàs poterit appellari, & recurri ad superiorem. Pirh. *ibid.* Garc. *n.* 86. citans Abbat. Selv. Zerol. &c. cùm enim in istis adhuc, ut dictum, in robore suo maneat privilegium illud, ista licentia ab Ordinario danda non est gratiæ, sed justitiæ, & necessitatis, nisi aliqua causa & ratio legitima obstet. Garc. *ibid.* unde etiam praxin dandæ hujus licentiæ dicit Paxjord. *n.* 167. ex Zerol. *v. studium*, ut personaliter se præsentent Ordinario, ut hic ex aspectu brevique examine arbitretur, num in fraudem id petatur, & certioretur de ætate, conjectétque de idoneitate, & moneat de satisfaciendo conscientiis, conferendo se ad loca studiorum generalium, ibique actu & reipsa operam dando Theologiæ vel juri Canonico; sed nec omnibus habilibus dandam istam licentiam, ne dum pluribus datur, Ecclesia defraudetur debito servitio, uti contingit, ubi numerus Canonicorum est exiguus, docet cum Zerola *v. studium.* Paxjord. *n.* 135. Porrò non potest Episcopus etiam cum talibus ratione studiorum dispensare, & dare licentiam ad septennium, sed solùm ad quinquennium, juxta declarationem S. Congregat. dicentem: *licentia, ut aliquis possit abesse causâ studiorum à servitio suæ Ecclesiæ, vel sui Canonicatûs, non suffragatur ultra quinquennium &c.* Garc. *n.* 101. contra Zerolam *v. studium*, & Zechum *de republ. Eccl. tr. de cler. n.* 7. docentes pro studio Theologiæ posse Ordinarium arbitrari tempus, & dare licentiam ad septennium, nimirum ut triennium in Philosophia, & quadriennium in Theologia, quo ista studia consumantur, ponat; declarationem verò sacræ Congregationis, quam Garc. adducit *n.* 8. intelligendam de ætatis, de Ecclesia parochiali, & eam, quæ modo recitata est, intelligendam de studio juris, quod ipsum ait Garcias esse divinare, præterquam quod illa citata *n.* 81. loquatur etiam de Canonicis. Censet insuper Garc. *nu.* 103. non posse Episcopum concedere licentiam ad studium Philosophiæ in ordine ad transeundum ad Theologiam, cùm dictæ declarationes, & *c. fin. de Magist.* loquantur de ipsâ Theologia (salvo semper studio juris Canonici, de quo supra) multóque minùs ad studendum in aliis scientiis, nisi adsit speciale aliud privilegium concessum personæ, vel Universitati alicui, quale dicit esse in Universitate Salmantic. & qualiter multa studia generaliter esse privilegiata, ut Scholares in quacunque honesta & licita facultate studentes, fructus suorum beneficiorum Eccles. participent, etiamsi dignitates, personatus, plebaniæ, & sacerdotes sint, aliique specialiter prohibiti, ac specialiter studium Romanum quoad studentes in utroque jure docet Paxjord. *n.* 150.

3. Respondeo secundò: absentes ratione studiorum non lucrantur quotidianas distributiones *c. licet de præbend.* Gl. *in c. fin. de magist. v. intregrè.* Garc. *n.* 112. Covar. *variar. resolut. l. 3. c.* 13. *n.* 2. Hojed. *de incomp. c.* 12. *n.* 8. Fuscus *de visitat. l.* 2. *c.* 15.

c. 15. n. 12. Gonz. §. 7. proœm. n. 178. Zech. &c. apud Garciam. Proceditque idipsum, etiamsi licentia studendi obtenta à Papa; sic enim habet S. Congregatio super *cit. c. 3. sess. 21. Trid. absentia causa studiorum, etiam obtenta à sede Apostolica, non excusat ab amissione illius tertiæ partis* detractæ (nimirum ex fructibus ipsis Canonicatuum, & præbendarum, & conversæ in præsentias, seu distributiones quotidianas) *sicut nec excusat ab amissione cæterarum distributionum quotidianarum &c.* Quòd si tamen Canonicatus consistit in meris distributionibus, eas omnes lucrabitur absens studiorum gratiâ Gl. *in cit. c. licet, ibid.* Abb, aliique DD. Garc. *n.* 113. citans pro hac sententia *n.* 115. Rebuff. Horat. Lucr. Zerol. Didac. Perez. &c, quamvis ipse addat *n.* 116. in contrarium, nimirum quòd in isto casu non lucrentur omnes distributiones, sed amittant tertiam partem, ut declaratio S. Congregat. idem docet Paxjord. *loc. cit. num.* 161. qui etiam *num.* 163. idem ait esse, nimirum deberi distributiones omnes, demptâ istâ tertia parte, si præbendæ admodum tenues sunt, & ferè omnes fructus consistant in distributionibus. citátque pro hoc Riccium *in praxi fori Eccl. resol.* 70. *num.* 3. & Barb. *de canon. c.* 27. *n.* 53. vide dicta in quæst. *ante hanc penult.* Nequaquam verò in dictis casibus, ubi nimirum, fructibus omnibus consistentibus in distributionibus quotidianis, has participant studentes, participabunt distributiones pro missis votivis, anniversariis pro defunctis & ceteris incertis. Paxjord. *loc. cit. n.* 162. citans Piacef. *in praxi p.* 2. *c.* 3. *n.* 9. Garc. *in addit. ad cit. p.* 3. *c.* 2. *n.* 253. Barbosam *ubi ante:* Plures casus, in quibus studentes distributiones participent, vel non. vide apud Vivian. *in praxi jurispatron. p.* 3. *l.* 15. *c.* 3. *à n.* 127. quem citat Paxjord. *n.* 165. Porrò quandonam & in ordine ad quos effectus distributiones veniant nomine fructuum, vide apud C. de Luca *de jurepatron. d.* 10. *n.* 8. *& seq.*

Quæstio 409. *An data licentia abessendi ratione studiorum exspiret, & terminetur per assecutionem doctoratûs, dum de cetero nondum elapsus est terminus, ad quem concessa?*

REspondeo negativè. C. de Luca. *de can. d.* 13. *ferè per totum.* ex Gemin. *in c. cùm ex eo. de elect. in* 6. nam dum indulgetur simpliciter abesse v. g. per quinquennium, ut studeat quis, hanc conditionem studendi non implicat impleri, etiam post doctoratum, cùm sicut justus fieri potest justior, ita doctus doctior, ut Gemin. quin magis post doctoratum studendum esset exemplo Bartol. & aliorum. C. de Luca. *ibid. n.* 4. præsertim, cùm licet plurium sententia sit, doctoratum non scholaribus mediocris, sed eminentis, & maturæ doctrinæ, qui jam alios docere valeant, conferendum esse, communior tamen opinio sit, sufficere doctrinam mediocrem cum probabili spe, quòd studendo quis profecturus sit; ut Innoc. *in c. in cunctis. de elect. in* 6to. & comprobat praxis totius orbis, præsertim Italiæ, ubi etiam attento rigore, non negatur doctoratus iis, qui ordinarium cursum studiorum impleverunt, & frequentiùs confertur etiam iis, qui neque studia initiarunt, adeò ut videatur potiùs quædam introductio ad studia præsertim practica, & forensia, quæ magis hodie proficiunt pro fine seu effectu juxta dictum illud: *leges in scholis diglutiuntur, in palatiis, & tribunalibus digeruntur.* C. de Luca *nu.* 5. jam verò si indultum, ubi concessum erat pro studiis in una scientiâ tantùm v. g. in jure Canonico, suffragatur indultario, ut etiam post susceptum in eadem scientiâ doctoratum, prosequi possit eadem studia, multò magis ubi illud concessum sub disjunctione, ut studere posset vel in jure Canon. vel Theologia, post susceptum doctoratum in jure continuare poterit studia Theologica. C. de Luca *n.* 8.

Quæstio 410. *An, & qualiter Canonici aliique supradicti abesse possint ratione doctionis aut lectionis, & percipere fructus & distributiones?*

REspondeo: præter dicta superiùs, etsi supradicti ratione doctionis vel lectionis excusentur à residentia, percipiántque fructus suorum beneficiorum, ut constat ex dictis suprà ex Garc. *n.* 59. sintque insuper in duobus privilegiati, nimirum quoad licentiam, quia sine illa possunt abire, & quoad tempus, quia non arctantur ad quinquennium, ut item insinuatum suprà, traditque Paxjord. *l.* 10. *tit.* 40. *n.* 128. non tamen consequenter distributiones quotidianas, etiam pro horis, quibus docent, aut legunt, passim omnes percipere possunt, quò referri possunt declarationes S. Congregationis, quas recitat Garc. *n.* 118. Nihilominus qui præbendam lecturæ, S. Scripturæ vel Theologialem habent, & vi illius legunt, vel docent, in propria Ecclesia (vel ut videtur esse par ratio, docent in Universitate, ad quam talis præbenda spectat) lucrantur distributiones, non solùm pro horis, quibus legunt, concionantur vel docent, sed etiam pro tota die ex concessione & gratia Gregor. XIII. *loc. cit. n.* 91. Garc. *nu.* 119. qui tamen *n.* 120. observat, non indiscriminatim illos omnes frui istâ gratiâ recipiendi distributiones omnium horarum totius diei, quo legunt, concionantur, vel docent, sed eos solùm, qui gratiam illam specialiter petierint, & impetrarint, sicque se audivisse ab Auditore Cardinalis Matthæi præfecti S. Congregationis testatur. Quamvis in Concilio Compostellano *actione* 2. *decreto* 39. statutum dicat, ut lector Scripturæ sive ante, sive post meridiem lectionem habeat, omnibus horis ante meridianis pro interesse habeatur, modò missæ primæ, aut majori adsit. Ac deniique *n.* 123. ex his infert, difficulter sustineri posse, consuetudinem seu statutum aliquarum Ecclesiarum, quòd Canonicus seu præbendatus, qui Concionaturus est in ipsa Ecclesia, habeatur pro præsente in omnibus horis & officiis per octo dies ante.

Quæstio 411. *An Canonici, aliique supra dicti causâ peregrinationis, maximè ex voto, possint abesse ultra tres menses à Concilio datos, & lucrari interim fructus & distributiones?*

REspondeo: tales neque fructus, neque distributiones lucrari, non enim ista est ex causis in jure expressis; vide dicta superiùs hoc in puncto de curatis; ex quibus infert Garc. *num.* 395. statuta alicujus Ecclesiæ, vel consuetudinem contrarium statuentia non posse defendi, dictámque consuetudinem non esse rationabilem.

Quæstio

Quæstio 412. *Quænam præterea in specie sint causæ, ob quas à choro absentes lucrentur etiam distributiones?*

1. REspondeo: potissimas esse sequentes. Primò, corporis necessitas, v. g. si Canonicus senio confectus sit, etsi senium propriè non sit infirmitas. Pirh. *n.* 87. citans Azor. *ubi supra q.* 12. vel si sit valetudinarius, aut medicinam sumpsit, vel sanitatis causâ ivit ad balnea, vel recedens ob metum pestis ibi grassantis, vel quia habet ibi inimicum, à quo sibi malum grave timet inferendum. Pirh. *ibid.*

2. Secundò, quodcunque grave damnum vitæ, honoris, vel fortunarum. Pirh. *ibid.* ex Castrop. *d.* 3. *p.* 9. §. 2. *n.* 1.

3. Tertiò, injusta incarceratio, aliáq; similia, quæ casu aliquo extrinseco circa personam contingunt, accessúmque ad Ecclesiam impediunt. Lott. *cit. q.* 27. *n.* 142. Idem est de injustè expulso in exilium. Secùs tamen est, dum quis condemnationi suæ ad carcerem vel exilium, causam dedit per delictum; is enim jam censetur abesse ob propriam malitiam. Pirh. *loc. cit.* citans Covar. *variar. resol. l.* 3. *c.* 13. & Azor. *q.* 11.

4. Quartò, si quis impeditus fuisset à Capitulo, aut etiam expulsus, quò minùs cum aliis choro interesset. Lott. *n.* 143. citans Mohedam *decis.* 6. *de præbend.* in quo casu necessaria non esset protestatio. Lott. *ibid.* ex Coccino. Tenéntque hæc, nisi ipsemet expulsus ante expulsionem omisisset aliquid, quod facere potuisset pro consequendis distributionibus. Lott. *nu.* 144. satis tamen fuisset, si obtulisset se ad tale quid faciendum, ubi ad illud per Capitulum non fuisset admissus; habetur enim eo casu id pro facto. Lott. *ibid. n.* 145. Porrò in genere, quòd ii, qui legitimè absentes à choro, percipiunt distributiones ordinarias, non lucrentur tamen distributiones, quas amittunt illegitimè absentes, sed eas solis præsentibus accrescere, tanquam probabilius censet Pirh. *n.* 101. ex Castrop. *loc. cit. d.* 3. *p.* 8. *n.* 8.

Quæstio 413. *Num supradicti absentes citra similes causas à choro, & divinis lucrentur ad minimum fructus suorum beneficiorum, dum de cetero commorantur in loco beneficii?*

REspondeo: tales adhuc haberi pro residentibus, (quod longè aliud est, quàm habere pro præsente in Ecclesia & choro) & percipere præcisè fructus sui beneficii, etiamsi culpabiliter absint plerumque à divinis. Pirh. *loc. cit. n.* 82. citans Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 1. ubi etiam addat, Canonicum, qui juravit residentiam, non censeri perjurum, etsi frequenter divina officia negligat, modò interdum se sistat in Ecclesia & Capitulo, eò quòd tunc residentia non omnino careat fine suo. quod idem videtur dicendum de lucraturo fructus, nimirum necessarium ad hoc esse, ut statutis ad hoc diebus secundùm consuetudinem Ecclesiæ intersit choro aut certis horis.

Quæstio 414. *Num consuetudine induci possit, ut supradicti citra memoratas causas similesve à choro absentes, & divinis officiis, lucrentur nihilominus distributiones, modò sint in civitate, in qua est Ecclesia beneficii?*

1. REspondeo negativè. Talem enim consuetudinem reprobat Bonifac. VIII. *cit. c. unico. de cler. non resid. in* 6. quam constitutionem innovat & in usum revocat Trident. *sess.* 24. *c.* 12. non obstantibus quibuscunque statutis, aut consuetudinibus. Pirh. *num.* 81. Estque talis consuetudo directè contra institutionem distributionum quotidianarum, vi cujus hæ tanquam quotidianum, & diurnum stipendium dari solùm debent iis, qui divinis officiis intersunt, ut nimirum tantò libentius, & studiosius hisce officiis intersint, si præsentem remunerationem accipiant. Pirh. *n.* 79.

2. Hinc jam consuetudine nequit induci. Primò, ut habens duos Canonicatus in diversis Ecclesiis in utraque recipiat distributiones, dum in una solùm interesse possit divinis ejus officiis. Pirh. *n.* 83. citans Barb.

3. Secundò, qui unâ hebdomadâ intersunt divinis officiis, lucrentur per hoc etiam distributiones sequentis hebdomadæ, etsi tunc officiis non intersint. Pirh. *ibid.* citans Azor. *d. c.* 7. *q.* 5. & Barb.

4. Tertiò, ut Canonico mortuo distributiones anni proximè sequentis dentur ejus hæredibus, etsi valeat consuetudo, ut fructus præbendæ primi anni expendantur in usus defuncti. Pirh. *ibid.* Azor. *q.* 2.

5. Quartò, ut lucrentur distributiones, qui ad breve tempus absunt à divinis officiis v. g. dictis tribus mensibus à Concilio datis, animi relaxandi gratiâ, vel etiam ex aliis causis, maximè in jure non expressis. Azor. *loc. cit. q.* 6. Garc. *supra num.* 395. Pirh. *n.* 83. qui tamen *n.* 84. ait, non deesse plures DD. qui universim dicant, validam esse consuetudinem vel statutum, ut Canonici quotidianas distributiones percipiant, cùm legitimè ob causam in jure expressam absint. v. g. causâ recreationis duobus illis vel tribus mensibus, eámque sententiam etiam post decretum Trident. *sess.* 21. *c.* 3. censet Laym. probabilem *loc. cit. c.* 7. *num.* 3. saltem, ubi tertia pars proventuum conversa est in distributiones; eò quòd nimis grave accideret Canonicis, si etiam ob legitimam causam absentes cogerentur carere magnâ parte fructuum, aut redituum; cùm res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non debeat juxta *c.* 2. *de constit.* Quin & probabile dicit Pirh. *ibid.* valere consuetudinem, ut beneficiatus rediens ex via per duos vel tres dies distributiones lucretur, etsi ad divina officia non accedat; eò quòd post laborem sit aliquantisper acquiescendum. & *cit. c. unico. de cler. non resid.* damnetur solùm consuetudo, ut absentes continuatè lucrentur distributiones, adeóque ad plures dies, non autem ad paucos dies; citátque pro hoc Jo. Monach. *in cit. c. unico.* Idem dicit teneri à Castrop. *loc. cit. p.* 9. §. 12. *nu.* 16. de profecturo; ita ut ei concedantur duo vel tres dies pro præparatione ad iter, quibus pro præsente habeatur in choro, etiam ad lucrandas distributiones. Eandem sententiam, ait probari ab Azor. *cit. q.* 5. si Canonicus ob negotia Ecclesiæ absens redeat; secùs si ob res suas, & commoda privata abfuerit.

6. Quintò, ut qui nocte matutino intersunt lucrentur distributiones, quæ dari solent iis, qui reliquis horis divinis intersunt. Pirh. *cit. n.* 83. Azor. *cit. q.* 6.

Quæstio 415. *An igitur saltem, & quando valeat consuetudo & statutum Capituli circa quotidianas distributiones certo modo dividendas inter Canonicos?*

REspondeo: valere, modò non sit contra dispositionem *cit. c. unici*, & Trid. Pirh. *n.* 84. & cit.

ab eo

ab eo Azor. *c.7.q.ult.* eò quòd Capitulum statuere possit circa particularia Capituli negotia (quales sunt obventiones distributionum) etiam sine consensu Episcopi. Pirh. *ibid.* Sic v. g. statuere posset, ut aliquibus juxta officii & dignitatis qualitatem major portio ex his distributionibus obveniat, quia id inconveniens non est. Zoes. *ad tit. de cler. non res. n.* 15. C. de Luca. *de paroch. d.* 20. *n.* 9. referens istam portionis excrescentiam non tantùm ad præeminentiam dignitatis, sed etiam ad majora onera, quæ magis dignitatibus, quàm reliquis Canonicis incumbunt, tam circa majorē assistentiam faciendam Episcopo celebranti, vel assistenti in throno, ac etiam alias functiones in majoribus solennitatibus; quam ob majorem impensam, quam facere coguntur in famulatu, & aliis pro majore decore dignitatis, ita ut verè sit magis compensatio oneris ac laboris, quam fructus beneficii. Item statuere potest, ut qui in eadem Ecclesia duo beneficia habent v. g. Decanatum vel Præpositurā, & Canonicatum duplices recipiant præsentias; nam tales debere etiam recipere duplices præsentias absque eò, quòd meminerint statuti vel consuetudinis, tenent Abb. *in c. cum olim. de rejudiciar. nu.* 6. Covar. *cit. c.* 13 *n.* 6. Laym. *in c.* 1. *de consuetud. in* 6. *n.* 5. *&* 6. citati à Pirh. *n.* 100. eò quòd cum utrique tali officio, nempe decanatui & canonicatui per se debeantur distributiones quotidianæ; idem utroque officio fungens, utriusque jura percipiat. Ac præsertim id locum habet, ubi tertia pars fructuum præbendarum conversa est in distributiones; ex hoc enim æquum jam est, ut qui duplicem præbendam habent, duplices distributiones percipiant. Laym. *th. mor. cit. c.* 7. *n.* 4. apud Pirh. *ibid.* Negat tamen hoc ipsum Azor. *loc. cit. c.* 7. *q.* 13. eò quòd etsi quis præsens sit ratione diversorum officiorum in choro, per hoc tamen non sit magis præsens; quod quidem verum esse, ait Pirh. de præsentia physica nō morali.

Quæstio 416. *Num ergo statuere possit capitulum, vel consuetudine induci, ut certis solùm horis principalibus v. g. matutino, vesperis, item missæ conventuali assignentur, & fiant distributiones, non vero aliis horis intermediis, nimirum primæ, tertiæ, sextæ, &c.*

1. REspondet Pirh. *loc. cit. n.* 98. quòd etsi honestius sit, jurique magis conforme, pro singulis horis, uti & pro missa conventuali, statui ac percipi distributiones, juxta Gl. *in clem.* 2. *de æt. & qualit.* esse tamen quarundam Ecclesiarum consuetudinem contrariam, validam, ut cum communi dicit tenere Navarrum. *consil.* 9. *de cler. non resid.* adstipulatur quoque C. de Luca. *de canon. d.* 10. quatenus *n.* 6. ait, hanc consuetudinem videri rationabilem ex eo, quòd, cùm nimis grave esset servitium ob necessarium interventum omnium Canonicorum, quotidie in matutino, ceteriisque horis omnibus, permittendam esse absentiam istam isto intermedio spatio, nimirum primæ, tertiæ, sextæ, in quo celebrari possent missæ extra Ecclesiam ad satisfaciendum oneribus fortè incumbentibus istis Canonicis, vel alia negotia expediri. censetque *n.* 4. talem possessionem, seu consuetudinē dandi & percipiendi distributiones intervenientibus in aliquibus solùm horis non infectam, sed sustentabilem, eò quòd dum Trident. *sess.* 24. *c.* 12. disponit, distributiones percipi solùm debere ab iis, qui statis horis interfuerunt, per *tò statis horis*, nec per alia declaret expressè, an sufficiat, nec ne, pro integra assecutione distributionum interventus in aliquibus tantùm horis, ac functionibus majoribus; adeóque nec tanquam in casu claro intret decretum irritans contentum in constitutione Pii V. confirmatoria Concilii, quod, utpote inficiens quamcunque contrariā possessionem, tollit consuetudinem, ac impedit, ne nascatur; sed solùm id proveniat ab interpretatione S. Congregationis vel Doctorum, citátque pro hac sua opinione Monetam. *de distrib. p.* 2. *q.* 3. *n.* 43. *& seq.* Barb. *de can. c.* 21. *n.* 22. *& c.* 23. *n.* 15. Rochum *de curtis.* Hojed. Grassium &c.

2. Nihilominus distributiones & ordinandas & compartiendas per omnes horas vi Trid. dictáque particulas istius decreti *statis horis*, intelligendas esse de omnibus horis, tenet Barb. *ad Trid. loc. cit nu.* 47. apud C. de Luca *n.* 2. Item Garc. *n.* 487. adductis pluribus declarationibus S. Congregationis, quarum una *ad cit. c.* 12. *sess.* 24. expressè inquit: *statis horis, censuit Congregatio intelligi statas horas, id est omnes horas, quibus divina celebrantur, licet Glos. in clem. ut ii qui. Card. Zabarel. n.* 17. *dicant. de jure posse fieri distributiones per certas horas &c.* alia tamen, quam citat *nu.* 489. expressè tantùm loquitur de iis distributionibus, quæ acceptæ fuerunt ex tertia parte fructuum dignitatum Ecclesiæ. Quin imò, ut habet ipse C. de Luca *nu.* 2. eadem S. Congregatio consulta per Episcopum Novariensem Anno 1660. innixa prioribus istis declarationibus, censuit, hujusmodi consuetudinem (nimirum assignandi & percipiendi distributiones certis tantum horis) improbam, dictoque Concilii decreto adversantem; ac contra illud, quod C. de Luca memorabat, pro rationabilitate talis consuetudinis, respondérunt, potuisse istiusmodi consuetudinem reputari tolerabilem, si respectu istarum horarum intermediarum constitueret moderationem aliquam, ita ut interventus omnium non esset necessarius, ut in aliis horis, sed sufficeret aliquorum per turnum seu hebdomadam diversorum, qui tamen subjacerent punctaturis (hoc est notarentur ob absentiam in ordine ad subtrahendas iis distributiones in fine anni, vel suo tempore) atque ita simul consuleretur isti necessitati, & cultus divinus non destitueretur: secùs verò ubi ita absolutè & definitè illæ horæ non subjacerent punctaturis, cùm sic omnes abesse possent, uno solo, alteróve præsente in dictis horis. C. de Luca *n.* 7. Atque ita absolutè subsistere consuetudinem, quòd necesse non sit Canonicos interesse diebus omnibus, etiam ferialibus, horis omnibus; sed teneantur solùm, & sufficiat illos diebus ferialibus interesse missæ cōventuali, & quandoq; etiam matutino, aliisque horis pro majoris, vel minoris solennitatis qualitate, & tamen percipiant integras distributiones differri solitas ad finem anni, vel aliud breve tempus, modo vigeat turnaria illa divisio, quâ vel ipsi Canonici, aliique beneficiati ejusdem Ecclesiæ per dies vel hebdomadas in competente numero divisi subjacentes memoratæ punctaturæ alternatim horis aliis chorum frequentent, vel adsint aliàs beneficiati portionarii, alióve nomine nuncupati, qui honorificam ac decentem figuram, seu numerum faciant, id inquam, docet idem C. de Luca *de can. d.* 11. *fere per totum.*

3. Procedit à fortiori hæc consuetudo, ubi ea est centenaria, vel etiam immemorialis; cùm virtus & operatio talis consuetudinis sit, ut ejus vigore allegari valeat, quiscunque titulus, etiam optimus v. g. etiam specialis indulgentia Apostolica, absque necessitate illum justificandi, cùm ipsa immemorialis

vel

vel centenaria observantia stet loco probationis, ejúsque præsumptionem inducat. C. de Luca *n.* 6. citans Sperell. *decis.* 37. Menoch. *cons.* 1023. &c. quin etiam non destituitur ratione talis consuetudo, cùm vel hoc ipsum interesse, nimirum principalioribus horis, & officiis sit de majestate, majorémque decore Canonicæ dignitatis, quod redundat etiam in honorificentiam, ac majestatem ipsius Ecclesiæ, dum hæc aliàs in aliis horis, & functionibus non remanet cultu & servitio destituta, sed potius bene provisa, cum copiosa interessentia aliorum beneficiatorum. Luc. *n.* 9. Neq; id in eo casu prohibitū per Trid. ita docente omniū fere Ecclesiarum Catholici orbis usu, etiam Patriarchalium Basilicarum Urbis, quin &, dum in ipsa Urbe Ecclesiæ in quibusdam Collegiatis per Canonicos, nonnisi diebus festivis, præstetur officium; sed dictum decretū conciliare verè & proprie videri tangere exemptiones particulares aliquorum ab eo onere, quod alias supponitur incumbere Canonicæ, ita ut Canonici minus potentes, magisque devoti ac residentes & obsequentes cogantur portare totum pondus servitiij alii verò sumant sibi licentiam non residendi, seu Ecclesiæ in serviendi, percipiendo integrè emolumenta; docet C. de Luca *ibid. n.* 2. & 5. Sed neque in hoc casū dicentur Canonici vel alii percipere distributiones pro tempore, quo non deserviunt, sed pro eo servitio, quod in suis respectivè temporibus integrè præstant, ita ut distributiones, quas percipiunt, sint condigna merx illius tantū servitii, quod præstant, plus assecuturi, aut saltem meriti, si omnibus horis aliis, ac functionibus interesse deberent, cùm aliàs tantus numerus beneficiatorū aliorum introductus non esset, per quorum distributiones minuuntur illæ Canonicorum. Luca *ibid. eodem n.* 2. & 7.

Quæstio 417. *Num, quæ dicta de distributionibus quotidianis, intelligenda quoque sint de iis distributionibus, quæ dantur in Anniversariis defunctorum, videlicet, ut iis tantùm, qui præsentes sunt funeralibus exequiis, obveniant, & consuetudo contraria non valeat, etsi absentes sine justa causa, sive extra casus* cit. c. unici. de cler. non resid. in 6. *exceptos eas recipiant, teneantur ad restitutionem?*

REspondeo: affirmativè. Pirh. *loc. cit. n.* 97. juxta *cit. c. unic.* & Gl. & Barb. *ibid. n.* 23. Azor. *cit. l.* 7. *q.* 4. Procedunt quoque eadē de distributionibus, quæ dantur in ipso die depositionis, vel septimo, vel trigesimo, vel alio ab obitu defunctorum. Pirh. *ibid.* & Azor. *loc. cit.* etsi enim portiones funerales non veniant nomine distributionum, iis tamen æquiparantur, & eodem jure & privilegio gaudent. Pirh. *ibid.*

Quæstio 418. *Vtrum ad lucrandas distributiones requiratur, ut Canonici non tantùm divinis officiis intersint, sed etiam, ut ipsi in choro cantent.*

1. REspondeo primò: Canonicos ex sua institutione, & jure communi teneri canere in choro, ita ut si in hoc notabiliter essent negligentes, peccarent mortaliter. Garc. *cit. p.* 3. *c.* 2. *n.* 513. citans pro hoc AA. quamplur. Et sic præcipere videtur Trid. *sess.* 24. *n.* 12. dum vult, ut compellantur omnes per se, & non per substitutos obire divina officia, & in choro psallere; hoc enim dicendo vult eos ad hoc teneri, & vult, ut ad illud compellantur tanquam ad rem, ad quam tenentur, cùm compulsio & executio supponat obligationem. Adeóque minus bene dicit Navar. & Aragon. præceptum hoc Concilii dirigi ad solos Prælatos, qui si in compellendis ad hoc Canonicis negligentes essent, peccarent, non verò Canonici suâ utentes consuetudine. Garc. *n.* 519. & 520.

2. Respondeo secundò: spectato jure communi etiam saltem ad lucrandas distributiones integrè id requiri, nec sufficere ut privatim vel submisse in Ecclesia horas recitent. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 11. *q.* 5. Suar. *tom.* 2. *de relig. l.* 4. *de horis can. c.* 12. *num.* 10. Laym. *th. mor. cit. c.* 7. *n.* 6. Less. &c. quos citat & sequitur Pirh. *n.* 99. eò quòd distributiones nō dentur ratione solùs præsentiæ, sed præcipuè propter officium psallendi in Ecclesia, adeóque dum Canones dicunt, distributiones debere his, qui horis Canonicis intersunt, vel qui in Ecclesia præsentes fuerint, id intelligendum de iis, qui præsentes fuerint ad præstandum officium, propter quod præsentes esse debent. Lucrari nihilominus præsentes in choro, & non psallentes partem aliquam distributionum, quia præsentiâ suâ officium exornant, docent Suar. Laym. *ll. cit.* apud Pirh. De cetero docet Rodriq. apud Garc. *n.* 518. Canonicos domi recitantes horas & assistentes in choro non recitando, nec cantando ibi teneri restituere distributiones quasi totas: quod multò potiore jure docent Lopez & Vega apud Garc. *ibid.* de iis, qui ordinarie & frequenter confabulantur in choro.

3. Ubi autem consuetudo viget, vel exstat statutum, ut præsentes, etsi non psallentes, percipiant distributiones pariter cum psallentibus, eas ab ipsis licitè recipi & teneri, modò horas privatim recitent, quia dantur ibidem distributiones ob moralem præsentiam, docent iidem AA. uti & Azor. *loc. cit.* Less. *de jure & just. c.* 34. *n.* 185. apud Pirh. *loc. cit.* qui addit, id quoque procedere post Trid. Quin imò ad lucrandos fructus & integrè distributiones sufficere solam assistentiam, etiamsi non cantent, nec sint attenti, sed cum aliis loquantur (quamvis in hoc malè agant, et si excessus sit notabilis, peccent mortaliter) tradit Garc. *n.* 514. citans pro hoc Bartholom. Medin. Zech. Tolet. &c. contra plures alios, quos citat. *n.* 515. totum tamen hoc Garcias refert in consuetudinem, dum *cit. n.* 514. ait, ita videri esse consuetudinem & praxin Ecclesiarum; & *n.* 516. licet ex institutione officium Canonicorum sit, horas in choro canere, tamen de consuetudine à multis annis recepta, tolerata & approbata, non videntur ad id teneri, modò habeant capellanos, & ministros, qui eas cantent, nec sit in hoc defectus considerabilis, quæ consuetudo non videtur irrationabilis sed tolerabilis. citátque pro hoc Navar. Arag. Zech. Cajet. &c. unde ad decretum Trid. supra id solùm responderi potest, non esse quoad hoc de cantu receptum, sed eandem consuetudinē etiam post illud durare, & esse continuatam; quia Episcopi non curarunt illud exegui facere sicut & alia multa, & hinc non obligare. Garc. *n.* 521. citátque *n.* 522. Azor. *l.* 10. *c.* 11. *q.* 6. ubi dicat, consuetudinem ejusmodi, ubi fuerit moribus utentium recepta, valere, cùm sit tantùm contra jus Canonicum, etiam post Trid. ubi moribus utentium fuerit recepta, & continuata post illud, quia hac etiam in parte Concilio Trid. consuetudo potest derogare; & hoc dupliciter, vel quia post illud introduci ceperit, & dein fuerit usu confirmata: vel quia ante invecta

fuerat, & deinde etiam contra illud continuata. Quam Azoris doctrinam probabiliter procedere, ait Garc. *n.* 523. donec à sede Apostolica seu S. Congregatione aliud declaratum habeamus. Verùm inquit Paxjord. *l.* 10. *tit.* 40. *n.* 80. cùm post impressionem Garc. prodierit S. Congregationis declaratio, de qua videndus Barb. *de can. c.* 34. *n.* 9. quæ istiusmodi consuetudinem prohibet, & damnat, timeo illam consuetudinem excusare. Barbosa nihilominus, qui consuetudinem illam impugnat, concedit eam retineri posse in Ecclesiis, in quibus viget usus psallendi, & alia obeundi per capellanos. ita Paxjord. *à n.* 79. utrumq; leges utiliter. Porrò quia his affinis

Quæstio 419. *An obtinentes dignitatem, Canonicatum, vel præbendam teneantur per se, & non per substitutos obire divina officia, suæ dignitati, Canonicatui, vel portioni incumbentia, v. g. cantare missas, Evangelium, Epistolam suis hebdomadis vel diebus; & num obtinentes dignitatem unà cum Canonicatu vel præbenda in eadē Ecclesia teneantur utriusque beneficii onera, & officia subire per se ipsos, ita ut non satisfaciant deserviendo personaliter in uno, & per substitutum in altero?*

1. REspondeo ad primum affirmativè. Garc. *n.* 494. *& seq.* juxta decretum Trid. *sess.* 22. *c.* 4. *& sess.* 24. *c.* 12. & juxta declarationes tam S. Congregationis, interp. Trid, quàm rituum, quas *ib.* recitat Garc. atque *n.* 498. id procedere, non obstante, quòd statutū factum sit in contrariū, ut idem declaravit S. Congregat. apud eund. & Zerol. *in pr. p.* 2. Et *n.* 499. id procedere, etiamsi ante Trid. esset statutum, vel consuetudo, etiam immemorialis, in contrarium, adeóque, qui in hoc notabiliter deficiunt, peccaturos mortaliter, quamvis multi, præsertim obtinentes dignitates, id non observent, nec curent, dum etiam indecens existimant obire onera incumbentia suis dignitatibus, præsertim in decantatione Evangelii & Epistolæ.

2. Respondeo ad secundùm sub distinctione, dum habentur dignitas & Canonicatus, seu portio tanquam duo beneficia separata, per se tenentur utriusque beneficii onera & officia obire per se ipsos, nisi servitia eodem tempore concurrant, ita ut ab una persona præstari nequeant. Garc. *n.* 502. juxta declarationem S. Congregat. quam *ibid.* recitat, dum verò habentur ut unita, si unita sunt invicem æque principaliter, idem dicendum erit, cùm tunc obtineantur ut duo beneficia. Garc. *num.* 506. si unio facta est accessoriè tantùm, adhuc idem dicendum est, dum facta est solùm ad vitam obtinentium; cùm per istam unionem ad vitam non extinguatur titulus beneficii. Garc. *n.* 507. si autem portio seu præbenda unita est dignitati accessoriè, perpetuò & per viam incorporationis, tunc, quia per istam unionem portio desinit esse portio, & ejus titulus & effectus extinctus fuit, ac effectus est unum tantùm beneficiū, obtinens istam dignitatem non tenebitur servire tanquam portionarius, nec subire onera aliàs competentia ratione portionis. Garc. *n.* 508. dicens id totum sic declaratum à S. Congregatione, cujus declarationes *ibid.* citat. Nihilominus in Canonicatibus unitis, & annexis dignitatibus accessoriè & in perpetuum contrarium dicendum putat Garc. *n.* 512. cùm unio licet facta sit accessoriè, non tamen extinguatur titulus Canonicatûs, sed tanquam duo beneficia obtinentur, de quo vide eundem *p.* 11. *c.* 5. *nu.* 199.

Quæstio 420. *An Canonicus satisfaciens suæ obligationi quoad residentiam & servitium chori & altaris possit licitè ordinarie abesse à capitulis seu Congregationibus Capitularibus?*

1. REsp. negativè; etsi enim munus & officium Canonicorum præcipuè consistat in residentia & servitio Ecclesiæ chori & altaris, consistit tamen etiā in administratione & gubernatione rerum Ecclesiæ & capituli spiritualium & temporalium, in quo jus & bonum publicū versatur. Et licet dicta administratio non incumbat capitularibus ut singulis, sed ut universis, seu universitati, incumbit tamen unicuiq; ut parti illius; si enim quilibet in particulari non teneretur assistere Capitulis ad providendum dicto bono cōmum Ecclesiæ, ejúsque res tuendas, quilibet posset abesse; cùm non sit major ratio de uno, quàm de altero, & sic pariter deficere regimen Ecclesiæ & capituli. Garc. *n.* 529, *& seq.* citans plures pro hoc AA. & *n.* 532. testans sic ad suam supplicationem declarasse S. Congregationem; undè jam licet habere, & dare vocem in capitulo sit præeminentia quædā & fructus ratione auctoritatis & honorificentiæ, est tamen etiam onus, non secùs ac judicare, licet dicatur esse fructus jurisdictionis seu officii, Garc. *n.* 533. Cui non obstat, quòd Canonici possint puniri ob culpas privatione vel suspensione vocis in capitulo, in eo autem, quòd onus est, directè nemo puniri possit; nam puniuntur in eo quatenus est præeminentiæ & auctoritatis, quæ solet appeti & æstimari, sicut etiam Episcopi solent suspendi ab executione Pontificalium, & Parochi ab officio, quæ certè sunt simul onus. Garc. *n.* 534.

2. Nihilominus. Primò excusabitur quis absista interessentia in capitulo, stante legitimo impedimento aliave justa causa, ita ut quandoq; possit abesse ordinariè. v. g. dum tanta esset in capitulo perversio, & procederetur malè & ex abrupto sine lege, ordine, modo, ac cum violentia, insolentia præsidentium, ut qui vellet conscientiæ suæ satisfacere, id nequiret sine magnis molestiis, inquietudinibus, & occasionibus ferè ordinariis & periculis cadendi, aut sine magna nota singularitatis, protervia &c. durum enim esset & valde grave obligare aliquem ad assistendum Capitulis cum tanto incommodo & periculo, & ad opponendum se semper torrenti capituli, & cujusdam communitatis barbaræ, seu ignorantis, ubi nullus ordo. Garc. *nu.* 537. *& seq.* Quem utiliter ibi legent capitulares.

3. Secundò licitè potest abesse Canonicus à Capitulis in diebus suis recreationis causâ concessis, cùm hos sumere possit, etiam in diebus capituli; cùm nec Concilium nec statuta, nec consuetudo id prohibeant, nec limitent, ne in diebus capituli sumantur. Garc. *num.* 541. sic testans declaratum à S. Congregatione. Nisi tamen sciret, quòd in talibus diebus in capitulo agendum de negotio gravi, quod verisimiliter posset resolvi in præjudicium Ecclesiæ; teneretur enim tunc assistere capitulo, & dicere suam sententiā. Garc. *n.* 542. saltem ubi suum votum profuturum speraret. ait enim Garc. contra Jo. Guttier. quod supposito, quod Canonicus posset sumere suos dies in diebus capituli, gravitas negotii non videatur obligare ad interessendum capitulo, ubi non adest spes seu verisimilitudo votum suum profuturum.

4. Tertiò licitè Canonicus præsens divinis in choro abest à capitulis, quæ habentur eo tempore, quo celebrantur divina; cū enim præcipuū officium

cano-

canonici sit servitium chori & Ecclesiæ, cùm in hoc suo principali officio occupetur, excusatur legitimè. Garc. *n.* 544. Sed neque capitula eo tempore, maximè, si missa major celebretur fieri debent, adeóque non tenetur, nec potest licitè interesse. Garc. *n.* 548. citans Fuscum *de visitat. l.* 1. *c.* 15. *n.* 27. Navar. *de orat. c.* 12. *n.* 5. cùm capitula seu capitulares congregationes fiant propter servitium Ecclesiæ, chorum & cultum divinum, illiúsque conservationem & propagationem non debent fieri, cum istius cultus & servitii neglectu & damno; cùm inducta ad unum effectum non debeant operari contrarium juxta *l. legata inutiliter. ff. de aliment. legat.* Garc. *n.* 549. Neque officium magis principale, quale est officium chori, cessare debet propter minus principale. Garc. *n.* 550. & ita à pluribus Conciliis provincialibus statutum, & sic declaratum à S. Congregatione Concilii & rituum, citando eorum textus, ostendit Garc. *n.* 551. *& seq.* Neque contra hæc dici potest similia non esse in hac vel illa provincia, vel Ecclesia recepta; nam cùm per illa non inducatur jus novum, sed declaretur, quod juxta rationem & rectum ordinem fieri debet, contrarium usum & consuetudinem tanquam irrationabilem, vergentem in diminutionem cultûs divini rejiciendo, nil refertur quod non sit receptum, cùm nihilominus debeat servari & recipi. Garc. *n.* 558. citans pro hoc declarationem S. Congregationis, quam dicit ad suam instantiam emanâsse Anno 1605. Ex his quoque declarantur sequentia: non licere etiam fieri Congregationes particulares commissariorum capituli eo tempore, nec occupari beneficiatos in negotiis, & rebus Ecclesiæ, quæ aliàs commodè fieri possunt. Garc. *n.* 566. Item non licere facere rationes, & computa bonorum, vel fabricæ, dum divina fiunt, saltem manè. Garc. *nu.* 568. adeóque non habendos taliter tunc occupatos pro præsentibus in istis horis. Garc. *n.* 564. Et vel maximè manifestum abusum esse & corruptelam, dum beneficiati ad rationes deputati habentur pro præsentibus, & interessentibus in choro horis vespertinis, & diebus, quibus rationes nõ fiunt, dum nõ sunt absolutæ vel subscriptæ, adeoque tales revera non lucrantur distributiones, & fructus, qui tunc lucrifiunt. Garc. *n.* 569. pessimum quoque abusum & intolerabilem esse, dum in aliquibus Ecclesiis Canonici & præbendati possunt è choro exire, dum missa de prima, sexta & nona manè celebratur, modò sub finem redeant. Garc. *n.* 570. citans Paludan. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 5. *a.* 3. Covar. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 8. Porrò licet gesta in capitulis habitis tempore divinorum sint valida. Garc. *n.* 564. si tamen tunc non adessent duæ saltem partes capitularium, ex eo capite, quòd occuparentur absentes in choro (secùs est si abessent ob aliam causam) gesta non valerent: nec tales absentes etiam vocati haberi possent contumaces, cùm tunc non teneantur adesse, sed teneantur potiùs abesse à Capitulo. Garc. *n.* 565.

5. Quartò excusantur absentes à capitulo, dum capitulum non convocatur legitimè, item dum convocatur insolito, vel incongruo tempore. Garc. *n.* 571. *&* 577. citans pro posteriore Pavin. *de potest. capit. Sede vacante prælud.* 5. *n.* 11.

Quæstio 421. *Num Canonici, aliique supra nominati non residentes, & absentes à choro tutâ conscientiâ lucrentur fructus, & distributiones, dum alii præsentes remittunt & donant?*

1. Respondeo primò: tales absentes in virtute illius, de qua supra, à capitulo obtentæ licentiæ, non facere fructus suos, multóque minus distributiones, sub prætextu, & titulo, quòd alii præbendati hoc ipso, quòd dictam licentiam concedunt, videantur eis donare, seu remittere partem, quæ aliàs sibi obventura erat ex eorum absentia, cùm capitulum seu personæ illius non sint domini bonorũ & redituum mensæ capituli, donec iis sint applicati & distributi, sed solùm administratores seu procuratores, Ecclesia autẽ domina. Garc. *cit. c.* 2. *n.* 427. *& seq.*

2. Respondeo secundò, sed neque alias absentes, etiam ob justas causas, distributiones, quas propter absentiam à divinis officiis non lucrantur, tutâ conscientiâ accipere & retinere possunt, dum eas illis reliqui præsentes, quibus aliàs accrevissent, expressè remittunt, seu donât. Pirh. *loc. cit. n.* 102. juxta Archid. contra Gl. *in cit. c. unicum*; nam præter rationem immediatè ante datam, illas reciperent contra mentem & prohibitionem hujus constitutionis, quâ absolutè decernitur, quòd Canonicus illegitimè (id est citra causas, quæ in jure, nimirum *cit. c. unic.* exprimuntur, tanquam sufficientes ad lucrandas distributiones in absentia) absens distributiones nullatenus suas faciat, teneatúrq; ad restitutionẽ Concilio Trid. *dicta sess.* 24. *c.* 12. expressè dicente: *distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, iis careant.* Pirh. *l. c.* citans Barb. *l.* 3. *juris Eccl. c.* 18. *n.* 91. *&* 98. Nihilominus si Canonici præsentes distributiones, quas absentes à choro amiserunt, & quæ præsentibus jam datæ sunt, & jure accrescendi acquisitæ, postea nullo præcedente pacto, vi vel metu absentibus donent, possunt absentes eas licitè recipere, & retinere, cum Trid. *l. c.* non dixerit: *quavis donatione, sed quavis collusione, aut remissione exclusa*; & dum debitum jam solutum redonatur, non est remissio; sed cùm debitum creditori solvendum condonatur, Pirh. *ibid.* citans Barb. *ubi ante n.* 15. & Azor. *cit. l.* 7. *q.* 9. quamvis dicat Castrop. tenere contrarium.

Quæstio 422. *Ad quem spectent distributiones quotidianæ amissæ per non interessentes; itẽ fructus præbendæ amissi ob nõ residentiã?*

1. Respondeo primò: si singulis, qui interfuerunt assignata est certa quantitas v. g. unus solidus, tunc portiones absentium non accrescunt seu dividuntur inter præsentes, sed ad Ecclesiam spectant, & in ejus utilitatem sunt convertendæ. Garc. *n.* 444

2. Respondeo secundò: si singulis non est assignata certa portio, sed certa massa aliqua v. g. duo imperiales inter præsentes distribuenda, portiones non interessentium accrescunt præsentibus, ac ita præsentium portiones propter absentes alios fiunt pinguiores. Garc. *nu.* 445. citans pro utraque hac responsione Gl. *in* 2. *clem. de vita & honest. cler.* Felin. *in c. Apostolicæ. de except. nu.* 12. Surdum *de aliment. tit.* 1. *q.* 82. *n.* 16. Cardin. Imol. Abb. & Gl. *in clem. ut ii. de at. & qual.* Rebuff. *in praxi. de dispens. de non residend. n.* 10. Guttier. Ugol. &c. de cetero ubi pars tertia fructuum præbendarum juxta decrerum Trid. *sess.* 21. *c.* 3. conversa fuit in distributiones quotidianas, distributiones, quas absentes amittunt, interessentibus accrescunt. Garc. *n.* 465. Qua ratione autem concilietur cum hoc, decretum illud Trid. *sess.* 22. *c.* 3. ubi statuitur, ut portio ex tertia illa parte fructuum dignitatum conversa in distributiones per non servientes amissa, non accrescat aliis, sed fabricæ Ecclesiæ, quatenus egeat, alterive loco pio, ostendit post rejectas aliorum

interpretationes. Garc. *n.* 464. quem leges utiliter, ubi & in *seq. numeris*, ubi tractat, qualiter tertia illa pars fructuum singularum præbendarum, Canonicatuum &c. separanda & in distributiones convertenda, & quid circa hæc observandum.

3. Quod verò dictum in prima responsione, portionem absentium spectare ad Ecclesiam, ita procedit, ut si ex patrimonio, & bonis Ecclesiæ, cui ministratur, dentur reditus & distributiones istis ministris, nulla facta divisione redituum inter ipsam Ecclesiam, & ejus ministros recidat seu spectet hæc portio absentium ad hanc massam seu patrimonium Ecclesiæ indivisum. Si verò patrimonium Ecclesiasticum divisum est in duas partes, quarum una sit Ecclesiæ ad ejus fabricam, ornamenta, aliáque necessaria, altera ad ministrorum victum, & mercedem destinata, qualis est, & dicitur mensâ capitularis, portio absentium cedit in hoc commune patrimonium ipsorum ministrorum, & manet in ipsâ mensâ capituli, & massa communi, ex qua dantur hujusmodi distributiones dividendæ inter omnes residentes pro suis præbendis, & rata temporis residentiæ Garc. *n.* 447. citans Covar. *c.* 13. *n.* 7. Jo. Guttier *qq. can. l.* 1. *c.* 1. *n.* 107. & fusam Rotæ decisionem.

4. Respondeo tertiò: idem dicendum de dictis fructibus, nimirum, quòd, dum in Ecclesia non sunt præbendæ distinctæ, nec est facta dicta divisio redituum inter Ecclesiam & ejus ministros, sed dantur præbendæ & reditus, assignatâ cuilibet certâ portione, fructus à non residentibus amissos pertinere ad ipsam Ecclesiam: si verò est massa communis beneficiatorum distincta à patrimonio Ecclesiæ seu fabricæ, inter residentes pro eorum præbendis dividenda, portio fructuum amissa ab absentibus, manet in dicta massa communi. Quòd si autem præbendæ realiter sunt distinctæ, ita ut quælibet sit domina suæ dotis, fructus dicti amissi applicandi sunt fabricæ Ecclesiæ, quatenus eget, vel alteri loco pio pro Ordinarii arbitrio. Garc. *n.* 449. & 450 citans eosdem Covar. & Guttier. Neque his obstant declarationes quædam S. Congregationis apud Garc. *n.* 432. absolutè dicentes; distributiones malè perceptas, vel aliàs amissas esse restituendas fabricæ, quatenus eget, alterive loco pio, cùm intelligantur de distributionibus malè per eum receptis, qui fuit habitus pro præsente à capitulo, vel cui eæ remissæ, adeóque bene dicitur non obvenire illas capitulo, sed fabricæ; cùm capitulum dando perpetam illam licentiam abessendi, hoc facto sibi præjudicarit. Garc. *n.* 452. Ubi tamen aliqui capitularium non consenserunt in talem licentiam datam, non videtur præjudicatum his non consentientibus, sed solùm majori parti consentientium, ut Garc. *n.* 456. videtur etiam dictum præjudicium intelligendum respectu distributionum ac fructuum jam traditorum ei, cui licentia vel remissio facta est; si enim nondum soluti sunt illi, potest & debet capitulum negare, & impedire solutionem, non obstante datâ licentiâ & factâ remissione à toto capitulo; nec videtur posse fabrica Ecclesiæ, altérve locus pius adhuc prætendere jus ad illos; cùm nondum sint ei cum effectu traditi. Garc. *n.* 457. salvâ tamen mente S. Congregationis, quam sic interpretatur, & cui hanc ipsam suam interpretationem submittit; dúmque eædem declarationes dicunt, tales non residentes privandos fructibus, & hos applicandos Ecclesiæ, loquuntur de iis fructibus, quos tales absentes ratione præbendæ & residentiæ fecerunt, aut fecissent suos; non verò de iis, quos non residendo amiserunt, seu non fecerunt suos; quoad hos enim non est opus privatione. Garc. *n.* 453. & 454.

Quæstio 423. *Pro clausula materiæ de distributionibus, num eæ securè transmittantur ad hæredes, ut alia bona patrimonialia clericorum?*

REspondeo affirmativè de iis distributionibus quotidianis massæ grossæ, ut vocant, quæ quotidie, vel etiam in fine anni, vel statis temporibus fieri solent, quæque debentur ratione servitii & intereſſentiæ; in effectu enim non sunt fructus, neque emolumenta beneficii, sed purum salarium, & merx laboris; dum verò obveniunt ratione solius Canonicæ, utpote surrogatæ in locum præbendæ, loquendum de iis quoad hoc punctum, uti de fructibus beneficii C. de Luca *de benef. d.* 100. *n.* 13.

Quæstio 424. *Quæ pœnæ decretæ in eos, qui dignitates vel Canonicatus, præbendas aut portiones, in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis obtinentes sine legitima facultate absunt, seu non residunt?*

1. REspondeo: in Trid. *sess.* 24. *c.* 12. sic statui: *Primò anno privetur unusquisque dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ facit suos. Quòd si iterum eádem fuerit usus negligentiâ, privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit; crescente verò contumaciâ, contra eos juxta SS. Canonum constitutiones procedatur &c.* quæ exstant *in tit. de cler. non resid.* nempe si tales perseverent in absentia, privandi sunt etiâ beneficiis, ut habet S. Congregatio ad *cit. c.* 12. & tenent Paris. Gomez. &c. apud Garc. Vide etiam hanc in rem duas constitutiones Pii IV. & Urbani VIII. quas refert Fagn. *in c. ult. de cler. non resid. n.* 11. & *seq.* circa quæ notanda sunt sequentia.

2. Primò iisdem pœnis teneri Canonicos, qui majori officio sunt adstricti, quam de quo in dicto decreto statuitur. Garc. *cit. c.* 2. *num.* 144. juxta S. Congregat. declarat.

3. Secundò, quòd tales, etiam moniti, non possint hodiedum statim privari, sed primo anno, & primâ vice solùm privandi sint dimidiâ parte fructuum, quos fecerunt suos. Garc. *n.* 140.

4. Tertiò, ad prædictam pœnam privationis fructuum non esse opus monitione, nec etiam intimatione, ut deserviant, juxta dictum decretum Trident, sed si abfuerint ultra tres menses, esse citandos, ad allegandum, quare non debeant puniri secundum hoc decretum; ita S. Congregatio apud Garc. *n.* 145.

5. Quartò, bonum judicem arbitrari oportere, quanto tempore debeat ultra tempus permissum absentes exspectare, antequam contra eos pœnas exequatur: eadem sacra Congregatio *ibid.*

6. Quintò, pœnam istam non posse remitti ab Episcopo, cùm non possit dispensare contra Concilium. Garc. *n.* 149. citans Navar. *consil.* 3. *de cler. non resid.* posse tamen ab eo ante sententiam ex causa minui, vel augeri. Garc. *num.* 150. juxta declarat. S. Congregationis & Tiraq. *de pœnis in præfat. à n.* 16.

7. Sextò, Episcopum peccaturum, si absque justa causa dissimularit talem absentem punire. Garc. *n.* 151. Navar. *loc. cit. n.* 2.

8. Septimò, quod si tamen Episcopus taceat, & dissimulet, & non privet, non teneri absentē illos, quos aliàs fecit suos, restituere in foro conscientiæ, cùm

nemo

hemò teneatur solvere pœnam, præsertim non impositam ipso jure, sed imponendam per sententiam, donec condemnetur à judice: jam verò talis est dicta pœna, ut patet ex *tò privetur*, quod non operatur ipso jure, sed per sententiam, Garc. *num.* 152. juxta Tiraq. & Rotam *in una Caurien si fructuum coram Orano decimo Aprilis* 1592. Atque ita in genere, humano solùm jure residentiam exigente, sententia hominis exigitur, cùm nullibi decisum sit ipso jure privationem incurri, nisi fortè aliud suadeat fundatio, cujus tenor est attendendus, tradit Lott. *l.* 3. *q.* 27. *n.* 44. ubi etiam *n.* 45. ait: non posse Episcopum statuere, ut incurratur hæc pœna privationis ipso jure, citátque pro hoc Bottæ. *de Synodo Ep. p.* 3. *a.* 1. *n.* 70. & 71.

9. Octavò, quòd si Canonicatus vel præbenda nullos haberet fructus in absentia, sed omnes residendo lucrifierent, tunc, qui nunquam resedisset, pro primo & secundo anno, & sic non haberet tunc, seu non fecisset fructus ullos suos, quibus privari posset, puniendum esse pœna arbitraria, cùm nulla sit determinata, citra tamen privationem beneficii. Garc. *n.* 153.

10. Nonò, quòd ut quis prædictorum privetur beneficio ob non residentiam, debere priùs præcedere trinam monitionem per edictum publicum in Ecclesia cum competente termino, & post ultimum edictum exspectari per sex menses, ut alioqui nulla sit privatio. Garc. n. 154. juxta plures declarationes sacræ Congregationis, quas fusè *ibidem & num. seq.* recitat. Quod ipsum tamen intelligendum, quando nescitur ubi absens sit, vel commodè personaliter citari nequit; debet enim aliàs personaliter citari seu moneri; non tamen requiritur trina monitio, sed sufficit una etiam extra judicialis, Garc. *n.* 155.

11. Decimò, quoad alias pœnas præter privationem non videtur esse opus trinâ citatione per edictum, sed sufficere unâ peremptoriam. Garc. *n.* 160. Vide dicta superius ex Lott. de pœnis curatorum non residentium.

12. Undecimò, tradit Paxjordan. *l.* 10. *tit.* 40. *n.* 123. quòd priusquam procedatur contra tales (etsi contrarium fortè dicendum de Parochis, & curatis privandis ob non residentiam) ad privationem requiri citationem solennem, & privationem solennem seu juridicam, etsi dicat verum esse, quòd monitio etiam extrajudicialis cum præfixione termini competentis ad residendum sufficere possit pro citatione, ut dicit docere Barbosam *de canon. c.* 20. *num.* 19. *&c.*

13. Duodecimò, appellationem à sententia privatoria beneficiorum ob non residentiam esse prohibitam juxta *c. relatum. c. conquerente & c. ex tuæ. de clericis non residen.* & Trident. *sess.* 24. *c.* 12. & ad solum effectum devolutivum concedi; idque verum esse, quando sententia privatoria fuit ritè rectèque lata, alioquí permittitur ad utrumque effectum. Paxjordanus *n.* 122. (& Lotter. supra de curatis quoad hoc punctum) dicens sic liquere ex decisione sacræ Congregationis, quam antecedenter citarat.

14. Denique quòd in iis, in quibus residentia præcisa non requiritur, sed solùm causativa, utcunque prætendatur absentia diuturna & divagatio, si hoc prætextu quisquam privetur, quandocunque revertitur, illum in suum beneficium restitui. Lott. *num.* 119. citans Felinum *in cap. quoniam frequenter num.* 23. & dicens id rectè probari ex dispositione textûs *cap. cum ad hoc. de clericis non resid.* Multóque fortius id militare in casu evulgatæ mortis, si mox per exhibitionem personæ constaret de vita. Lotter. *loc. cit. n.* 120. citans Mohedam *de probat. decis.* 1. *per totam.*

PARAGRAPHVS II.

De aliis obligationibus Parochorum.

Quæstio 425. *Qualiter Parochus obligetur administrare parochianis suis Sacramenta?*

1. REspondeo primò in genere, obligari illum ad hoc ex officio, adeóque ex justitia; cùm obligetur vi officii, oves pascere, adeóque ordinaria media salutis præbere, qualia sunt Sacramenta. Suar. *in* 3. *p. d.* 44. *s.* 2. *n.* 1. *& s.* 3. *n.* 7. Et licet rigorosè non obligetur omnia media utilia ad subditorum arbitrium iis præbere (foret enim hoc opus intolerabile) non tamen etiam solùm tenetur ad ministrandum necessaria; quia id esset magnum detrimentum fidelium, & contra debitum pastoris munus; sed tenetur ministrare ordinaria remedia, quæ Christus pro omnibus fidelibus reliquit, quæ sunt in ordinario usu Ecclesiæ, dum opportuno tempore & rationabiliter petuntur. Suar. *loc. cit.* Similiter ex justitia, & non ex sola charitate, teneri ad id illos parochos, qui sine stipendio ex sola charitate & obedientia hoc munus suscipiunt, tenet Suar. *loc. cit.* eò quòd subditi habeant proprium jus exigendi & petendi ab illis; cùm illi esse non debeant pejoris conditionis quàm reliqui fideles, ut non habeant jus respectu alicujus pastoris proximi. Unde tales, dum hoc munus suscipiunt, totam illam obligationem in se suscipiant, quæ in aliis futura fuisset; & licet à subditis non recipiant materiale stipendium, recipiant tamen reverentiam & obedientiam, interceditque inter eos tacitum quoddam pactum, ratione cujus ex justitia teneantur ministrare Sacramenta; alantur etiam ad hoc munus ab ipsa religione, vel summo Pontifice committente illis curam suam.

2. Unde jam peccabunt parochi graviter, ubi notabiliter in hoc deficerent, negligendo aut negando ministrare suis Sacramenta sine justa causâ frequenter & diu, etiam intra gravem necessitatem. Non tamen peccarent mortaliter, si semel iterumque negarent petenti rationabiliter v. g. confiteri aut communicare; nisi fortè subditus premeretur gravi aliquâ tentatione aut difficultate, vel longum iter ingressurus esset: vel quia tempus est jubilæi: aut certè modò dilatio non sit nimia. Suar. *de pœnit. d.* 32. *s.* 1. *n.* 5. Jo. Sanch. *in select. d.* 47. *n.* 10. aliique apud Barbos. *de off. & pot. paroch. p.* 2. *c.* 19. *n.* 8. Quin & tenetur graviter ex justitia, etiam cum periculo vitæ suæ in gravi necessitate administrare suis Sacramenta. D. Th. 2. 2. *q.* 185. *a.* 5. Vasq. *in opusc. de benef. c.* 4. §. 2 *a.* 1. *dub.* 2. *nu.* 135. Barbos. *de paroch. c.* 17. *n.* 12. *&c.* cùm cui ex officio incumbit cura salutis alienæ, teneatur eam procurare cum periculo vitæ suæ, seu dando animam suam pro ovibus suis. Barbos. *loc. cit.* citans Valent. Filliuc, Suar. Palao, Trullench. &c.

3. Limitanda tamen hæc responsio, si nimirum per alios idoneos tunc Sacramenta ministrare nequeant. Unde etiam cogendi non sunt parochi in conscientiâ, ut personaliter adsint intra locum peste infectum, si ibidem habeant sufficientes Vicarios. Quamvis non possit absolutè curam suæ parochiæ deserere; sed debeant proximè adesse, & animo ac sollicitudine nunquam deesse ovibus. Quòd si tamen etiam Episcopus judicaverit expedire bono communi, ut ad proprium locum revertantur, vel ne ab illo discedant, parere tenebuntur, quia præceptum per se est justum, & ad Episcopum spectat, curam habere communis boni, ejúsque judicio & voluntati magis standum est. Suar. *in 3. p. d.* 44. *s.* 3. *n.* 12. Item limitanda responsio, ut intelligatur de Sacramentis hîc & nunc probabiliter necessariis ad salutem (qualis v. g. foret extrema unctio, dum quis aliis Sacramentis juvari non posset, quia juxta valde probabilem cum sola attritione habet virtutem delendi mortalia. Barbos. *loc. cit. n.* 21. ex Possevin. *de off. curati, c.* 5.) non enim censebitur aliàs necessitas gravis & talis, in qua cum tanto vitæ periculo teneatur succurrere parochis. Trull. *in expos. decal. l.* 1. *c.* 5. *du.* 6. *n.* 14. Lopez & alii apud Barbos. *n.* 14. Verùm de hoc melius in particulari agendo de Sacramentorum singulis. Unde

4. Respondeo secundò: quo ad Baptismum teneri parochum cum evidente periculo vitæ suæ hunc administrare infanti moribundo, dum alius non est, qui eum illi conferat; quia talis infans est in extrema necessitate, absolutè & evidente discrimine amittendi æternam salutem, pro quo irreparabili damno proximo tenetur indubitatò quisque omnia temporalia contemnere, parochus ex justitia, alii ex charitate. De cetero, in casu nimirum moralis periculi vitæ propriæ vocatus pro Baptismo sufficiet docere modum, quo ipsi vocantes baptizent, absque eo, quòd ipse vadat. Possev. *loc. cit.*

5. Quo ad Sacramentum pœnitentiæ administrandum, tenetur illud moribundo decessuro aliàs sine illo parochus, etiam cum morali periculo vitæ suæ. Suar. *cit. s.* 3. *n.* 13. dicens, in hoc casu regulam generalem statuendam in favorem animarum; exceptionem verò esse posse in favorem parochorum. Et licet hæc in uno alteróve singulari homine non videatur extrema necessitas; eò quòd hoc Sacramentum necessarium non sit in re, sed solùm in voto per contritionem (quamvis & hæc, utpote includens puram Dei dilectionem super omnia, eo tempore ob corporis debilitatem, sollicitudinem salutis corporalis valde distrahentem animam à spiritualibus, & nimium timorem, quo tunc potius quàm amore movetur homo, fit admodum difficilis) in tota tamen communitate sit extremum periculum: cùm fieri moraliter nequeat, quin damnentur multi, si tota communitas in talibus casibus hoc Sacramento destituatur. Jam autem, si hæc sit obligatio respectu totius communitatis, necesse est, ut quoque respiciat singulos; quia non potest aliter subveniri illi necessitati communi, quàm hoc Sacramentum ministrando singulis. Suar. *loc. cit. n.* 13. Falsum etiam est, necessitatem provenientem ex defectu voluntario (qualis esset omissio contritionis voluntaria) non obligare ad subveniendum proximo in spiritualibus cum vitæ periculo; aliàs enim nunquam ad hoc obligaret charitas, nisi fortè respectu parvulorum gentium Baptismo. Defectus itaque dum non est ex sola malitia; sed vel ex ignorantiâ, vel fragilitate, & homo sic constituitur in morali periculo æternæ damnationis, ea est extrema necessitas, vel ita gravis, ut sufficiat ad obligandum. Suar. *loc. cit.* citans Nav. *in sum. c.* 24. *n.* 23. Adrian. *du.* 8. *de confess.* Nihilominus possunt occurrere circumstantiæ tales, in quibus hoc præceptum non obliget, v. g. dum parochus moraliter præsumeret, eique moraliter positivè constaret de bono statu, bonaque dispositione infirmi, eò quòd paulò ante infirmitatem confessus, & aliàs vir erat studiosus, prudens & integer; non enim tunc est in vera necessitate gravi, nedum extrema. Suar. *loc. cit. n.* 15. Nequaquam autem sufficit ad deobligationem, quòd parochus negativè se habeat, hoc est, ignorans statum infirmi ex generali regula præsumat, illum esse in bono statu, quem non scit esse in malo; siquidem talis præsumptio exigitur circa ea, quæ sunt alteri favorabilia; non verò licet eâ uti ad negandum ei debitum ministerium, exponendúmque illum periculo, saltem dubio, æternæ damnationis: sed potiùs tunc locum habet ea regula: in dubiis tutior pars eligenda. Hinc tenebit dicta obligatio, quoties verisimilius dubitatur de æterna salute proximi. Estque non solùm, quando is non potest aliter salvari, sed etiam, quando verisimiliter aliter non salvabitur, aut probabile dubium est, an sine illo remedio salvabitur. ita Suar. *loc. cit.* ex Adrian. Quin & ipse infirmus constitutus in articulo mortis non habens vehementem probabilitatem suæ contritionis, potiùs debet accipere hoc Sacramentum cum periculo corporalis vitæ, quàm se exponere periculo æternæ mortis, ordine charitatis sic expostulante. Adeoque & parochus in iisdem circumstantiis tenetur id ei ministrare, & quidem à potiore, tum quia quisque faciliùs potest propriam quàm alienam dispositionem cognoscere: tum quia propria necessitas est propria & particularis; parochus autem debet curare publicam & communem necessitatem, quæ insurgeret gravissima, si cum prædictis circumstantiis non ministraretur hominibus hoc Sacramentum in tempore talis necessitatis. Suar. *loc. cit. n.* 16.

6. Quo ad Sacramentum Eucharistiæ, tenetur illud pastor administrare, quoties pii subditi eam rationabiliter petunt; ut si non petant nimis frequenter; sed quatenus postulat eorum conditio, & Sacramenti reverentia. Nav. *in c. placuit. de pœnit. d.* 6. *n.* 152. Bonac. *de Sacram. d.* 4. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 14. Barbos. *loc. cit. c.* 20. *n.* 15. *&c.* cùm communi. Tenetur quoque & tertius illud ministrare, quoties subditi obligantur communicare, v. g. in paschate. Barb. *ibid. n.* 13. parochus enim per se loquendo tenetur ministerium necessarium exhibere, ut subditus servet præcepta. Suar. *loc. cit. n.* 17. Maximè, quæ sunt juris divini, quale est de communicando in articulo mortis. Tenetur etiam tempore pestis cum ordinario periculo contagii, quod in tali occasione esse solet, ministrare infirmis sub gravi præcepto ex justitia, etiamsi intelligat, ægros esse dispositos per Sacramentum confessionis. Suar. *loc. cit.* Arguitur rectè hæc obligatio ex usu Ecclesiæ, quo omnes parochi timorati hoc observant, & Episcopi eos ad hoc compellunt, quæ compulsio justa non esset, si ipsi vi officii ad hoc non tenerentur. Suar. *loc. cit.* tum etiam ex eo, quòd in Sacramento hoc quædam est necessitas moralis, dum auxilium per illud datum necessarium censetur moraliter ad perseverandum in justitia per pœnitentiam

tiam recuperata, & vincendas tentationes illo tempore occurrentes; quibus accedit fructus essentialis ipsius viatici maximus, ideoque præferendus multis incommodis spiritualibus. Ex quibus omnibus simul sumptis, & prudenter consideratis exsurgit necessitas quædam, quæ licet non sit extrema, attamen valde gravis; adeoque sufficiens ad obligandum parochum, qui non tantùm ex charitate, sed & ex Justitia obligatur; & ideo non tantùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate subditi obligatur cum aliquo periculo communi & ordinario. Cúmque hæc necessitas evadat major ex eo, quòd infirmus Sacramentum pœnitentiæ suscipere non potuisset: Eucharistia autem juxta valdè probabilem cum attritione conferat gratiam primam, obligatio quoque in eo casu erit major. Suar. *n.* 18. Adde, quòd ut dictum ante de Sacramento pœnitentiæ, etsi respectu singulorum necessitas hæc aliquo modo sit gravis, respectu communitatis sit gravissima; esset siquidem damnum ingens, si totus populus in ea occasione destitueretur viatico, & moraliter loquendo, cederet in extremum periculum multorum. Neque esset convenienter provisum Christianæ Reipubl. si in tam gravi necessitate non haberet hoc mysterium ex officio necessarium, sed voluntarium ex perfectione charitatis. Nihilominus in casibus particularibus excusari poterunt parochi, prout nimirum periculum vitæ propriæ multum augetur, & proximi necessitas minuitur, prout facilè ex dictis paulo ante de Sacramento pœnitentiæ intelligi, & ad particularia applicari potest. Certè cùm necessitas medii ad salutem in hoc Sacramento multò minor sit, quàm in confessione, ex hac parte minor magísque dubia est hæc obligatio administrandi moribundo hoc Sacramentum. Suar. *loc. cit. n.* 17.

7. Quo ad Sacramentum extremæ unctionis, Parochi ratione officii ex Justitia obligantur ad illud ministrandum subditis, ita ut si egenti sine justa causa negent, vel differant cum probabili periculo, ne interim infirmus moriatur, peccent mortaliter. Nav. *in man. c.* 25. *num.* 131. Laym. *Theol mor. l.* 5. *tr.* 8. *c.* 7. *nu.* 3. Bassæ. *in florib. Th. v. extrema unctio n.* 2. *&c.* Tenentur quoque illud ministrare tempore contagionis sine morali periculo vitæ, quod periculum evitare tenebuntur adhibendo convenientia remedia prudentum medicorum arbitrio, partim præveniendo illud, anticipando nimirum collationem hujus Sacramenti statim in principio talis ægritudinis, antequam ea multum inficere possit, cùm pestis similésque morbi per se sint lethales, & aliàs fiunt adeo contagiosi, non oportet aliquem terminum in iis exspectare, sed statim sub initium dari potest hoc Sacramentum; partim curando, ut loco puro & libero æger constituatur, partim utendo virgula aliqua argentea oblongiore ad unguendum à distantiore loco: partim adhibendo purè tantùm essentialia, & quantum fieri potest morâ brevissimâ. Suar. *loc. cit. n.* 20. Absolutè verò cum permanente morali periculo vitæ corporalis non tenentur illud administrare (nisi fortè, ubi alia Sacramenta ministrari nequeunt) cùm neque sit medium necessarium ad salutem, neque ex divino præcepto; & præterea supponit per se loquendo duo alia Sacramenta jam collata, quibus sufficienter subvenitur necessitati subditi.

Ita ferè Suar. *cit. n.* 20.

Quæstio 426. *Quæ sit pœna parochi nolentis administrare Sacramenta, ubi ad ea administranda obligatus fuit?*

1. Respondeo primò: si baptizare noluerit suum subditum, & is sine Baptismo moriatur, debet deponi. per *c. quicumque presbyter. de consecrat. d.* 4. Ugol. *de off. Episc. c.* 15. §. 12. *n.* 14. apud Barbos. *de off. paroch. c.* 18. *n.* 43.

2. Respondeo secundo: quo ad alia Sacramenta, cùm de iis neque in communi, neque speciatim determinata sit pœna, puniendum pœna arbitraria. Barb. *loc. cit.* citans Navar. *cons.* 3. *de paroch. in novis.* Ugol. *ubi ante, &c.* Porrò pœna hæc infligenda habito respectu ad negligentiam parochi, & ad necessitatem Sacramenti & salutem animarum. Ugol. *loc. cit.*

Quæstio 427. *Quæ sit obligatio parochi circa celebrationem missarum?*

1. Respondeo primò: tenetur parochus diebus Dominicis & festis, quibus obligatur populus audire missam, celebrare. Barbos. *de off. paroch. p.* 1. *c.* 11. *n.* 3. *&* 6. Guttier. *can. qq. l.* 1. *c.* 30. *n.* 1. Dian. *p.* 2. *tr. de celebrat. miss. resol.* 26. Piasec. *in pr. Episc. p.* 2. *c.* 3. *n.* 20. Sylvius &c. apud Barbos. Extra verò tempus, quo populus non tenetur ex præcepto audire Sacrum, præscindendo à consuetudine (cui aliàs standum) & speciali statuto, non videntur obligati parochi ad sacrificandum. Barbos. *loc. cit. n.* 6. citans Fagund. *in* 3. *præcept. Eccl. p.* 1. *l.* 3. *c.* 15. *num.* 8. contra Azor. Suar. Sot. censentes teneri parochum celebrare frequentiùs, quàm populus missam audire. Sed neque ita tenetur celebrare per seipsum, quin possit id facere per alios ex justa causa. Piasec. Dian. *ubi ante.* Villalob. *in sum. p.* 2. *tr.* 8. *d.* 14. *n.* 5. *&c.* apud Barb. *cit. n.* 6. modò id passim non faciat, & ad longum tempus. Possev. *de off. curati. c.* 2. *n.* 5.

2. Secundò: tenetur celebrare dicto tempore in propria Ecclesia, & non in alia. Barbos. *loc. cit. n.* 3. referens plures hac de re S. Congreg. declarationes, quibus abrogantur consuetudines, vi quarum solerent parochi relicta parochiali Ecclesia sine missa cum toto populo certis festis ad alias Ecclesias, ubi festa solemnizabantur, accedere, ibidémque celebrare.

3. Tertiò: non tenetur die Nativitatis Domini legere 3. missas, sed satisfacit celebrando unam. Nav. *cons.* 1. *de celeb. miss. n.* 2. Ugol. *de off. Episc. c.* 16. *n.* 5. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 236. & alii apud Barbos. *n.* 8. contra Trull. *in expos. decal. l.* 3. *c.* 1. *n.* 5. & Garc. *in sum. mor. tr.* 5. *difficult.* 2. *du.* 5. *n.* 2. censentes, teneri parochum legere 3. missas, ne fideles debitis suffragiis defraudet & devotione, quâ multi vellent ea die 3. missas audire.

4. Quartò: non tenetur parochus ad applicationem sacrificii pro suis subditis singulis diebus festis; cùm obligatio ad celebrandum, & obligatio ad applicandum sint diversæ, & non debeantur proventus pastorales præcisè, ut celebret ad intentionem populi; sed potius ratione officii pastoralis. Nav. *in man. c.* 25. *n.* 92. Vasq. *p* 3. *d.* 234. *a.* 6. *c.* 6. Suar. *tom.* 3. *d.* 86. *s.* 1. Dian. *p.* 1. *tr.* 14. *resol.* 26. Possev. *loc. cit. n.* 4. Barb. *n.* 10. qui tamen motus auctoritate Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *hic. & de pot. Episc. alleg.* 23. *n.* 23. censet, teneri parochum missæ sacrificium applicare ovibus suis juxta boni viri arbitrium, seclusâ consuetudine, aut aliqua synodali

constitutione vel pacto, sufficere, istam applicationem fieri diebus solennibus, censent Vasq. Suar. Nav. *ll. cit.* Filiuc. *tr. 5. c. 6. n. 174.* Laym. *Theol. mor. tr. 5. c. 4. n. 3.* Garc. *loc. cit. diff. 3. dub. 6. n. 7.* Licet autem parochus non teneatur ad applicationem sacrificii pro populo singulis diebus festis, sed maneat ea illi libera, non posse tamen etiam illum (vel etiam alium Capellanum) pro ea missa, ad quam dicendam alicubi quis obligatus est, etiam citra astrictionem intentionis seu applicationis, recipere eleemosynam, censet Barbos. *loc. cit. n. 11.* citans Gavant. *in comment. ad rubric. missal. tom. 1. p. 3. tit. 12. n. 5.* & S. Congreg. declarat. *in decreto de celebr. miss. emanato de mandato Urban. VIII.* cujus hæc sunt verba: *Congregatio die 1. Sept. An. 1629. respondit; quibus diebus parochi tenentur missam celebrare, non posse manualem eleemosynam recipere.* Contrarium nihilominus tenentibus apud Barbos. *loc. cit.* Ludovic. à S. Cruce. Dian. Turrian. &c. item contra Alphons. de Leon. *de Jubilæo. p. c. 20. n. 27.* Fraxinell. *de oblig. Sacerd. s. 4. concl. 4. §. 8. &c.* tenentes, quòd quando constitutum seu relictum est stipendium, non pro applicatione sacrificii, sed solùm pro cultu Ecclesiæ & commoditate populi, ut is ibi possit audire sacrum vel communicare, posse Sacerdotem eleemosynam accipere pro ejusdem sacrificii applicatione danti facienda. Secùs si constituentes tali sacerdoti certum stipendium voluerint quoque applicationem sacrificii.

Quæstio 428. *Quæ sit obligatio parochi assistendi infirmis & moribundis?*

Resp. primò: teneri illum, ubi necesse est, ad visitandos infirmos accedere, eósq; opportunis remediis juvare, habendo in promptu argumenta ad animũ consolandum, excitandúmq; ad res divinas & æternas congrua. Barb. *de off. par. p. 1. c. 8. n. 27.* Secundò magnum & necessariũ esse ministerium, majorémque ei incumbere obligationem assistendi ægro incipienti agonizare, & ferendi opem opportunam in eo periculoso momento. Barbos. *n. 28.* citans Homobon. *in resp. qq. mor. p. 1. resp. 29.* Non tamen teneri parochum sub mortali assistere infirmo, qui Sacramenta recepit, censet Barbos. *n. 29* ex Machado *in perfecto Confessar. l. 4. p. 2. tr. 2. docum. 23. n. 1.* qui citat etiam Possevin. *de off. curati. c. 13. n. 13.* Quòd si tamen infirmus fuerit impœnitens, tenetur ei assistere usque ad reductionem. Barbos. *n. 30. ex eodem Machad.* & Possevin. *nu. 14.* Ac demum non tenetur sub mortali infirmum inducere, ut testamentum conficiat. Barb. *loc. c. n. 34.*

Quæstio 429. *Quæ sit obligatio parochi prædicandi verbum Dei?*

Respondeo, teneri pastores & animarum curatores oves suas pascere prædicatione verbi Dei. Atque hinc idipsum toties inculcat & injungit, additis etiam pœnis Trident. *sess. 5. c. 1. sess. 22. c. 8. sess. 23. c. 1. sess. 24. c. 7. &c.* ita ut, qui rarò vel nunquam concionem habent ad populum, peccent mortaliter, etiam abstrahendo à gravi necessitate populi. Toties verò peccent graviter contra divinum præceptum, quoties populus graviter egebit prædicatione. Barbos. *de off. parochi. c. 14. n. 8.* Porrò tempus, quo omittendo prædicationem, peccabit aliàs mortaliter Trull. *in exposit. decal. l. 3. c. 1. du. 4. n. 14.* ex Bonacin. apud Barbos. *loc. cit.* censet esse duorum vel trium mensium, etiam discontinuorum. Supponere videtur idipsum Trid. nimirum spatium trium mensium esse notabile in ordine ad gravem culpam, dum *sess. 5. c. 2.* decernit, parochos, si ab Episcopo moniti trium mensium spatio hac in parte non satisfecerint muneri suo, cogendos esse per censuras aliasque pœnas, cùm censuræ Ecclesiasticæ non nisi graviter peccantibus imponi soleant. Barbos. *loc. cit. nu. 8.* Porrò licet Tridentinum parochis munus prædicationis verbi Dei injunxerit, & quasi proprium illorum munus fecerit, ita ut nec ab Episcopis in hoc impediri possint, ut declaravit S. Congr. ejusdem Concil. *ad c. 2. sess. 5.* his verbis: *Si curatores animarum per se velint munus prædicationis obire, non debent impediri:* possunt nihilominus per alios officio suo satisfacere, ut colligitur satis ex Trid. *sess. 24. c. 4.* Tolet. *l. 5. c. 5. n. 9.* Trull. *loc. cit. l. 4. c. 1. du. 8. num. 12.* apud Barbos. *loc. cit. nu. 5. & 6.* qui tamen *num. 9.* subjungit, putare se, parochum officio suo non satisfacere, quo ad Deum, prædicationes totius anni aliis committentem, etiam, dum non desunt prædicatores docentes ea, quæ populus scire tenetur. uti nec satisfaceret, si totam curam Vicario committeret, nisi ex consuetudine immemoriali excusaretur. Unde si vellet habere Vicarium, potest eum habere in coadjutorem, non tamen, ut is per se ipsum totum onus exerceat, ut bene docent Cajet. *2. 2. q. 185. a. 5.* Sot. *de Just. l. 10. q. 3. a. 1.* Henriq. *in sum. tit. de indulg. c. 28. §. 1.*

Quæstio 430. *Quæ sit obligatio parochi ad docendum pueros ac rudes doctrinam Christianam?*

Respondeo: teneri parochos aliósque curatos per se vel alios idoneos, si legitimè impediti sint, diebus saltem Dominicis & festis fidei rudimenta cetcrámque doctrinam Christianam docere rudes & pueros, juxta quod mandat Trid. *sess. 24. c. 4. & sess. 5. c. 2.* Vide de hoc Zerol. *in pr. Episc. p. 1. v. doctrina Christiana.* Ugol. *de off. Episc. c. 16. §. 4. num. 1.* Possevin. *de off. curati. c. 4. de doctrina Christ. &c.* spectat siquidem idipsum ad officium parochi. Fusc. *de visitat. l. 1. c. 4. n. 17.* Riccius *in decis. Archiep. Neapol. p. 1. decis. 22. n. 2.* Atque ita peccabit parochus mortaliter, ubi nimium negligens fuerit in doctrina istiusmodi Christiana tradenda. Sa. *v. parochus. n. 2.* Fernand. *in Exam. Theol. mor. p. 4. c. 15. §. 5. nu. 7.* Poteritque Episcopus, dum ei constat de parochi hac in parte negligentia vel insufficientia, ex fructibus Ecclesiæ assignare alteri partem congruam, qui hoc munus loco parochi adimpleat. Piasec. *p. 2. c. 3. n. 16.* Argumento Trid. *sess. 5. c. 2.* Item compellere ad hoc parochos per viam præcepti pœnalis, non tamen comminando pœnam peccati mortalis, ut Barbos. *de off. paroch. p. 1. c. 15. n. 3.* juxta rescriptum Sac. Congregat. ad Episcopum Bergomens. de 22. Novemb. An. 1592. De cetero non teneri parochum quemlibet in particulari docere fidem, sed sufficere id facere in communi in propriis Ecclesiis ex Ledesma. *in sum. tom. 2. tr. 1. c. 3.* ait Barbos. *loc. cit. num. 1.*

Quæstio 431. *Quæ sit obligatio parochi circa varias denunciationes faciendas?*

1. Respondeo: teneri illum inter missarum solemnia, præsertim die Dominico facere denunciationes quasdam ex officio absque alia licentia aut jussione; ut sunt vigiliæ quorundam festorum,

aliique dies, quibus ex hebdomada ex præcepto Ecclesiæ, vel ex loci consuetudine, seu ex Ordinarii lege jejunandum est. Item dies festi, in quibus vacandum à servilibus. Trident. *sess. 23. & sess. 25. in decreto de delectu ciborum, jejuniis, & diebus festis.* Censetque Barb. *de offic. parochi. p. 1. c. 16. num. 1.* peccare parochum mortaliter, si in hoc deficiat; quia deficit in re gravi, cùm ista sub peccato mortali populus teneatur scire. Item denunciationes matrimoniales, quas facere tenetur ex præcepto. Tridentin. *sess. 24. c. 1.* nec potest eas omittere, nisi timeretur matrimonium maliosè impediendum post illas, sine Ordinarii dispensatione. Nav. *consil. 1. de cland. desponſ.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 7. num. 17.* Con. *de Sacram. to. 2. d. 27. c. 53.* Barbos. *de off. paroch. p. 2. c. 21. n. 25. &c.* ita ut peccet graviter, si extra casus necessitatis (qualis est, dum instante morte accipienda in uxorem concubina ad satisfaciendum famæ, & filios legitimandos, vel nubendum viro æquali, qui aliter discedat, & voluntatem mutabit, dum interim non est tempus adeundi pro dispensatione Ordinarium. Sanch. *de matrim. l. 3. d. 10. n. 25.* Pont. *de imped. matrim. c. 26. §. 4.* Reginal. *l. 31. n. 224.* Henriq. *in sum. l. 11. c. 5. §. 5.* Barbos. *loc. cit. n. 25.* & alii apud illum) dictas denunciationes omittat. Sanch. *loc. cit. d. 5. num. 6.* Pont. *de matrim. l. 5. c. 30. num. 3.* Riccius *in pr. fori Eccles. resol. 224. n. 2.* Barbos. *loc. cit. num. 26.* Con. Regin. *ll. cit. &c.* Incurrere etiam parochum ob copulatos absque denunciationibus præmissis triennalem suspensionem comminatam *in c. cùm inhibitio. de cland. desponſ.* (etsi de cetero Trident. hoc in casu nullam statuerit pœnam. Barb. *loc. cit. num. 27.*) tenent Barb. *loc. cit.* Majol. *de irreg. l. 3. c. 25. n. 17.* Sanch. *l. 2. d. 48. num. 5.* Porrò qualiter, ubi & quando hæ denunciationes faciendæ, vide apud Barbos. *de off. paroch. à num. 16.* & Theologos morales passim.

2. Secundò, sunt & aliæ denunciationes, quas sine licentia Episcopi facere non debent; ex ejus autem jussione facere tenentur parochi. Tales sunt citationes, præcepta & similia judicialia. Barbos. *de off. paroch. p. 1. c. 16. num. 1. & 18.* Item Indulgentiæ Papales. de quibus sic ait S. Congreg. *ad c. 9. sess. 21.* apud Barbos. *loc. cit. n. 19. Nullus sine Ordinariorum licentia & auctoritate poterit eas (intellige indulgentias, aut alias spirituales gratias) publicare, non obstante quâcumque exceptione aut exemptione, etiam si regularis sit, aut in Ecclesiis ipsorum regularium, etiam prætextu privilegiorum, videlicet Confraternitatis Rosarii, &c.* Item miracula nova non potest parochus publicare, nisi prius ab Episcopo examinata & approbata. Trid. *sess. 25. in decreto de invocat. SS.* Sed neque quæstuarios eleemosynarum absque Episcopi licentia commendare publicè debet parochus, dum peterent pro Hospitali, Conventu, Collegio; secùs si petant pro suo particulari victu. Barbos. *loc. cit. nu. 25.* ex Possev. *de off. curati. c. 2. n. 29.* Jubente verò Episcopo publicare debet Parochus, & inter missarum solennia decretum Trident. *sess. 24. de reform. matrim. c. 1.* ita præcipiente ipsomet Concilio *loc. cit.* his verbis: *Curent Ordinarii hoc Decretum populo publicari, & explicari in singulis suarum diœcesium parochialibus Ecclesiis; idque in primo anno quàm sæpissimè fiat, dein verò quoties expedire viderint. &c.* Vide Barbos. *loc. cit. num. 20.* Item tenetur parochus jubente Episcopo inter missarum solemnia ad altare denunciare promovendos ad majores Ordines, ut si fortè impedimentum canonicum lateat, id referatur ad parochum, ab eodem referendum Episcopo; circa quod observanda parocho, quæ habentur in Trident. *sess. 23. c. 5.* Videri etiam potest hujus rei praxis, ut & impedimenta canonica compendio enumerata apud Barbos. *loc. cit. à num. 21.*

3. Tertiò, sunt & adhuc aliæ denunciationes, quas sine jussione & licentia facere potest, non tamen tenetur parochus, v. g. rerum perditarum, inventarum. Item postulationes precum pro hac vel illa necessitate hujus, vel illius in particulari personæ id rogantis; modò nimia denunciatio similium non reddat officium contemptibile, de quo prudens arbitrabitur. Barbos. *loc. cit. n. 1.*

Quæstio 432. Quæ sit obligatio parochi ad faciendas varias descriptiones & annotationes in libris specialibus ad hoc deputatis?

1. REspondeo: habere debent primò librum, in quo familias & personas subditorum, cum ætatis nota, & Sacramentorum, præsertim ad salutem necessariorum receptione, & alia hujusmodi describant, ut faciliùs exequantur id, quod mandat Tridentin. *sess. 22. c. 1.* nimirum ut oves suas noscant, non solùm in genere, quo ad earum numerum, sed in specie familias singulas, & in individuo personas, earúmque ætatem & qualitates ad ministrandum singulis opportunè, quæ ad singulorum salutem sunt necessaria. Barbos. *de off. paroch. c. 7. n. 1.* Præter hunc librum principalem,

2. Secundò, habere debent librum specialem, seu matriculam, in quo describantur omnes in ejus Ecclesia baptizati, cum nominibus parentum, si sint legitimi (dum infans est illegitimus, & parentes cognosci nolunt, scribitur: *Baptizavi N. filium parentum ignotorum*) & patrinorum, qui eos de Baptismo susceperunt, ac die, mense, anno. Barbos. *loc. cit. num. 2.* Possevin. *de off. curati. c. 8. num. 45.* Fusc. *de visitat. l. 2. c. 3. num. 24. &c.* juxta Trident. *sess. 24. c. 2.* quòd si domi baptizatus, dein allatus ad exorcismum, & reliqua sacramentalia perficienda, abscribenda sunt eorum nomina, qui tantùm ad exorcismum eum tenuerunt. Hujus annotationis formulas vide apud Barbos. *loc. cit.* Porrò hic liber Baptismi per Parochum descriptus probat Baptismum & ætatem. Mandos. *ad reg. 18. cancel. q. 10. nu. 1.* Menoch. *de præsump. l. 1. præsump. 51. num. 53.* Riccius *in pr. fori Eccl. decis. 249.* Mascard. *conclus. 673. num. 1.* Genoa. *de scriptur. privat. l. 5. tit. de libris plebanor. q. 1. c. 1. n. 9.* & alii apud Barbos. *loc. cit. num. 4.* Item probat Originem, Genoa. *loc. cit. q. 3.* Rebuff. *de pacif. poss. num. 217.* Places. *in pr. Episc. p. 1. c. 1. num. 9.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 9. §. 1. num. 112.* Barbos. *num. 5.* Item probat impedimentum coguationis spiritualis. Barbos. *loc. cit.*

3. Tertiò librum, in quo describuntur nomina eorum, qui matrimonium contrahunt in ejus parochia, adscriptis nominibus testium, & loci, in quo contractus hic matrimonii celebratus. Trident. *sess. 24. c. 1.* Fusc. *loc. cit. n. 26.* Possev. *c. 6. n. 44.* Genoa. *loc. cit. q. 6.* Pont. *de imped. matrimon. c. 26. §. 2.* Barbos. *num. 6. &c.* Teneri ad hoc parochum sub mortali, cùm hoc ipsum spectet ad solennitatē Sacramenti, ut Barbos. *loc. cit. num. 8.* propter finem necessarium vitandi lites, præstandique fidem

de

de matrimonio contracto, dum dubietas aliqua circa illud contingeret, censent Sanch. *de matrim. l. 3. d. 15. n. 22.* Regin. *l. 31. n. 242.* Possev. *c. 12. n. 44.* Pont. *l. cit. &c.* apud Barb. *cit. n. 8.* Probatur autem ex hoc libro, etiam mortuis testibus absque aliis probationibus plenè matrimonium. Mascard. *de probat. concl. 672. n. 18.* Riccius *resol. 318.* Sanch. *loc. cit.* Barb. *n. 10.* & alii plures apud illum. Formulas servandas in hac descriptione, vide apud eundem Barb. *n. 9.*

4. Quartò, librum, in quo describuntur nomina mortuorum illorum, qui in parochia illa sepulti fuerint; cujus descriptionis formulam vide apud Barb. *loc. cit. nu. 11.* Ex hoc libro probatur mors & sepultura. Barb. *n. 12.* Menoch. *l. cit. n. 53.* Genoa. *l. cit. q. 2.* Fusc. *de visitat. l. 2. c. 3. nu. 28.* etiam ad effectum reservationis. Buratt. *decis. 11. n. 2. &c.* apud Barb. Parocho enim deponenti de pertinentiis ad suum officium creditur. Menoch. *de arb. casu 99. n. 3.* Surdus *decis. 70. n. 13.* Gratian. *discep. forens. tom. 4. c. 653. n. 60.* Barb. *n. 7.* & in specie creditur illi annotanti mortem parochiani, quia ad illum & opus sepeliendi defunctos suæ parochiæ, & hujusmodi annotatio spectat. Mascard. *de probation. concl. 673. num. 13.* Cravet. *de antiq. temp. p. 1. §. videmus.* Genoa. *l. cit. n. 1.* Barb. *n. 15.*

5. Quintò, librum, in quo scribantur nomina confirmatorum, patrúmque & matrum, patrinorum & matrinarum, nomen Episcopi confirmantis, dies, mensis, annus, Ecclesia, in qua data confirmatio. Ac præcipuè opus est tali libro in oppidis, ad quæ Episcopus confirmaturus accedit, non habens secum Notarium scribentem: secùs in civitatibus, cùm ibi confirmatio detur in cathedrali, & ibi notentur confirmati. Possev. *de off. curati. c. 12. n. 43.* Barbos. *l. cit. n. 16.* ubi & formulam hujus descriptionis ponit.

6. Præter dictos 5. libros, quos parochi ex debito officii facere tenentur, & penes se habere, in aliis nonnulla annotare solent, quæ Ecclesiæ & parochianis necessaria videntur, v. g. hunc vel illum fuisse excommunicatum. Barb. *n. 22.* probátque hæc scriptura. Genoa. *loc. cit. q. 4. in fine.* Mascard. *l. cit. n. 12.* vel hæc aut illa bona spectare ad dominium suæ Ecclesiæ, probátque etiam hæc annotatio, nisi fit contra tertium; quia tunc solùm præsumptionem & indicium facit. Masc. *num. 7.* Genoa & Barb. *ll. cit.*

7. Porrò prædictis illis libris, maximè illis 5. bonam custodiam adhibere tenetur parochus, ne dum possunt ad aliorum manus facilè pervenire, falsentur, vel corrumpantur. Et ubicumque requisitus fuerit, tenetur de illis fidem necessariam facere, accipiendo pro mercede, si quid & quod in eo loco solitum est dari, aliàs gratis. Barb. *l. cit. n. 19.* Fides autem, ut in judicio probet, est necessariò facienda cum formali transcriptione partitæ de verbo ad verbum sicut jacet; ita ut aliter facta fides, seu attestatio parochi, quibuscunque verbis concepta non probet, prout nec probat, si extracta sit lite pendente in Rota sine citatione & recognitione, quæ tamen necessaria non est, si tempore productionis non fuerit de hoc oppositum, cùm Judex parte non opponente, possit adhibere fidem scripturis etiam informibus, cùm possint quandoque recognosci. Barb. *n. 21. & seq.* allegans plures pro singulis articulis Rotæ decis. & pro ultimo citans quoq; Puteum *decis. 405.* & Decium *in Auth. si quis in aliquo.* Demum non sunt hujusmodi libri per Episcopum de parochorum potestate extrahendi, sed penes illos conservari debent, modò tamen, si necessarium fuerit, copia pro illorum conservatione detur. Barb. *n. 20.* juxta rescriptum S. Congr. præpositæ negotiis Episc. & Regular. de die 3. Jun. 1604.

Quæstio 433. Quæ sit obligatio parochi circa reparationem Ecclesiæ, & domûs parochialis?

1. REsp. primò: ubi certa portio redituum ad fabricam deputata non est, aut ea sufficiens non est ad reparationē Ecclesiæ parochialis, ejusque sarta tuta servanda, teneri Rectorem, qui decimis aut Ecclesiæ istius reditibus aliis gaudet pro eorum rata ad dictam reparationem contribuere *c. de his. de Ecclesiis ædificandis*, ubi ait Pontifex: *De his, qui Ecclesias parochiales habent, duximus respondendum, quòd ad reparationem & institutionem Ecclesiarum cogi debent, cùm opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis superfint conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur.* Quod rescriptum innovavit Trid. *sess. 21. c. 7.* Paris. *de resign. l. 3. q. 15. n. 1.* Riccius *in pr. aurea resol. 476. n. 4.* Surdus *cons. 62. n. 1.* Barbos. *de off. paroch. c. 13. num. 2.* Azor. *p. 2. c. 9. q. 10.* ubi, quòd Rector & alii, qui in Ecclesia beneficia habent, ad ejus reparationem contribuere debeant, quando ea ad id nullos vel non sufficientes reditus habet. Item quòd qui percipiunt redituum quartam partem, quæ olim per canones fabricæ erat deputata, eam solvere debeant, ut reparetur Ecclesia, qua reparatâ, ad eosdem ea quarta portio proventuum redibit: & quòd si dicta pars ad reparationem non sufficiat, compellendi sunt in ea beneficiati, dum detractis necessariis aliquid illis supereft. Sic itaque tenebuntur quoque ad reparationem Ecclesiæ, deducto prius necessario ad sustentationem (secùs enim est de necessario ad tuendum statum, cùm beneficiorum fructus non sint ad fovendos augendósve mundanos titulos, sed ad alendos pauperes, & cultum divinum promovendum concessi. Riccius *in Decis. Curiæ Neapol. p. 3. decis. 293.* Comitol. *paulò pòst citand.* Barbos. *l. cit. n. 5.*) commendatarii perpetui, Sarmiento *de reditib. Eccl. p. 2, mon. 8. n. 3.* Comitol. *responsa mor. l. 1. q. 82. concl. 3.* Salgado. *de potest. regia tom. 1. p. 3. c. 5. n. 16. &c.* apud Barb. *l. cit. n. 4.* Quòd si tamen alicubi est consuetudo recepta, ut laici suis impensis Ecclesiam reparent, ea servari debet, quia ibi Sacramenta recipiunt, & divina audiunt. Azor. *loc. cit.* imò ad eam servandam compellendi. Azor. *ibid.* De cetero si parochus non habet ab Ecclesia tot reditus, quibus præstare possit talem reparationem, tunc in illius defectum tenebuntur contribuere parochiani. Abb. *p. 1. cons. 70. de par.* Lamb. *de jurep. l. 3. q. 7. a. 2.* Ricc. *cit. resol. 336. n. 8. & resol. 349.* Barb. *n. 7.* Item etiamsi parochiani sint nobiles & exempti, cùm hoc sit opus publicum, & communem utilitatem concernens. Avendan. *de exeq. mand. l. 2. c. 14. n. 19.* Ricc. *in decis. Curiæ Neap. decis. 14. n. 4. p. 4.* Barb. *l. cit. n. 9. & de off. Ep. alleg. 64. n. 7. p. 3.* Quin & ad hoc cogendi, quacunq; appellatione non obstante. Gonz. *ad reg. 8. gl. 9. n. 218.* Barb. *l. cit.* A fortiore autē in dicto casu tenebuntur ad hoc patroni, dum Ecclesia est juris patronatûs cùm percipiāt emolumentū ab hoc jure patronatus consistens in præsentatione, præstatione alimenti ab ipsa Ecclesia in necessitate, & honorantia primi loci in processionibus & sessionibus. Beller. *disquis. cler. p. 1. tit. de cler. debitore §. 14. n. 10.* Barb. *l. cit. n. 8.*

Sed

Sed neque parochiani possunt usui Ecclesiæ cedere, & recedere ab Ecclesia, uti nec ipse parochus renunciare beneficio, ut evitent onera reparandi Ecclesiam. Barb. *loc. cit. num.* 10. Bellet. *loc. cit. n.* 7. Lambert. *loc. cit. a.* 2. *n.* 7. Gregor. Lopez. *l.* 11. *tit.* 10. *p.* 1. Quòd si verò etiam parochiani sunt pauperes, nec reficere possunt Ecclesiam parochialem, Barbos. *num.* 11. Velasc. *consult.* 179. *num.* 22. Ricc. *in pr. fori Eccl. p.* 4. *resol.* 348. docent, servandam esse dispositionem Trid. *sess.* 21. *c.* 7. sic statuentis: quòd si nimia egestate laborent, ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quàm alias Ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

2. Respondeo, quod dictum de reparatione Ecclesiarum parochialium, idem omnino dicendum de domibus, id est, habitationibus parochialibus, juxta Declarat. Sac. Congregat. *ad c.* 7. *sess.* 21. *Trid.* Barbos. *loc. cit. n.* 12.

Cetera beneficiatorum onera tam curata quàm simplicia beneficia habentibus communia hîc prætermimus. Vel enim de iis jam satis actum in antecedentibus, qualis obligatio suscipiendi Ordines sacros, vel de jure communi, vel ex statuto speciali, aut institutione fundatoris beneficio annexos, item onus legendi hebdomadatim in certo numero certóq; loco tot vel tot missas Capellaniæ alterive beneficio impositum; vel talia sunt, quæ potiore jure sibi vendicat Theologia moralis, qualis est obligatio quotidie recitandi horas canonicas beneficiatis omnibus communis, &c.

***

CAPUT SECUNDUM.

DE POTESTATE, IVRIBVS, AC EMOLVMENTIS BENEFICIATORVM.

PARAGRAPHVS I.

De potestate parochorum, jurisdictione, ac præcedentia.

Quæstio 434. *Quid possit & non possit parochus, quo ad ministrandum Sacramentum pœnitentiæ?*

1. Respondeo primò: Parochus, (qui quà talis jurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ habet in omnes parochiæ suæ fideles. Laym. *Theol. mor. l.* 5. *tr.* 6. *c.* 10. *nu.* 3. Nav. *in c. placuit* 8. *d.* 6. *de pœnit. num.* 12. cum communi; quo ad hoc lege approbatus absque alia desuper ei facienda per Ordinarium licentia seu approbatione, ut colligitur ex verbis illis Trident. *sess.* 23. *c.* 5. *nisi aut parochiale beneficium. &c.* Barbos. *de paroch. c.* 19. *num.* 1.) potest administrare Sacramentum pœnitentiæ, etiam extra parochiam suam, & extra Diœcesin, & ubiq; locorũ subditis seu parochianis suis. Barbos. *loc. cit.* citans Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 19. *num.* 8. Nav. *in man. c.* 27. *nu.* 255. Covar. *pract. qq. c.* 11. *num.* 4. Azor. *p.* 2. *c.* 12. *q.* 11. cùm functio hæc non sit jurisdictionis externæ & contentiosæ, quæ fit cum cognitione causæ in foro exteriore. Azor. *loc. cit.*

2. Secundò potest parochus (quo nomine quo ad præsens punctum veniunt etiam Vicarii perpetui parochiarum. Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 12. *n.* 2. Item parocho superiores, qui jurisdictionem ordinariam in sæculares habent. Mendo *in Elucidat. Bullæ cruciat. d.* 22. *c.* 2. *n.* 29.) hoc Sacramentum administrare extra parochiam & diœcesin suam, & ubique terrarum non parochiano suo, absque eo, quòd egeat ad hoc novâ, aut alterius Ordinarii approbatione (modò tamen cõferatur ei ad hoc jurisdictio ulterior, utpote diversum quid ab approbatione, & non minùs quàm illa ad valorem absolutionis necessaria; nimirum ab alio parocho respectu suæ parochiæ, vel ab alio Episcopo respectu suæ diœcesis, vel à pontifice respectu omnium fidelium, cùm eam per collationem beneficii parochialis non acceperit, nisi in suos parochianos) Mendo *loc. cit. num.* 26, citans Suar. *in* 3. *p. d.* 28. *s.* 4. *n.* 18. Ochagaviam *de Sacram. tr.* 2. *q.* 40. *nu.* 3. & alios, contra Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 8. *num.* 87. Laym. *loc. paulò post citand.* & alios plures apud Eundem (non tamen contrarius videtur Barbos. *loc. cit. & num.* 3. *& de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 25. *n.* 8. & quos citat. Squillant. *de privileg. Cleric. c.* 1. *n.* 73. Piacesc. *in pr. Episc. p.* 2. *c.* 1. *num.* 10. dum dicunt parochũ in sola sua parochia, & non per totã diœcesin posse cõfessiones audire, subintelligere namq; videntur ex defectu jurisdictionis, & non ex defectu approbationis) per collationem enim beneficii parochialis parochus constitutus est minister publicus Ecclesiæ, & ab illa approbatus (secùs est in illis, qui citra parochiale beneficium approbantur, etiam pro tota aliqua Diœcesi, nimirum per hoc non efficiuntur ministri publici Ecclesiæ, nec habent conditionem à Trident. requisitam. Mendo *loc. cit. nu.* 28. de quo Tridentinum indefinitè loquitur; asserendo nimirum absolutè, quòd habens beneficium parochiale audire possit confessiones, in hoc quo ad parochos nullatenus jus antiquum, vi cujus ubique audire poterant confessiones, restringens. Atque hinc est recepta consuetudo, ut in confinio duarum Diœcesium parochi hujus Diœcesis alios alterius Diœcesis in subsidium audiendi confessiones in solennitatibus majoribus evocent, absque eo, quòd approbentur ab Ordinario ejus Diœcesis, ad quam vocantur. Mendo *loc. cit. num.* 26. Ad quod tamen postremum dici

potest

potest, quod pro limitatione contrariæ sententiæ affert Laym. *loc. cit. n.* 9. nimirum in hoc casu Episcopum scientem & tolerantem talem consuetudinem censeri consentire, & judicium aliorum Episcoporum ratum habere. Unde jam parochus vi Bullæ Cruciatæ vel Jubilæi (per quam approbato Confessario confertur à Pontifice jurisdictio. Mendo. *l. cit. n.* 28. & quarum quo ad concessionem eligendi Confessarium par est ratio. Mendo. *loc. cit. c.* 4. *n.* 60.) ubique errarum valide audire potest confessiones. Mendo. *loc. cit.* referens pro hac sententia Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 146. Henriq. *l.* 6. *c.* 6. *n.* 6. Suar. *ubi ante* citatos à Card. de Lugo *de pœnit. d.* 21. *s.* 1. *n.* 12. Leand. *tom.* 1. *de Sacram. tr.* 5. *q.* 60. & 67. citans Tolet. Ledesm. Trull. &c. Idem tenet Barbos. *loc. cit. n.* 4. citans Reginald. *in pr. fori pœnit l.* 1. *c.* 16. *q.* 3. *nu.* 189. Sylv. *in addit. ad* 3. *p. q.* 8. *a.* 5. *du.* 6. *concl.* 1. Filiuc. *qq. mor. tom.* 1. *tr.* 7. *c.* 9. *n.* 257. Suar. *de pœnit. d.* 22. *s.* 4. *n.* 18. & alios plures. Contrariam tamen sententiam quo ad parochos, nimirum non posse id parochum citra sui factam ab istius Diœcesis Ordinario approbationem, neque in virtute Jubilæi, neque in virtute delegationis sibi factæ ab aliis alterius Diœcesis parochis, censet Laym. *Theol. mor. l.* 5. *tr.* 6. *c.* 11. *n.* 8. communiorem, securiorem & veram. citat pro ea Guttier. *qq. can. l.* 1. *c.* 27. *nu.* 21. Rodriq. *qq. reg. tom.* 1. *q.* 59. *a.* 5. Miraud. *in man. prælat. q.* 45. *n.* 7. Sa. *v. confessio n.* 5. Ac sic ad hanc quæstionem in his terminis propositam ab Episcopo Abulens. Anno 1593. *An obtinens parochiale beneficium in una Diœcesi possit in alia absque Ordinarii loci approbatione eligi in Confessarium ab habentibus privilegium vigore Jubilæi eligendo Confessarium idoneum; vel ab habentibus licentiam à suo parocho*: Respondet S. Congreg. id minimè talem posse; apud Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 5. *c.* 8. *num.* 87. Quam Declarationem etsi Garcias dicat se habere apud se authenticam manu Card. Matthæi subscriptam, ejusq; sigillo munitam, Mendo tamen dicit, non esse satis authenticam; & cùm dicta praxis, quâ in confinio Diœcesium solent parochi unius parochos alterius adjuvare in audiendis confessionibus absque alia approbatione, sit opposita, illam non innotescere, nec ut contrariam haberi. Probat etiam Laym. hanc sententiam ex eo, quòd dum Trident. dicit, nullum Sacerdotem audire posse confessionem, nisi approbatus ab Episcopis &c. utendo τὸ *Episcopis* in plurali numero sat indicet, exponendum in pluribus Diœcesibus ad audiendas confessiones egere plurium Episcoporum approbatione. Item ex eo, quòd Episcopi quandoque meritò timentes, ne alii Episcopi minùs idoneos approbent; vel etiam ex eo, quòd in Diœcesi sua sint aliæ consuetudines & peccatorum reservationes, aliud hominum genium, alia statuta, commercia &c. vigeant, nolint ab aliis approbatos in sua Diœcesi exponi ad audiendas confessiones, & hinc, si aliter exponantur, licet alibi approbati, invalide absolvere videantur, Limitat tamen & ipse Laym. hanc sententiam; nimirum nisi fortè privilegium à Papa haberent, ita ut semel approbati ab Episcopo in aliis Diœcesibus approbari non egeant; vel nisi consuetudo sit, ut quicunque habens alibi beneficium curatum exponi hîc possit; cùm in hoc casu Episcopus talem consuetudinem sciens & tolerans censeatur consentire, & judicium aliorum Episcoporum ratum habere. Laym. *loc. cit. num.* 9.

3. Porrò stante priore sententiâ, nequaquam tamen à parochis arguendum est ad regulares aut alios Sacerdotes sæculares non habentes beneficium parochiale, semel seu pro una parochia, vel pro una Diœcesi approbatos, ac si & illi hoc ipso approbati sint pro aliis Parochiis, Diœcesibus, possintque ubique audire confessiones, modò conferatur illis jurisdictio; ac proinde ubique terrarum vi Jubilæi, vel Bullæ cruciatæ eligi possint in confessarios. Mendo *loc. cit. c.* 4. *num.* 66. Nam contrarium de his expresè declaravit Clemens X. in constitut. sua *superna magni patris*: edita An. 1670. dum ait, Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo Religiosi approbati jam fuerant. Revocátque omnia privilegia huic constitutioni suæ contraria, etiam corpori juris inserta; quin & verbotenus alias revocationi inserenda seu exprimenda; adeoque ut rectè ait Cardenas *in crisi sua diss.* 2. *c.* 6. *à n.* 263. licet probabile fortè fuerit olim (præcipuè quoad Regulares juxta privilegia iis concessa *clem. dudum. de sepultura.* & alibi) approbatum ab uno Episcopo ad confessiones audiendas esse & manere ubique approbatum; modò tamen post, & per dictam Bullam omnis ei probabilitas adimitur. Quin etsi magis adhuc probabile fuerit, doceántque idipsum Sotus, Ægid. Ledesm. Reginal. apud Boss. de *jubilæo s.* 3. §. 7. *n.* 215. Suar. Con. Fagund. apud Dianam *tom.* 1. *tr.* 11. *resol.* 7. Quintadven. & alii apud Mendo. *loc. cit. c.* 4. *nu.* 61. nimirum quemlibet approbatum ab uno Episcopo posse ubique eligi in Confessarium vi Cruciatæ & Jubilæi, contrarium tenentibus de Lugo *de pœnit. d.* 21. *s.* 1. Sa. Laym. Gutt. Vasq. &c. citatis partim à Leand. *de Sacrament. tom.* 1. *tr.* 5. *d.* 11. *q.* 90. partim à Quintadv. apud Mendo *loc. cit. nu.* 61. modò tamen post citatam Bullam Clement. X. (ante quam citati omnes scripserunt) idipsum non nisi probabilitatem dubiam, adeoque non nisi tenuem habere ait *l. cit. num.* 301. Cardenas, & probat *à num.* 270. quem vide. Sed & disparitatem inter hos & parochos hanc affert Mendo. *loc. cit. c.* 4. *nu.* 66. quòd approbatio parochi præstari censeatur ab Ecclesia tanquam publici ejusdem ministri, ac si esset præstita ab omnibus Episcopis, adeoque latius, seu quocunque se extendat; regulares verò alique Sacerdotes sæculares non sint ministri publici specialiter ab Ecclesia deputati, nec approbationem sortiantur ab Ecclesia, sed ab Episcopo, qui pro sola sua Diœcesi approbare possit; ac proinde etiamsi Tridentinum dicat, nullum posse audire confessiones, nisi approbatus sit, aut beneficium parochiale habeat, non per hoc approbationem utrorúmque æquiparat.

4. Respondeo tertiò, parochum post dimissum beneficium non posse sine nova approbatione excipere confessiones, imò nec censetur sufficienter idoneus & approbatus ad illas audiendas tempore Jubilæi. Barbos. *l. cit. n.* 6. citans Henriq. *in sum. l.* 7. *c.* 12. §. 3. Suar. *de pœnit. d.* 28. *s.* 4. *n.* 20. & *s.* 6. *n.* 13. Reginal. *ubi ante n.* 190. Filiuc. *l. cit.* Dian. *p.* 1. *tr. de Bulla crucit. resol.* 8. Fagund. *in* 5. *præc. Eccles. c.* 2. *n.* 38. Trull. *in exposit. Bull. cruc. l.* 1. *q.* 7. *c.* 9. *du.* 7. *nu.* 4. *&c.* Item Card. de Lugo *de pœnit. d.* 21. *n.* 8. Gran. Hurtad. Boss. Bonac. &c. apud Mendo *loc. cit. c.* 2. *n.* 33. Quam sententiam etsi Mendo *ibidem* dicat tutiorem, sequitur tamen ipse oppositam; nimirum posse eum, qui semel habuit paro-

parochiale beneficium, sed jam non habet amplius (idem intelligendum dicit de eo, qui habuit, & non habet amplius dignitatem superiorem cum ordinaria jurisdictione) quia dimisit illud (secùs namq; censet de eo *num.* 34. cui ablatum beneficium parochiale ob crimen, dementiam, aut supervenientem imperitiam, vel malos mores; quia tunc approbatio in collatione beneficii præstita aufertur, & privatur talis publico idoneitatis testimonio) absque nova approbatione excipere confessiones, intelligè, quoties ei conceditur alibi jurisdictio. citat pro hac sententia Leand. de S.Sacram. *to.1.de Sacr. tr.5.q.65.* Joan.à Cruce *de pœnit. q.5. dub.8. concl.4.* Villalob. *to.1.tr.27.claus.9.§.1.n.4.* Rodriq. *in Bullam in addit.§.9.n.4.* Basil. legion. &c. Rationem dat *n.* 34. & 35. nimirum, quòd Trid. nihil aliud intendat requirendo approbationẽ, quàm ut quis sit approbatus, vel per approbationẽ Ordinarii, vel per collationem beneficii parochialis; hæc autem approbatio, quæ eadem est cum dicta collatione, non secùs ac hæc jam præexstiterit, eodémq; modo se habeat, sive conservet, sive dimittat beneficium, nec sit, cur hoc publicũ testimonium idoneitatis in collatione beneficii parochialis ab Ecclesia præstitum tollatur, aut sublatum præsumatur, dum à tali sublatum non est beneficiũ ob mutationem factam in moribus, vel idoneitate, sed sponte dimissum. Ad hoc autẽ, quod in contrarium urget Suar. Tridentinũ loqui de præsente, exigens, ut habeat actu beneficium parochiale; standum autem verbis legis, dum ea merè à jure positivo dependent, respondet, sufficienter stari verbis Tridentini, dum per ea solùm intendat, ut nullus audiat confessiones, de cujus idoneitate non constet, aut per approbationem Episcopi, aut per publicum Ecclesiæ testimonium, quod præstatur in collatione beneficii parochialis, & non in ejus retentione, unde illud, sponte dimisso beneficio perseverat. Ac denique *n.* 36. subjungit Mendo, non posse hinc inferri prælatos quoque regulares, qui in ordine ad suos subditos regulares ex ipso munere prælaturæ censentur approbati, post eam relictam vel finitam manere approbatos respectu illorum. Tridentinum siquidem non exegisse approbationem Episcopi, aut beneficium parochiale in his, qui essent audituri confessiones Regularium, nihilq; quo ad Regulares in hoc puncto immutasse, sed reliquisse jus commune antiquũ Religionibus illæsũ, vi cujus exponunt superiores suis subditis confessarios pro suo arbitrio; adeoq; jam stando isti juri, ii, qui prælaturam jam reliquerunt, non possunt audire confessiones ullius Regularis, nisi denuo à superioribus in confessarios designentur. Hoc tamen ex sententia hac Andreæ Mendo sequi videtur, quòd Sacerdos alius sæcularis semel citra omne beneficiũ parochiale vel curatum approbatus pro certo loco, v.g. in ordine ad juvandum parochum, dum dimissa hac cura subsidiaria, possit in eodẽ loco postmodum adhuc audire confessiones consentiente parocho, & sic consentiendo, vel etiã ad hoc invitando dante ei jurisdictionem. Siquidem & præstitum ei semel ab Episcopo idoneitatis testimonium perseverat, nec per talem dimissionem mutatur.

5. Resp. quartò: potest parochus, etsi verè talis non sit ob impedimentum juris merè humani (secùs est, dum procedit à jure divino aut naturali, v.g. dum à parte rei non est verus Sacerdos) dum cõmuni errore pro tali habetur, validè absolvere, uti & alia sacramentaliter ab eo gesta valent. Barb. *de off. paroch. c.27. n.27. & seq.* citans Abb. Innoc. Jo. Andr. Bald. Anchar. &c. *in c. dudum. de elect.* Valer. *de different. inter utrumq; for. v. nullitas. diff.2. n.2.* Nav. *in c. placuit. de pœnit. d.7. n.179.* ubi etiam subdit: quòd si notoriè quis suo titulo & possessione juris privaretur, sed non adeò notoriè, quin possessionem facti retineret, & à superiore toleraretur, gesta ab eo in tali casu in foro conscientiæ valitura. uti etiam dum quis ipso jure privatus est administratione publica, beneficio, officio, valere ejus acta ante criminis declarationem, concurrente communi populi, vel majoris partis errore, docent præter Nav. Azor. *p.1. l.5. c.8. q.2. & p.2. l.7. c.17. q.4.* Sanch. *de matr. d.22. n.56.* apud Barb. *l. cit. n.30.* Requiritur nihilominus ad hoc, ut acta per talem valeant, adeoque ut parochus talis putatitius validè absolvat, præter cõmunem errorẽ titulus à superiore (& quidem legitimo. Barb. *l.ci. c.19. n.8.* ex Sanch. *l.c. n.50.*) collatus, quamvis invalidus ob vitium aliquod latens, ita ut si sine tutulo & auctoritate superioris legitimi se intrusit in officiũ parochi Judicis &c. licet communis error facti accedat, gesta per illum quo ad utrumqum forum pertinentia sint invalida. Barb. *l.ci. c.27. n.33.* citans Sanch *ubi ante n.49.* Suar. *in 3.p.to.4.d 26.s.6.n.7.* Less. *de Just. l.2 c.29. du.8. n.68.* Con. *de Sacram. du.8. d.3. n.22.* Filiuc. *tom.1. tr.7. c.9. n.227.* Fagund. *in præc.2. Eccl. l.7. c.2. n.73.* Regin. Villalob. &c. contra Basil. Pont. *de matr. l.3. c.22. n.46.* & Joan. Sanch. *select. disp. d.44. num.4.* censentes ad hoc, ut gesta in utroque foro valeant, sufficere solum errorem communem.

6. Resp. quintò: potest parochus tempore interdicti (etsi vi *c. non est vobis. de sponsa.* non nisi morientibus & infirmis posset administrare sacramentum pœnitentiæ) jure recentiore, nempe vi *c. alma mater. de sent. excom. in 6.* administrare illud etiam sanis; eò quòd (quæ ratio datur in *c. alma mater*) propter pronitatem & facilitatẽ hominis ad peccandũ sit sumè necessaria pœnitentia; modò tamen recipiens hoc Sacramentum extra mortis periculũ non sit excommunicatus; vel etiã non sit aliquo modo in causa culpabilis, ob quã latum est interdictum: aut non sit specialiter interdictus. Barb. *l.c. n.41.* citans Covar. ad *cit. c. alma mater. p.2. §.3. n.1.* Henriq. *in sum. l.13. c.45. §.1.* Ugol. *de cens. tab.5. c.7. §.7.* Sayr. *de cens. l.5. c.7.* Suar. *to.5. d.33. s.1. n.13. & seq.*

Quæstio 435. Quid possit parochus circa delegationem administrandi Sacramenta?

1. RESP. primò: potest parochus seclusâ Episcopi reservatione dare alteri, etiã simplici sacerdoti licentiã administrandi Sacramenta parochianis suis, excepta pœnitentia. Barb. *cit. c.27. n.37.* testans, sic rescripsisse S. Cong. negotiis Episc. & Regular. præpositam Episcopo Castellanensi Anno 1620. 23. Aug. ubi etiam, quòd Episcopus hoc ipsum prohibere non debeat. Possev. *de off. curati. c.5. n.50.*

2. Secundò: in specie potest parochus alieno sacerdoti etiã citra necessitatem dare comissionem, seu licentiã solenniter baptizandi infantem aliumve suæ parochiæ. *c. interdicimus 16. q.1.* Barb. *de off. paroch. c.18. n.9.* cum communi, etiam Religioso. Barb. *ibid.* Laym. *Th. mor. l.5. tr.2 c.7.* Tamb. *de jure Abb. to.2. d.4. q.1. n.2.* Item ob rationabilem causam (puta si parochus ob baptizandorum multitudinem, infirmitatem gravem, vel excomunicationem Baptismum petentibus, neque per se, neq; per substitutum sacerdotem satisfacere possit) Diacono; cùm Diaconi ordinentur, ut sint ministri sacerdotum, adeoque valdè congruenter committuntur iis

ministeria sacerdotalia, quorum ipsi capaces sunt, Laym. *l. cit. n. 3.* Barb. *l. cit.* Idque etiam extra necessitatem extremam. Laym. *ibid.* Subdiacono tamen alterive Clerico inferiori id committere non potest. Laym. *ibidem.* De cetero Sacerdos alienus multóque magis Diaconus citra necessitatem sine licentia proprii Sacerdotis expressa, aut rationabiliter præsumpta solenniter baptizans peccat mortaliter. Laym. *l. cit. n. 1.* Barb. *l. cit. n. 11.* cùm usurpet sibi jurisdictionem & munus alterius. Et licèt Sacerdos talis sit, cui vi ordinationis suæ competere potest officium ordinarium baptizandi, hoc tamen actu immediatè & proximè illi non competit ab ordinatione, sed ex data ei potestate jurisdictionis ab Ecclesia. Laym. *loc. cit. n. 2.* Non tamen per hoc incurrit irregularitatē aut excommunicationē, cùm hæc pœna nullibi expressa. Barb. *l. c. n. 11.*

3. Tertiò, potest delegare potestatem audiendi confessiones suorum parochianorum alteri Sacerdoti, ut colligitur ex *c. omnis utriusque sexûs.* quatenus ibi præcipitur, ut fideles confiteantur Sacerdoti proprio, id est, ordinario, vel alteri non ordinario de ejus licentia, seu excommissione proprii, ut bene explicat Azor. *p. 2. l. 3. c. 12. q. 10.* Laym. &c. apud Barb. *l. cit. c. 19. n. 24.* Imò hanc potestatem hîc & nunc alteri Sacerdoti facere, & parochiano suo licentiam dare tenetur, quoties præsumere potest, subditum suum habere justam causam confitendi alieno. Ugol. *de off. Ep. c. 15. §. 8. n. 5.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 13. n. 3.* cum communi. Quòd si autem justè petenti hanc licentiam negaret, nec is sine periculo famæ, salutis &c. ei confiteri posset, neque hanc licentiam ab Episcopo petere, vel obtinere posset, probabilior & vera sententia, ut ex Laym. *loc. cit.* inquit Barb. *n. 26.* habet, non posse talem adhuc confiteri alteri sacerdoti (intellige, nisi hîc aliunde, nempe à Papa speciale ad hoc privilegium, ut plures Regulares habent, haberet) aut validè ab eo absolvi; sed, ut inquit D. Thom. *in supplem. q. 8. a. 4. ad 5.* apud eosdem AA. perinde se haberet, ac si copiâ confessarii destitutus esset: hoc ipsum satis indicat textus *c. omnis utriusque sexus. de pœnit. & remiss.* ubi dicitur: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit de justa causa sua peccata confiteri, licentiam prius postulet & obtineat, cùm aliter ipse illum non possit absolvere. &c.* Ita docent Suar. *de pœnit. d. 27. s. 4.* Pet. Nav. *de rest. l. 2. c. 4. num. 269.* Sot. *in 4. d. 18. q. 4. a. 2.* &c. contra Tolet. *l. 3. c. 13.* Nav. *in c. placuit. d. 6. de pœnit. n. 144.* Henriq. *l. 6. c. 13. num. 4.* Palud. &c. quos citat, & quorum sententiam probabilem affirmat Laym. *loc. cit.* sententiæ oppositæ plures rationes vide apud Eundem. Sed neque sufficit, hanc licentiam concedendam à parocho confitendi alteri esse interpretativam aut præsumptam; & hinc non posse subditum confiteri alteri, si v. g. absens fuerit parochus per aliquod tempus non substituto Vicario, vel si parochus moriatur, aut ita repente ægrotat, ut nō possit dare hanc licentiā, docet Barb. *l. c. n. 29.* citans Filiuc. *to. 1. tr. 7. c. 9. n. 242.* Trull. &c.

4. Nequit tamen parochus concedere hanc facultatem alteri audiendi confessiones suorum, dum ipse est excommunicatus vitandus; concedere enim hanc facultatem est actus jurisdictionis, quam excommunicatus non toleratus nec licitè nec validè exercet. Barb. *cit. c. 29. n. 29.* citans Suar. *tom. 5. de cens. d. 11. s. 2. n. 15.* & Squillant. *de privileg. Clericor. p. 3. n. 14.* contra Sylv. & Armill. Item nequit hanc potestatem delegare alteri, nisi hic sit approbatus ab Ordinario, juxta dispositionem Trid. *sess. 23. c. 15.* Gamb. *de casu. reserv. c. 2. n. 20.* Valer. *de diff. inter utrumque for. v. paroch. diff. 4.* Fagund. *in præc. Eccl. l. 7. c. 2. n. 42.* & alii apud Barb. *l. c. n. 27.* cum communi. Item non nisi approbato ab illo Ordinario, in cujus Diœcesi auditurus est confessiones, intellige, dum delegandus non est parochus, juxta sententiā, de qua *quæst. præced.* (juxta quam parochus Diœcesis Monasterienſis non tantùm parocho Diœcesis Colonienſis, sed etiam parocho Diœcesis Leodienſis versanti in Diœcesi Colonienſi delegare potest potestatem absolvendi suum parochianū existentem fortè tunc in Diœcesi Colonienſi, absque eo, quòd parochus hic Leodienſis delegatus egeat approbatione Diœcesani Colon.) sed Sacerdos alius citra beneficium parochiale approbatus; quamvis & talis, dum approbatus est ab Ordinario ejusdem Diœcesis, cujus sunt parochus delegans, ejúsq; subditi ex commissione parochi subditum illius in aliena Diœcesi existentem sine istius Episcopi licentia aut approbatione absolvere posse videatur, saltem ex consuetudine, v. g. dum adjutor pastoris eo impedito processionem parochianorum comitatur, & ducit extra Diœcesin; cùm etiam jurisdictio delegata, seu concessa ab inferiore à Principe rectè exerceri possit extra territorium concedentis, ubi per eam non fit injuria Judici illius territorii, uti contingit, dum ea exercetur sine strepitu & figura Judicii, v. g. in præsente materia absolutionis sacramentalis à peccatis: adeoque, sicut propterea ab Ordinario ipso, sic & ob paritatem rationis ab ejus delegato extra Diœcesin parochianorum confessiones audiri possunt, ut docet Sanch. *de matr. l. 3. d. 29. n. 24.* plúresque ab eo citati apud Garciam *de benef. p. 5. c. 8. nu. 129. & 131.* quamvis hoc ipsum limiter Garc. in oppositum, nimirum modò illi delegati sint approbati in Diœcesi, in qua audiunt hujusmodi confessiones, ita ut non sufficiat approbatio Episcopi alterius, etiamsi hic sit Episcopus pœnitentis aut Confessoris, citato; pro hoc Guttier. *qq. can. l. 1. c. 27.* Zerol. *in pr. pœnit. c. 16. q. 3.* contra plures alios ab eo *ibid.* citatos. vide Suar. *tom. 4. d. 28. s. 6. & 7.* Insuper ut delegatus sit alius parochus, seu habens beneficium parochiale, & curam animarum actu & habitu, sicut habet delegans, & quidem ejusdem Diœcesis cum delegante, requirit Barb. *cit. c. 19. n. 27. & 28.* citans pro hoc Squill. *de privil. Clericor. c. 1. n. 73.* Guttier. *loc. cit. n. 21.* & Garc. *l. cit. n. 132.* quitamen *ibid.* nihil de hoc præter paulò antè ex eo allegata. Denique non potest delegatus à parocho ad audiendas confessiones parochianorum subdelegare. Argumento *l. ult. ff. de off. ejus, cui mandata est jurisdict.* Barb. *l. cit. n. 37.* citans Valer. *diff. 3. num. 6.* nisi solus officium suum explere non posset; tunc enim ex præsumpta voluntate delegantis concessum illi est, ut certum exercitium jurisdictionis alteri generatim committat, etsi nequeat integrum officium Vicariæ suæ, ac proinde nec potestatem subdelegandi alteri committere, nisi id consuetudo permitteret. Barb. *ibidem* citans Sylv. *v. Vicarius, q. 5.* Nav. *in c. placuit. n. 69.* vide dicta de hoc supra, ubi de Vicariis.

5. Tertiò potest parochus (intellige, non excommunicatus. Barbos. *l. cit. c. 20. n. 7. in fine* cum communi) etiam Sacerdoti ab Episcopo non exposito ad Sacramenta administranda dare commissionem & licentiam administrandi parochianis suis, tam in propria parochiali, quàm extra illam Sacramentum Eucharistiæ. Suar. *3. p. d. 72. s. 1. concl. 1.* Bauni *tr. 10. de paroch. q. 22. &c.* apud Barbos. *cit. cap. 19. num. 6.* cum communi quam facultatem eo ipso quoque concedit alteri

ministran-

miniſtrandi parochiano ſuo communionē paſchalem, dum huic dat, uti poteſt, licentiam, ut præceptum annuæ communionis adimpleat, eam recipiendo extra parochialem, v. g. in aliqua regularium Eccleſia. Hier. Garc. *in ſum. mor. tr. 3. diff. 4. dub. 4. n. 43.* Nav. Azor. Regin. Mirand. &c. apud Barb. *l. cit.* Idem eſt, quo ad communionem præbendam viatici loco in mortis articulo. Poteſque id ipſum ob rationabilē cauſam neceſſitatis (quamvis ea hodiedum, dum eſt major ſacerdotum copia, rariùs occurrat) ſi alius Sacerdos idoneus non adeſt, committere Diacono. Laym. *Theol. mor. l. 5. tr. 4. c. 7. num. 2.* citans Suar. Con. Henriq. &c. uti id ipſum ſine tali commiſſione poteſt Diaconus in caſu neceſſitatis communicandi moribundum, ubi non adeſt, vel non poteſt, aut non vult Sacerdos, per licentiam, quam ipſi SS. Canones & præſumpta voluntas Epiſcopi & Papæ in tali caſu dant. Laym. *ibid.* Dum de cætero extra caſum neceſſitatis, quo v. g. moribundus communicandus eſſet, & proprius Sacerdos abeſſet, aut non poſſet, aut nollet eam adminiſtrate Euchariſtiam, non adminiſtrat licitè, niſi Sacerdos paſtor proprius, vel ab eo, aut Epiſcopo vel Papa habens commiſſionem expreſſam aut præſumptam (uti vi privilegii hanc à Papa habent, poſſuntque Regulares quidam non requiſitâ parochorum licentiâ diſtribuere in templis ſuis per ſe, vel per alios ſacerdotes omnibus Chriſti fidelibus communionem liberam, hoc eſt, non paſchalem, aut dari debitam in viaticum moribundis; toto etiam tempore paſchali, ſi fortè ipſam diem Reſurrectionis Domini excipias, pro quo, quantum fieri poteſt, abſtinere debent à parochianis communicandis, ſi parochi non conſentiant; de quo inter alios vide Laym. *loc. cit. c. 7. n. 4.* Barb. *cit. c. 20. n. 8.*) cùm diſpenſatio Sacramentorū, præſertim hujus, quo fideles ſpiritualiter paſcuntur, ſit proprium munus paſtoris, quod proinde nemo alius ſine illius commiſſione uſurpare debet. Ugol. *de off. Ep. c. 15. §. 7. n. 1.* Bonac. *de Sacram. d. 4. q. 5. p. 1. n. 4.* Tamb. *de jure Abb. to. 2. d. 5. q. 1.* Laym. *l. c. n. 3.* & alii apud Barb. *l. c. n. 2.* Ita etiam ut ſi Regulares non parochi dicto modo non privilegiati ſine ſpeciali licentia Epiſcopi aut parochi ipſius ſubditis extra caſum neceſſitatis communionem miniſtrent, incidant ipſo facto in excommunicationem non abſolvendi, niſi à Papa. Clem. I. de privil. Henriq. *in ſum. l. 13. c. 40. §. 4.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 13. q. 5.* Bonac. *l. c. n. 8.* & alii apud Barb. *n. 7.* quæ ſententia excommunicationis extendit ſe adhuc ad miniſtrantes communionē parochianis ex licentia parochi excommunicati juxta Barb. *l. cit. n. 7.* Non tamen ſe extendit ad alios Sacerdotes non regulares. Bon. *l. c. n. 11.* Trull. *in expoſ. Decal. l. 3. c. 5 du. 2. n. 8.* apud Barb. *l. c.* Sed neq; ad Religioſos alteri Religioſo alieno ſine licentia ipſius prælati dantis communionem. Mirand. *to. 1. q. 42. a. 1.* Sanch. *de matr. l. 3. d. 23. n. 17.* apud Barb.

6. Quartò, dare poteſt parochus cuivis Sacerdoti commiſſionem, ſeu facultatē adminiſtrandi parochianis ſuis extremam unctionem. Laym. *l. c. tr. 8. c. 6. n. 2.* Barb. *l. cit. c. 22. n. 2.* De cetero etſi quilibet Sacerdos, uti proprius hujus Sacramenti miniſter validè illud conferat, cùm ejus adminiſtratio intrinſecè non ſit actus jurisdictionis. D. Tho. *in 4. d. 22. q. 2. a. 2.* Laym. *l. c. n. 1.* Barb. *l. c. n. 1.* cum communi juxta Trid. *ſeſſ. 14. c. 3.* licitè tamen & ſine peccato mortali extra caſum neceſſitatis illud non adminiſtrat parochianis, niſi proprius parochus, vel ab eo aut Epiſcopo licentiam habens, Laym. Barb. *l. cit.* Con. *de Sacram. to. 2. d. 19. n. 28.* Tamb. *de jure Abb. l. c.* cum communi, aut ſaltem prudenter ſperans ratihabitionem parochi. Baſſ. *in flor. caſ. v. extrema unctio.* Ludov. à S. Joan. *de adminiſtr. Sacram. a. 5. de extrema unct. n. 22.* & alii apud Barb. *l. c. n. 2.* Ita ut etiam Religioſi (ſecùs eſt de aliis Sacerdotibus ſæcularibus) præterea incurrant excommunicationem Papæ reſervatam, ſi Clericis ſæcularibus aut laicis ſine proprii Sacerdotis licentia illud adminiſtrare præſumant. cit *Clem. 1. de paroch.* Laym. *l. cit.* Barb. citans Riccium *in pr. aurea reſol. 210. verſ. 12.* Comitol. *reſp. mor. l. 1. q. 44.* Mirand. &c. Poſſunt nihilominus Regulares licitè illud miniſtrare toties, quoties opus, non ſolùm Religioſis ejuſdem Ordinis, ſed & converſis, oblatis donatis, Novitiis, ſervitoribus & familiaribus ſuis ſæcularibus (intellige, dum intra eorum Collegia vel Monaſteria habitant; Idemq; de pauperibus in eorum hoſpitalibus degentibus habet Barb. *nu. 4.*) ex privilegio Eugen. IV. conceſſo Minoribus, & ex conceſſione Pii V. vivæ vocis oraculo declarantis, ut gratiæ hujuſmodi non cenſeantur derogatæ & reſtrictæ. Vide Suar. *to. 4. de relig. tr. 10. l. 9. c. 9. ſ. 4. n. 12.* Laym. *cit. tr. 4. c. 7. n. 5.* (ubi & meminit conceſſionis illimitatè & abſolutè factæ presbyteris Societ. JESU à Paul. III. quo ad eorum familiares in eorum Collegiis, Reſidentiis habitantibus) Barb. *l. cit. n. 5.* quamvis is dicat, quo ad Oblatos donatos, ſervitores ſæculares id hodie habere locum tantùm in foro conſcientiæ, ſeu occulto, ita ut ſi parochus aliquod jus circa hujuſmodi perſonas vendicare vellet, & in foro externo id poſtularet, non poſſet ei reſiſti virtute præfati privilegii aut aliorum, niſi quatenus ea per Trid. reſtricta non ſunt; atque ita Religioſos, quamdiu parochus non reſiſtit, poſſe uti in hoc privilegiis ſuis.

7. Quintò, poteſt parochus (etiam non ſacerdos. Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 4.* Sanch. *de matr. l. 2. d. 20. n. 3. &c.*) etiam irregularis, ſuſpenſus, excommunicatus non toleratus, etiam extra caſum neceſſitatis, juxta Sanch. *l. c. d. 21. n. 7.* Dian. *p. 5. tr. 9. reſol. 79. in fine.* Baſil. Pont. *de matr. l. 7. c. 17. n. 14.* Bonac. Hurt. Gutt. &c. apud Barb. *l. cit. c. 21. n. 63.* quin & degradatus juxta Sayr. *de cenſ. l. 5. c. 22. n. 26.* Bonac. quos refert Barb. *nu. 64.* Contrarium ſentientibus Ledeſm. *de matr. q. 45. a. 5. d. 4.* Alterio *de cenſ. to. 1. l. 1. d. 6. c. 6.* Laym. *l. c. &c.* eò quòd licet aſſiſtere matrimonio non ſit actus jurisdictionis, vel adminiſtrationis, cùm etiam ab invito præſtari poſſit; ſed tantùm actus teſtimonii, adeòque id validè poſſit ipſe parochus talis; datio tamen licentiæ, qua quis alioquin non qualificatus reddatur idoneus ad legitimū valorem actûs, videatur eſſe exercitium jurisdictionis, ut Nav. *conſ. 14. de eland. deſp. n. 6.* deputare ſui loco aliū ſacerdotem. Trid. *ſeſſ. 24. c. 1.* etiam non deputatum ab Epiſcopo. Rebell. *de oblig. juſt. p. 2. l. 2. q. 8. n. 5.* Barb. *cit. c. 21. n. 62.* etiam Regularem. Barb. *ibid. n. 1.* Mirand. *in man. prælator. t. 1. q. 48. n. 1. &c.* etiam, ſaltem validè, & in caſu neceſſitatis licitè excommunicatum quoque non toleratum. Laym. *l. c.* Chapeavil. *de modo miniſtrandi ſacram. temp. peſtis. c. 6. q. 3.* Non tamen alium, quàm Sacerdotem. Argumento Trident. *l. cit.* Laym. *n. 4.* Sanch. *loc. cit.* cum communi ad aſſiſtendum matrimonio ſuorum parochianorū, etiam extra parochiam propriam. Barb. *l. cit. n. 65.* citans Con. Regin. Bonac. &c. contra Seguram & Franc. Molin. Sufficit autem ad valore matrimonii hæc facultas data non in ſcripto, ſed verbotenus. Sanch. loc.

l. cit. d. 35. n. 20. Ugol. *de irreg. c. 6. §. 7. n. 3.* Regin. Henriq. Bonac. Sayr. &c. quos citat & sequitur Barb. *n. 70.* Item dolo vel metu extorta, modò dolus & mendacia non versentur circa substantiam, vel causam finalem. Barb. *loc. cit.* Sanch. *d. 39. n. 13.* Con. Regin. &c. Item data contra prohibitionem Episcopi. Barb. *l. c.* citans Pont. *de matrim. l. 5. c. 29. n. 3.* Item, ut Sanch. *l. cit. d. 36.* Hurtad. *de matr. l. 5. diff. 13. n. 44.* Filiuc. Trull. apud Barb. *cit. c. 21. n. 75.* concessa nuncio, ad eam petendam misso (secùs est, ut iidem AA. si concessa à parocho motu proprio, vel ad instantiam alterius non missi à Sacerdote astituro, eò quòd talis licentia habeat rationem privilegii cujusdam, quod effectum sortitur à tempore notitiæ) antequam ea ad notitiam petentis Sacerdotis perveniat; eò quòd satis sit eam cognitam & acceptatam à nuncio. Addit tamen Barb. *ibidem*, se reperisse Declar. S. Congr. sub die 5. Decembr. an. 1626. qua censentur, matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo habente licentiâ à proprio parocho unius ex contrahentibus, & ignorante se illam habere, prout ignorat unus contrahentium, esse invalidum. Item sufficit licentia, seu commissio generalis data administrandi omnia sacramenta à parocho volente facere absentiam, vel infirmo. Barb. *n. 71.* ex Rebell. Bonac. & aliis. referens sic decisum à S. Congr. Idem est, dum à parocho concessa est licentia, ut possit quis omnia intra parochiam ad curam animarum spectantia exercere. Nav. *cons. 27. tit. de spons. in antiq.* Tamb. *de jure Abb. tom. 2. d. 8. q. 2.* Sanch. *cit. l. 3. d. 35. n. 5.* Hurt. Sayr. & alii apud Barb. *n. 72.* quamvis ipsò ex Sanch. *l. cit.* dicat, id procedere, dum parochus absens relinquit substitutum; non verò, dum præsens dat licentiam ministrandi Sacramenta; tunc enim licentiam illam se extendere solùm ad Sacramenta magis necessaria, & vi illius non posse talem assistere matrimoniis. hócque velle ait Filiucium *qq. mor. tom. 1. tr. 20. p. 1. c. 6. n. 218.* Tamb. *l. cit. n. 1.* & sic resolvisse Rotam *decis. 643. n. 1. p. 1. divers.* Non tamen sufficit licentia tacita, sed requiritur expressa Sanc. *cit. l. 3. d. 35. n. 15.* Filiuc. *loc. cit.* Con. *tom. 2. d. 30. dub. 2. n. 31.* Pont. *de imped. matrim. c. 26. §. 6.* Gonz. *ad reg. 8. cancell. gl. 47. n. 52.* aliique plurimi apud Barb. *n. 69.* Et quidem actum copulationis præcedens Barb. *l. cit.* citans Sanch. *nu. 18.* Salzed. &c. Porrò data licentia viget, quamdiu à Parocho concedente non revocatur. Tunc revocata censebitur, quando iis, quibus concessa fuit, per certum nuncium aut literas significata est revocatio. Sanch. *l. cit. d. 36. n. 9.* Con. *l. cit. n. 32.* Barb. *l. cit. n. 73.* resolventes, ut Barb. ait, ante hujusmodi intimationem actu tenere, etiamsi Sacerdos ille aliunde sciret suæ facultatis revocationem. Exspirat verò dicta licentia, si interim parochus moriatur. Barb. *n. 74.* contra Franc. Molin, testans sic resolutum à Rota in Vicentina Matrimon. coram Dunez & Argumento. *l. mandatum. c. mandati. c. gratum & c. relatum. de off. deleg.* Deniq; idem quo ad dandam hanc licentiam assistendi matrimoniis posse parochos delegatos seu constitutos ab Episcopo ad ejus nutum amovibiles; Item vice curatos à parochis proprietariis institutos, tenent Rebell. *in addit. l. 4. n. 67.* Hurt. *de matr. d. 5. diff. 10. n. 34.* Possev. &c. apud Barb. *l. cit. n. 67.* Idque etiam in præsentia parochi proprietarii. Pont. *de matr. l. 5. c. 28. n. 2.* Sanch. *l. cit. d. 31.* Guttier. &c. apud Barb. *l. cit.* contra Sot. & Bartholom. Medin.

Quæstio 436. Quid possit parochus circa delegationem prædicandi in parochia?

Respondeo: etsi solius parochi licentia sufficiens videatur attento jure communi, ut quis ab eo invitatus possit in Ecclesia parochiali concionari ex textu Clem. *dudum de sepult.* vi tamen Trid. *sess. 24. c. 4. & sess. 5. c 5.* prohibitum est parochis in suis Ecclesiis admittere concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi prædicare vellet aliquis Episcopus. Atque ita hodie nullum, etiam à parocho invitatum prædicare posse in ejus Ecclesia sine licentia Episcopi, ex Declar. Clem. 8. resolvit Zipæus *in analytic. juris Eccl. enarrat. l. 3. tit. de paroch. n. 3.* apud Barb. *de off. paroch. p. 1. c. 14. n. 8.* nisi aliàs prædicator parocho notus esset, ad hoc, ut semel iterúmque prædicaret. Ugol. *de off. Ep. c. 42. §. 1. n. 3.* Nav. apud Barb. *l. cit.*

Quæstio 437. Quid possint parochi circa dandam veniam non jejunandi diebus jejunii, & laborandi diebus festis?

1. Resp. ad primum: potest ex justa causa, (sine justa causa námq; nec licitè nec valide in hac lege utpote superioris dispensat parochus. Sanch. *in select disp. 54. n. 38.* nisi ubi prudenter & bonâ fide arbitratus esset causam subsistere; valet enim tunc dispensatio illius, etsi à parte rei causa insufficiens fuisset. Sanch. *l. cit. n. 39.* ob præsumptam in eo casu erroris bonæ fidei voluntatem superioris, in cujus jure dispensat inferior. *l. 1. tr. 4. c. 22. n. 1.* cum communi) & in justo dubio (dum enim necessitas est evidens, opus non est dispensatione) tam ad esum carnium, quàm ad secundam refectionem; dispensare, seu licentiam dare potest parochus parochianis suis, non solùm in oppidis & villis, ubi nec Episcopus, nec ejus Vicarius adest, sed etiam in civitate, vel alibi præsente Episcopo ejúsve Vicario, ubi, & quia ita servat consuetudo legitimè præscripta. Nav. *in man. c. 21. n. 20.* Azor. *instit mor. p. 1. l. 7. c. 29. q. 3.* Fagund. *in præc. 4. Eccl. l. 1. c. 9. n. 2.* Possev. *de off. curati c. 12. n. 22.* Barb. *de off. paroch. p. 1. c. 16. n. 3.* quin & Sanch. *de matr. l. 8. d. 9. n. 27.* & *in Opusc. tr. 2. l. 5. c. 1. n. 18.* absolutè affirmat, posse id parochum præsente Episcopo; quia inquit, ad Episcopum non recurritur in minimis, ut usus habet, & Episcopi sciunt, & non contradicunt. contra Jacob. de Graff. *in aureis decis. p. 1. l. 2. c. 37. n. 17.* Vegam. *in sum. p. 1. c. 14. casu 36.* Sa. *v. jejunium.* apud Barb. *l. c.* id negantes de esu carnium. Porrò dum causa justa est, non potest parochus jejunium in aliud opus commutare, etiam ex parte, renuente illo, qui dispensationem accipit. Joan. Sanch. *loc. cit. n. 40.* Filiuc. *tom. 2. tr. 27. c. 7. n. 129.* apud Barbos. *l. cit.*

2. Resp. ad secundum, posse parochum ex causa legitima, nimirum dum ea est dubia, aut videtur non satis sufficiens; si enim necessitas seu causa excusationis est manifesta & indubitata, opus non est dispensatione, seu petitione licentiæ, licet id interdum securius & decens sit, præsertim si impedimentum diu aut ordinariè est duraturum. Laym. *Theol. mor. l. 4. tr 5. c. 4 n. 2.* Fagund. *in præc. Eccl. l. 1. c. 14. n. 27.* Azor. *p. 2. l. 1. c. 28. q. 6.*) dare licentiam diebus festis laborandi, ubi commodè ad Episcopum ejúsve Vicarium, aliósve ministros illius ad hoc deputatos recurri non potest. Laym. *l. cit.* Barb. *l. c. n. 6.* Possev. *l. c. c. 12. n. 12.* Azor. *l. c.* ubi etiá, quòd licet in dicto casu parochus jure cõcedat facultatẽ, ut quis ad tempus eâ lege solvatur ob justã causam, non possit tamen dare facultatem in perpetuum,

citárque

citâtque pro hoc Cajetan. 2.2. q. 122. a 4. &c. uti & dum commodè accedi potest ad Ordinarium, potestas hæc dandi licentiam hanc non spectat ad parochum, sed ad exercentem jurisdictionem superiorem. Barb. l. c. n. 9. ubi etiam refert rescriptum Congreg. præpos. negot. Episc. & Regular. & aliud S. Cong. Trid. in hæc verba: *Quoniam verendum, ne privatis affectibus domesticarúmq; rerum studio aliqui eo perducantur, ut hac SS. Canonum indulgentia in aliis etiam casibus abutantur, Patres Illustrissimi adjiciunt, ad Ordinarii cujusque judicium ac censuram pertinere, ut dignoscant, an verè ex causis supradictis subsit, propter quam liceat diebus festis rebus servilibus vacare, &c.* Declaravit etiam dict. Cong. præpos. negot. Episc. an. 1597. istiusmodi licentias spectare ad Vicarium quamvis foraneum, & non ad Archipresbyterum. Barb. l. cit. Porrò posse curatum aliquid exigere, non quidem pro licentia danda, sed mutando opus servile laborare volentis in aliquam largitionem piam, resolvit Barb. l. cit. n. 7. ex Azor. l. cit. c. ult. q. 11. & 12. quem vide. item ex Fag. l. cit. n. 27. id admittente, dum causa laborādi die festo est dubia.

Quæstio 438. An possit parochus parochianos cogere ad audiendum missam diebus festivis in parochia?

1. Resp. negativè. Barbos. *de off. paroch. p. 1. c. 11. n. 14.* Hieron. Rodriq. *in comp. qq. regular. resol. 25. n. 5.* Hier. Garc. *in sum. mor. tr. 4. diff. 6. n. 2.* Fagund. *l. cit. l. 2. c. 3. n. 8.* apud Barb. testantes sic decisi à S. Congreg. recitat etiam Barb. Leonis X. constitut. de die 13 Nov. 1517. quâ declarat, satisfacere omnes Christi fideles præcepto audiendi sacrum diebus festis, audiendo illud in Ecclesiis Mendicantium, meminitq; Brevis directi ad Nuncium Apostolicum inferioris Germaniæ An. 1592. 2. Sept. quo idem indulget Clem. VIII. & ne desuper regularibus vel populo Ordinarii præstent impedimentum, censuisse ait, S. Congr. præpos. negot. Episc. 1606. 1. Junii. Atq; ita hodie ex consuetudine in toto pene orbe recepta, & tolerata ab ipsis parochis satisfacere fideles præcepto, audiendo quamcunque missam extra parochiam, etiam in sacello & oratorio privato: quamvis de oratorio privato propriè tali (quòd est locus aliquis in domo vel arce privati hominis ad tempus deputatus cultui divino, non habens ingressum ex platea publica, neque constitutus alicubi à missionariis privilegiatis, ut Tamb. *de sacrif. miss. l. 1. c. 4. Quarti in rub. p. 3. tit. 10. n. 1. s. 3.*) contrarium sentiant Pasqual. *q. 659.* citans plures alios. Dian. *p. 9. tr. 1. resol. 3.* Bass. *v. missa n. 8.* Sporer *Theol. mor. tr. 3. c. 4. n. 24.* eò quòd Pontifices in Bullis, quibus talia oratoria sæcularibus concedunt, addant expressè: volumus autem, ut alii, qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi missam in Ecclesia &c. & sic declaravit S. Congr. contra Per. Marchan. *in Tribun. tom. 2. tr. 4. tit. 2. q. 1. du. 1.* Burchab. *centur. 3. casu. 60.* Henriq. Azor. Castrop. Pellizar. &c. quos refert Pasqual. censentes, etiam in tali oratorio audiendo sacrum satisfieri; eò quòd in re communi novo plus non præcipiatur, quàm auditio sacri, de loco autem nullum sit præceptum; cùm autè jure antiquo fuerit aliqua obligatio audiendi missam in parochia, ut probat Pasqual. pontificiæ istæ Bullæ, utpote in quibus servatur stylus antiquus Curiæ, & datur privilegium juxta antiquas formulas rescribendi; non intendunt derogare per istam restrictionem juri novo, & ita istam restrictionem & verba in alio sensu non accipi, etiam à timoratis testatur March. *l. cit.* Atque ita satisfacere posse huic præcepto audiendi sacrum parochianos audiendo illud ubicunq; voluerint, etiam in majoribus solennitatibus, ait Barb. *l. cit. n. 18.* citans Nav. *in man. c. 21. nu. 5.* Guttier. *l. 1. c. 30. nu. 8.* Suar. *to. 3. in 3. p. d. 18. s. 2.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 6. q. 4. & 8.* Fag. *l. c. n. 8.* Modò tamen parochiani per contemptum proprii parochi non deserant parochialem alibi audiēdo sacrum; in quo casu etsi peccent, & peccare quoq; possint graviter (quod ad sumum vult *c. 2. de paroch.* jubens proinde à parochis ejici alienos parochianos, si ibi ante missam inveniantur, dum in foro externo præsumitur iste contemptus, ut Barb. *l. c. n. 19.* & ut Abb. *in cit. c. 2.* ait: contemptus is præsumitur, dum parochianus absque causa legitima declinat parochialem, cùm sit perquam honestum, ut in præcipuis solemnitatibus in propria parochia parochiani intersint divinis: Azor. tamen *l. cit.* & Guttier. *n. 27.* apud Barb. *n. 18.* dicant, intelligi expressum contemptum cum indignatione & convitiis in proprium parochum) implebunt nihilominus præceptum audiendi sacrum. Fagund. *l. c. n. 9.* Tolet. *in instruct. sacer. l. 6. c. 7. num. 1.* Garc. *cit. diff. 6. n. 4.* Barb. *l. cit.*

2. Sed neq; Episcopum facere posse constitutionem, qua præcipiat subditis, ut non audiant missam, nisi in propriis parochialibus, & excōmunicationem, si fortè sub ea id præcipiat id, esse nullam, dicunt Nav. Suar. *l. c.* Azor. *q. 6.* Guttier. *l. c. n. 14.* apud Barb. *cit. n. 19.* Unde jam non esse regularibus prohibitum, nec prohiberi eis posse ab Ordinariis celebrare missas, & pulsare campanas in suis Ecclesiis ante celebrationē missæ, & pulsationem campanæ in parochiali, censuit S. Cong. 15. Sept. 1629. apud Barb. *l. cit. n. 21.* Item prohiberi nequit celebratio missæ in oratorio rurì ædificato per laicum, antequam celebretur missa in parochiali & matrice Ecclesia. C. de Luc. *de paroch. d. 31. n. 7.* juxta Declar. ejusdē Cong. *in una Cajetan. 18. Sept. 1627. & in una Capuana 31. Maji 1619.* apud Barb. *n. 33.* His tamen non obstantibus; leges utiliter, quas Barbos. ad calcem c. 11. adjicit literas S. Caroli Boromæi de conveniendo ad propriam parochialem.

Quæstio 439. An parochi cogere possint parochianos ad audiendā concionem in parochiali?

Resp. Tametsi parochus invitare & adhortari possit ac debeat, ut diebus festis, saltem majoribus, parochiani in parochia audiant conciones, nullatenus tamen is, aut Episcopus mulctis & pœnis cogere potest ad hoc populum. Suar. *to. 1. de relig. l. 2. c. 16. n. 10.* Trull. *l. 3. c. 1. du. 4. n. 11.* Hieron. Rodriq. *in comp. qq. regul. resol. 122. n. 11.* Zerol. *in pr. Ep. p. 2. v. parochia.* Barb. *de off. paroch. p. 1. c. 14. n. 13.* Idq; etiā ut addit Gallermart. in Declar. ad Trid. *sess. 24. c. 4.* Observatq; hodiedum usus, ut quisq; extra parochiā suam audire valeat concionem, obligationiq; si quæ fuit, audiendi verbū Dei in parochia, derogatum per generalē consuetudinem. Zerol. *in pr. Ep. p. 1. v. prædicatio.* Trull. *l. c. n. 7.* Barb. *l. c. n. 11.* & *de off. Ep. p. 2. alleg. 76. n. 34.* Ad illud verò Trid. *sess. 24. c. 4.* dicentis: *Moneat Episcopus populū diligenter, teneri unumquemq; parochiæ suæ interesse, ubi commodè fieri potest, ad audiendum Verbum Dei*, ait Suar. *in 3. p. d. 88. s. 2.* apud Barb. *n. 14.* obligationem illam, si in rigore sumatur pro obligatione præcepti, non esse absolutā, sed suppositâ commoditate, ut Concil. loquitur, & doctrinæ necessitate, sine qua præceptum

affirmativum non solet obligare, quando lex ipsa tempus non determinat, ait etiam Eman. Rodriq. *qq. reg. tom. 1. q. 43. a. 7.* hoc Tridentini decretum locum habere, dum in Monasteriis, hoc est, Ecclesiis regularium non prædicatur.

Quæstio 440. *An parochi mulctis & pœnis, in casu saltem notabilis negligentiæ & contumaciæ, cogere possint pueros ac rudes ad discendam doctrinam, eorum parentes ad mittendum illos?*

REspondeo: etsi Zerola *v. doctrina Christiana* §. 3. id neget, illúdque Tridentini *sess. 24. c. 4.* etiam per censuras Ecclesiasticas compellant; intelligat saltem de compulsione eorum, quorum interest eam docere; verior tamen sententia est, posse, saltem præsulem censuris compellere subditos, ut doctrinam Christianam discant, & parochos, ut eam doceant. Barb. *de off. paroch p. 1. c 15. n. 6.* citans Castrop. *de fide tr. 4. d. 1. p. 11. n. 3.* Sanch. *in Decal. l. 2. c. 3. n. 15.* Riccium *in decis. Curiæ Neap. p. 4. decis. 300. &c.*

Quæstio 441. *An, & qualiter impedire possint parochi solennitates aut functiones parochiales exerceri per alios in Ecclesia sua parochiali, aut aliis Ecclesiis publicis vel privatis oratoriis?*

1. REspondeo ad primum: quantum spectat ad solennitates, quæ per parochum seu Rectorem Ecclesiæ celebrandæ sunt ad instar earum, qui in Cathedralibus vel Collegiatis dicuntur pontificales seu majores per Episcopum, vel Prælatum, aut primam dignitatem celebrandæ, v. g. solennitates Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, sancti Titularis &c. de jure parochiali hæ celebrandæ spectant ad parochum; neq; laici aut laicorum congregationes se in hoc ingerere possunt, aut debent invito parocho, nisi legitimè præscripta consuetudo vel privilegium, vel legitimè inita cum parocho concordia aliud statuat. C. de Luca *de paroch. d. 30. n. 6.* Quo ad alias verò solennitates concernentes talis, v. g. Congregationis alicujus, vel etiam populi, vel privatorum meram devotionem, quoties agitur de Ecclesia parochiali, vel ejus filiali, seu adjutrice loco parochialis, jus parochi consistere videtur circa celebrationem missæ, alteriúsve functionis, ut ab eo, non autem ab extraneo fieri debeat; reliqua verò tendentia ad majorem cultum & servitium ipsius Ecclesiæ, modò à Romanæ Ecclesiæ ritibus non aberrent, reponi debent in libitu partium; ita ut penes illas sit potestas, v. g. invitandi illuc alios Clericos, conducendi cantores, aliáque faciendi juribus parochialibus non adversantia, etiá in functionibus, quæ fiunt in ipsis parochialibus, vel earũ filiabus. C. de Luc. *l. c. uti d. 31. n. 7.*

2. Respondeo ad secundum: quoad solennitates spectantes majorem Ecclesiæ cultum & incitamentum pietatis ex devotione assumptas, & jus parochiale (quod ferè consentit in jure decimandi, percipiendi oblationes, funerandi & in obligatione recipiendi in paschate à parochianis Eucharistiam viaticum & extremam unctionem, pro ut fusiùs dicetur §. *seq.*) non tangentes, celebrandas in Ecclesiis publicis, vel etiam oratoriis legitimè erectis intra limites parochiæ alicujus, quoties à rituali Ecclesiastico non aberrant (de quo tamen non ad parochum, sed Ordinarium spectat cognoscere) non potest parochus eas impedire, aut eis, partibus invitis, se ingerere. C. de Luc. *l. c. n. 5. & 7.* eò quòd hujusmodi Ecclesiæ & oratoria exstructa intra limites parochiæ (nisi ex lege fundationis, aut legitima consuetudine, seu aliàs id specialiter probetur) salvis juribus parochialibus nullã subjectionem vel dependentiã habent à parochiali. C. de Luc. *l. cit.*

Quæstio 442. *Quid possint, vel non possint parochi, quo ad impediendas varias functiones Regularium?*

1. REsp. primò in genere: functiones parochiales (quales dicuntur, quæ à proprio parocho fiunt, & ad ipsum spectant, & quibus Capellanarũ, seu quorumvis beneficiorũ simplicium Rectores & Capellani se intromittere nequeunt. Barb *de off. paroch. p. 1. c. 12. n. 1.* Ricc. *in pr. fori Eccl. p. 4. resol. 304.* & quales v. g. sunt benedictio fontis baptismalis, Ricc. *l. cit. resol. 308.* Quarant. *in sum. Bullar. v. miss. a in fine.* Barb. *l. cit. n. 2.* celebratio missæ feria 5. in Cœna Domini & Sabbathi sancti. Quar. *l. cit. resol. 209.* Candelarum benedictio in die purificationis, Barb. *n. 4.* Ricc. *resol. 305.* Item benedictio cinerum Ricc. *resol. 307.* Barb. *n. 8.* Quar. *l. cit.* Benedictio palmarum. Ricc. *resol. 307.* Barb. *nu. 9. & 16.* S. Congr. rituum de his omnibus benedictionibus agens, censens q; eas in Ecclesiis parochialibus à curatis peragi debere 5. Martii 1633. apud Barb.) etsi, inquam plures earum functionum in templis quoq; regularium de consuetudine aut privilegio fiant, ut constat, absq; eo, quòd à parochis impediantur, aut impediri possint, ea tamen, quæ jura parochialia sunt, seu à jure parochiali non diversæ, in conventibus aliisq; domibus regularium invito parocho non possunt exerceri cũ parochianis; dum ex privilegiis Apostolicis eorundé jurium exercitium conceditur solùm respectu ipsorum religiosorũ, ac etiam eorum sæcularium, qui intra eadem sepia more eorundé religiosorum sub obedientia superioris ac servitio vivunt. C. de Luc. *de regular. d. 65. n. 8.*

2. Resp. secundò in specie: Regulares ab Episcopo approbati, quò minùs sæcularium parochis subditorum confessiones audiant, à parochis impediri nequeunt, ut patet inter alia ex privilegio concesso Minoribus ab Alexand. IV. quo deinde gavisi Regulares alii, qui cum Minoribus in privilegiis communicant, ubi dicitur: quòd possint audire confessiones assensu parochorum minimè requisito: adeoq; & eas audire possint, ut inde inferant AA. parochis contradicentibus; sed neq; jurisdictio confessariorum regularium dependet à parochis. Tamb. *de jure Abb. tom. 2. d. 6. q. 13. n. 1.* citans Sylv. *v. confessor.* Rodriq. *qq. regul. to. 1. q. 60. a. 1.* Mirand. *in Man. Prælat. to. 1. q. 45. n. 14. concl. 2* Joan. à Cruce *de statu Relig. l. 2. c. 6. du. 1. concl. 53. &c.* Barb. *de off. paroch. c. 19. n. 22.* Fagund. *in præc. Eccl. l. 1. c. 5.* Estque hoc ita verum, ut etiamsi Episcopi in licentiis regularibus concessis dicant, ut iis, parocho renuente, non utantur, possint nihilominus ad huc, parocho renuente audire eas confessiones; cùm Ordinarii summorum Pontificum hac in re concessa eis privilegia tollere aut limitare nequeant AA. iidem *loc. cit.* Sed neq; parochi impedire possunt, quò minùs confessiones audiant in domibus pœnitentium infirmorum, quando ab eis vocantur, modò statim parochum certum faciant de facta sibi ægroti confessione. Barb. *l. cit. n. 23.* referens sic declaratum expresè à S. Congreg. præpos. negot. Episc. & Regul. 2. Jul. 1587.

3. Se-

3 Secundò quò ad munus prædicandi, si parochi ipsi prædicare possint ac velint, non debent nec possunt ab Episcopo in hoc impediri. Barbos. *loc. cit. c.* 14. *nu.* 5. unde sequi videtur, posse parochos impedire, quo minus regulares in Ecclesiis parochialibus loco parochorum prædicaturi illis ab Episcopo submittantur.

4. Tertiò: non possunt parochi impedire regulares, ut in Ecclesiis suis non parochialibus non annuncient populo festa & jejunia. Barb. *loc. cit. c.* 16. *n.* 2. ubi ait, se quidem reperisse, quod S. Cong. præpos. negot. Episc. & regul. rescribens Episco. Burgi S. Domini de die 15. Decemb. anno 1603. censuerit, id regulares per se non posse: verùm postmodum S. Cong. Concil. 2. Jul. 1620. censuisse, non prohiberi regulares in suis Ecclesiis annunciare festa & jejunia, citátque testantem id Peyrin. *in constitut. sui Ordin. Minimor. to.* 2. *const.* 7. *Pii V. n.* 13. & Lezan. *in sum. qq. regular. to.* 1. *c.* 12. *n.* 41. Posse quoque Episcopum ad hoc cogere regulares, nimirum ut ad offertorium missarum conventualium diebus Dominicis in eorum Ecclesiis celebratarum denuncient populo festa & jejunia docet Barbos. *loc. cit. n.* 26. citans Hieron. Rodriq. *in comp. qq. regul. resol.* 25. *num.* 5. Portell & alios.

5. Quartò processiones, quo minus haberi possint aut dirigi à regularibus incedendo extra Ecclesiarum suarum claustra aut ambitum (hoc est propè muros Ecclesiæ, exeundo per januam unam & intrando per aliam vel eandem) per vias publicas seu per parochiam impedire possunt parochi, nisi forte in hoc specialiter privilegium habeant aliqui regulares. Cùm processiones facere per parochiam spectet ad curatos, & sine eorum consensu aut licentiâ illas dirigere nullus, etiam regularis valet. Barbos. *de off. paroch. c.* 12. *n.* 13. testatus, sic censuisse & rescripsisse Congregationem rituum *in una Hispal.* 26. *febr. Anno* 1628. cujus tenorem *ibidem* recitat. Quinimò etiam in propriis regularium Ecclesiis seu septis haberi processiones, quandoque parochi aliive clerici sæculares impedire prætendunt ratione aversionis concursûs populi, quia nempe eadem functio vel solennitas celebratur in Ecclesia parochiali vel alia sæculari; super quo, ut ait C. de Luca *de regular. d.* 1. *n.* 64. certa regula dari non potest, cùm totum pendeat à consuetudine, vel à privilegiis, vel à populorum & locorum qualitate, aliisque circumstantiis facti.

Quæstio 443. *An parochi impedire possint fundationem & ædificationem Monasterii, Collegii seu Conventûs regularium sub prætextu, quòd incorporentur in eo domus parochiæ, & vel sic priventur emolumentis, quæ à dictarum domuum incolis percipiebant?*

REspondeo negativè. Card. de Luc. *de regul. d.* 33. *n.* 8. & 9. Sed neque tenentur in hoc casu regulares recompensare parochis emolumenta ista, quæ aliàs parochi ab istarum domuum incolis habituri fuissent, uti nec tenentur Judæi pro domibus, quas inhabitant, resarcire parocho damna & interesse ob emolumenta, quæ aliàs perciperet à parochianis Christianis, easdem domus inhabitantibus C. de Luc. *de paroch. d.* 29. *n.* 3. citans Ricciull. *de jure personar. extra gremium Eccl. exist. l.* 2. *c.* 9. utrumque ad literam decisum inquiens per tex. *c. penult. de excess. prælator.* uti & *ibid. n.* 10. *in fine* inquit, totius orbis Christiani praxin & observantiam esse, quòd religiosi ob novas constructiones & ampliationes ad talem recompensationem parocho faciendam non teneantur. Cùm enim non teneantur religiosi pro domibus, quas inhabitant, vel etiam pro prædiis, quamvis aliàs decimabilibus, quæ acquirunt, pro construenda Ecclesia vel conventu, seu pro hortis deservientibus ad usum eorundem solvere decimas, uti Abb. aliique DD communiter & Rebuff. *de decimis. q.* 14. apud C. de Luca *l. ult. cit. num.* 7. multò minus tenebuntur ratione emolumentorum subrogatorum loco decimarum personalium, quæ exigi solent ob solam administrationem Sacramentorum aliorúmque divinorum; præsertim, cùm quo ad ista emolumenta nullum præjudicium causetur parocho, dum per hoc populus non cessat, sed ad summum ad alias parochias commigret: parochi autem attendi debeant tanquam universitas, cui in genere nullum per hoc causatur præjudicium; & quo ad singulos quilibet ita se habeat ad commodum & incommodum. Quia sicut casus tulit, ut in ista parochia hujus constructio vel ampliatio conventûs facta, unde pars populi ad aliam parochiam recesserit, ita è contra in casu constructionis domorum regularium in aliis parochiis, hæc augmentum accipit, aut accipere potest. C. de Luc. *loc. cit n.* 7. & 8. Neque dictis contraria sunt Rotæ *decis.* 289. & 309. *p.* 12. *recent.* quæ sunt super præjudicio, quod parocho resultare dicitur ex novorum conventuum vel domuum regularium fundationibus; unde propterea receptum sit, ejus consensum requiri, & habere illum jus se opponendi. Nam præjudicium illud, cùm non consideretur in ordine ad domos materiales, aliàs per sæculares inhabitari solitas, dum, ut dictum, populus non evanescit, neque imminuitur, sed consideratur in ordine ad ministrationem Sacramentorum, electionem sepulturæ, anniversária, diminutionem concursûs populi ad Ecclesiam parochialem, hinc erectiones istæ novarum domuum regularium, reluctantibus religiosis aliis, aliarúmve Ecclesiarum rectoribus fieri nequeunt ad certas cannas, non tamen vetantur erigi domus regulares absque Ecclesia habente januam ad publicum, adeò ut non detur aditus populi ad Sacramenta aliaque divina recipienda & eligendam sepulturam C. de Luc. *loc. cit. n.* 10.

Quæstio 444. *An parochi seu plebani possint in suos parochianos ferre censuram?*

REspondeo negativè, spectato nimirum jure communi, seu secluso speciali privilegio aut præscriptione. Laym. *ad c. cum ab Ecclesiarum. de off. Jud. ordinar. n.* 4. citans Abb. *ad c.* 2. *tit. eod. n.* 10. contra Gl. magnam *in cit. c. cum ab Ecclesiar.* & Jo. And. & Imol. *ibid.* Et sic constat ex praxi Ecclesiarum. Et ferre censuram spectat ad jurisdictionem fori externi, uti apertè colligitur ex *cit. c. cum ab Eccl.* & *c. quærenti. de verb. signif.* & *c.* 1. *de sent. excom. in* 6. parochi autem spectato jure communi jurisdictionem in foro externo non exercent, sed tantùm in pœnitentiali, argumento. *c. de persona.* 38. *caus.* 11. *q.* 1. *juncta gl. V. non ab alio.* Laym. *loc cit.* Sed neque obstat textus *cit. c. cum ab Eccl.* cùm plebanus iste, de quo ibi, non erat simplex parochus seu curatus, dum inter prælatos nu-

meratur, ideoque in externo foro jurisdictionem ordinariam ac perpetuam erga parochianos habuerit Ecclesiæ suæ speciali jure annexam, vel capituli electione sibi acquisitam. Laym. *loc. cit.* citans Innoc. *in c. quanto. de off. Jud. ordinar. n. 2.*

Quæstio 445. *An, & quid agere possit parochus pro Ecclesia sibi subjecta?*

1. REspondeo primò: potest agere seu instituere actionem pro juribus ac possessione Ecclesiæ suæ. Laym *ad c. cum ex literis. de off. Jud. ordinar. n. 1.*

2. Respondeo secundò: potest Rector seu parochus, etiam sine superioris auctoritate pacisci in favorem & commodum Ecclesiæ suæ. Argumento *c. pactum. de pactis.* Laym. *ad hoc c. n. 2.* Anchar. Jo. And. *ibidem.* Ecclesia enim fruitur jure minorum. *c. auditis. de in integ. restitut.* Unde licet administratores & rectores illius obesse ei non possint alienando absque superioris auctoritate, ut constat ex *c. Abbatibus* 12. *q. 1.* & docent AA. nominatim Abb. *in c. 1. de his quæ fiunt à præl. num. 5.* possunt tamen Rectores Ecclesiæ suis prodesse acquirendo v. g. donationes & debitorum remissiones acceptando. Laym. *loc. cit.* & *th. mor. l. 3. tr. 4. c. 1. coroll. 2.*

Quæstio 446. *An, & qualiter parochi bona Ecclesiæ suæ custodire, alienare aut elocare debeant ac possint?*

1. REspondeo primò: ad conservanda bona spectantia ad Ecclesias parochiales rerum & bonorum Ecclesiæ suæ eorúmque redituum inventarium conficere debent parochi, ejusque copiam Ordinario tradere, sic enim facilius bona Ecclesiastica ab usurpatoribus defenduntur, & successoribus, quos plerumque Ecclesiarum, de quibus provisi sunt, bona & jura ignorare contingit, consulitur. Idem est de mobilibus; nam & ista, quæ vel sacra, vel ad usum Ecclesiæ destinata, vel ad usum domûs Ecclesiæ à prædecessoribus acquisita, atque à præsente Rectore adepti beneficii tempore in Ecclesia inventa sunt, in inventarium redigenda sunt. Ita monet, & jussit curatis suis S. Carol. Boromæus, ut habetur *in 4. p. Actorum Mediolan.* apud Barbos. *de off. paroch. c. 13. n. 38.* Hujus quoque inventarii traditi in Archivio Episcopali exemplum ab eodem parocho in libro proprio Ecclesiæ manu sua subscriptum conservari debere, jubet Pius V. in constitut. sua apud Barbos. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: parochus nullatenus distrahere potest alióve transferre istiusmodi bona aut res ad Ecclesiam pertinentes sine obtenta ab Ordinario licentia, quam ille non aliter concedere debebit, quàm si alias res meliores, aut saltem æquales, in locum amovendarum parochus ipsa substituat; nisi fortè justa aliqua necessitas, nulla parochi culpâ contracta, secùs suadeat, quod Episcopi prudentiæ statuendum relinquitur. Ita ferè ad verbum Pius V. in constitut. sua apud Barbos. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: sub excommunicatione aliisque pœnis gravissimis prohibitum esse Ecclesiasticis, adeóque & parochis bona Ecclesiæ immobilia, sine Apostolica auctoritate ullo pacto ultra triennium locare, aut alia ratione alienare. *Extrav. ambitiosæ. de reb. Eccl. non alienand.* Barbos. *de off. paroch. c. 13. n. 40. & in collectan. ad cit. Extrav.* ubi etiam habet, quòd comprehendantur fructus & reditus rerum Ecclesiasticarum, & quòd earum elocatio ultra triennium sit invalida. Quodque nomine alienationis ibi intelligatur omnis actus, quo dominium rei directum, vel utile, aut ususfructus, aut jus in alterum transfertur vel abdicatur; ac proinde non solùm veniat venditio, aut alius contractus gratuitus vel onerosus, quo rei dominium in alterum transfertur, sed etiam hypotheca, infeudatio, Emphyteusis: non autem repudiatio seu remissio legati vel hæreditatis ac rei Ecclesiæ non incorporatæ. Tenentque hæc adeò, ut etiam alienationes factæ cum clausula: *reservato sedis Apostolicæ beneplacito*, irritæ & invalidæ sint, si ante obtentam confirmationem possessio rei Ecclesiasticæ alteri tradita fuerit. Quin etiam Rectores ipsi & possessores tanquam intrusi ad constitutas pœnas teneantur. Barbos. *de paroch. loc. cit. n 41.* Ita tamen ut excusandi sint Rectores, si pœnitentiâ alióve titulo ducti alienationem revocaverint ante realem & pacificam possessionem. Barbos. *loc. cit.* citans *Covar. l. 2. var. c. 16. n. 7.* Nav. *conf. 8. de reb. Eccl. non alien.* Filiuc. *qq. mor. tr. 14. nu. 119. & tr. 44. c. 6. q. 5.*

4. Respondeo quartò: præterea parochos cavere debere à locationibus bonorum parochiæ suæ cum anticipatis solutionibus, uti idipsum prohibet Trid. *sess. 24. c. 11.* his verbis: *magnam Ecclesiæ perniciem afferre solet, cùm earum bona repræsentata pecunia in successorum præjudicium aliis locantur; omnes igitur hæ locationes si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium successorum validæ intelligantur, quocunque indulto ac privilegio non obstante, nec hujusmodi locationes in Romana curia vel extra eam confirmentur &c.* Barbos. *de paroch. loc. cit. n. 39.* citans Piacef. *in pr. p. 2. c. 4. n. 65.* Zerol. *in pr. p. 1. v. alienatio. §. 6.* Ricc. *in pr. p. 4. resol. 366.* Rebeil. *de oblig. Just. p. 2. l. 14. q. 5. n. 4.*

5. Respondeo quintò: in rerum tamen tenuiorum, licet immobilium alienatione non requiri auctoritatem Apostolicam, nec aliàs desiderari solennitates aliàs in rerum Ecclesiasticarum alienatione intervenire solitas, sed solùm, ut causa cognita, & evidente Ecclesiæ utilitate Ordinarius auctoritate suâ eam approbet. Ita ferè Barbos. *loc. cit. n. 42.* citans Riccium *in pr. aurea resol. 283.* Franc. Leon. *in thes. fori Eccles. p. 1. c. 15. n. 6.* Piacef. *loc. cit. c. 5. n. 32.* Ugol. *de pot. Ep. c. 14. §. 7. num. 4.* Bonac. *var. tract. tit. de alien. rer. Eccl. d. 2. q. unica. p. 4. num. 3. &c.*

Quæstio 447. *Circa jurisdictionem parochi, qualis ea sit respectivè ad loca exempta v. g. Monasteria, Hospitalia sita intra fines parochiæ. Item comparativè ad jurisdictionem Capituli cathedralis?*

1. REspondeo ad primum: primò Ecclesiæ intra limites alicujus parochiæ fundatæ, non dicuntur ipsius parochiæ subditæ, neque ab ea aliquam dependentiam habent, nisi ex lege fundationis, aut legitima consuetudine, seu aliàs id specialiter probet, cùm id soli cathedrali competat. Rota *decis. 552. p. 5. recent. n. 11.* apud Card. de Luc. *de paroch. d. 31. n 6.*

2. Secundò parochum habere territorium limitatum intra suos fines, ac etiam intra illos respectu eorum, qui subjacent ejus curæ & jurisdictioni. Ac consequenter, dum ingreditur Ecclesiam exemptam intra dictos fines sitam, dicitur esse extra territorium proprium, & in loco, in quo nullam habet

habet jurisdictionem, nullúmque jus præeminentiale vel reverentiale. Card. de Luc. *de regul. d. 65. n. 7.* Est enim istiusmodi Ecclesia seu Conventus regularium aut Hospitale situm intra limites parochiæ non solùm exceptum à parochorum jurisdictione, habens loco parochi illum, qui ad administranda ibidem Sacramenta infirmis vel etiam sanis addictis servitio talis Ecclesiæ seu conventûs regularis sub obedientia istius superioris degentibus intra septa eorundem religiosorum deputatus: sed & intra ambitum suum dicitur habere territorium separatum, constituéque quo ad ibi viventes quandam speciem parochiæ diversæ ac stantis de per se. C. de Luc. *de paroch. d. 23. n. 3. & 13.* qui tamen *ibid. n. 16. & seq.* ait, quòd etsi hospitale tale sapere videatur quandam speciem parochiæ, dici tamen jus parochiale improprium, & cum quadam jurisdictione in personas sine territorio, juxta illam impropriam territorii separationem, quæ ad hunc effectum consideratur in monasteriis ac conventibus regularium, quorum territorium dicitur consistere intra ipsum recinctum & sepra illius, quæ non egreditur. Card. *in clem. 1. de statu Monach.* dum interim ad essentiam veræ ac propriæ parochiæ requiritur territorium, in quo vivit populus constitutus ex aliquo congruo numero familiarum. Sed &, ut Card. de Luca. *loc. cit. n. 19.* jurisdictio seu jus illud parochiale Rectoris hospitalis seu sacerdotis ibi deputati extendit se tantùm ad ea, quæ infirmis viventibus vel morientibus in hospitali congrua sunt, puta ad ministranda Sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, extremæ unctionis, nec non tumulationem (utpote in quibus militat ratio, ob quam à sede Apostolica meritò concessa sunt ferè omnibus, præcipue magnarum Urbium Hospitalibus ejusmodi privilegia, nempe ratio impractica-bilitatis & confusionis inde resultantis, si ad ministranda dicta Sacramenta frequenter, & sæpe ex improviso, & quacunque horâ etiam noctis, pro singulis infirmis diversarum parochiarum distantium advocare oporteret proprios parochos) non autem circa Sacramentum matrimonii, cum ad hunc effectum major jurisdictio seu juris parochialis formalitas requisita videatur. Quinimò in istis monasteriorum seu conventuum ac hospitalium Ecclesiis adesse dicitur jurisdictio Ordinarii vel parochi in concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum, non quidem in ratione ipsius loci materialis, aut personarum ibi viventium; sed ratione cleri vel populi subditi Ordinario, vel respectivè parocho ad talem Ecclesiam confluentis. Card. de Luca. *cit. d. 23. n. 14.* in quantùm nimirum in iis invito parocho exerceri nequeunt jura parochialia cum parochianis (dum ex privilegiis Apostolicis eorundem jurium exercitium conceditur solùm respectu illorum sæcularium, qui intra eadem septa regularium sub obedientia superioris & servitio vivunt) proveniente hoc ipso principaliter ratione personarum subditarum potiùs, quàm ratione loci Ecclesiæ, sive ex eo, quòd exerceri non possit jurisdictio cum non subdito vel ovibus alienis. C. de Luca. *cit. d. 65. n. 8.* Non tamen adesse dicitur in iis jurisdictio parochi in concernentibus officium gerendum super funere defuncti eligentis vel habentis sepulturam in Ecclesiis regularium, cùm hæc sit functio principaliter ecclesiastica ratione loci. C. de Luc. *loc. cit. n. 9.* unde etiamsi parochus in domo defuncti ac via deferat stolam, diguioremque locum occupando, omnes alias peragat functiones, eo ipso tamen, quo cadaver ingreditur Ecclesiam regularium, parochus dimittit stolam suumque officium, illudque in omnibus reassumit prælatus regularis, vel alter ab eo deputatus juxta declarationem Congregat. rituum apud C. de Luca. *loc. cit. num. 2. & 5.*

3. Respondeo ad secundum: longè aliter dicendum quo ad hoc de Capitulo cathedrali; hoc enim cum constituat idem corpus cathedrat:cum cum Episcopo, cui ante hac & attentâ primâ origine omnes, etiam regulares, ad instar reliqui cleri ac populi erant subditi; à cujus proindè jurisdictione modò non nisi per accidens & privilegialiter regulares quidam eximuntur, in omnibus locis & Ecclesiis intra universam diœcesin, etiam exemptis habet jus reverentiale & præeminentiale ratione dictæ pristinæ, & de præsente adhuc habitualis superioritatis, quin & in pluribus casibus jurisdictionem actualem, tam sede plenâ quàm ea vacante vel impeditâ; exemptio liquidem ista accidentalis & privilegiata per hoc, quòd talis Ecclesia dicitur in proprio territorio, etsi tollat seu impediat jurisdictionalia, & ipsius juris territorialis exercitium, non tamen tollit aut impedit præeminentia seu dictum jus reverentiale. Card. de Luca. *de regular. d. 64. n. 15. & 65. n. 10.* Unde jam dum Canonici Cathedrales Capitulariter, seu ut repræsentantes capitulum (secùs est de Canonicis aliquibus tantùm, vel etiam dignitatibus jure privato intervenientibus) non pro sola honorifica associatione, sed in forma jurisdictionali funus peragendo, interveniunt, v. g. in funere verè capitulari, puta Episcopi principis, alteriusve magni Magistratus, aut alius casibus, dum prima dignitas vel dignior Canonicus, aut Canonicus hebdomadarius, ad quem juxta stylum Capituli id pertinet, incedit cum pluviali, non solùm in Ecclesia parochiali (in quâ de cetero proprius parochus præcedit etiam primas dignitates) sed & exempta regulari, ingressum præeminentialem cum cruce sua erecta habet, eique quo ad peragendum officium in funere prælatus regularis ejusdem Ecclesiæ regularis cedere debet juxta Card. de Luca. *cit. d. 65. n. 11. & 12.* qui etiam *cit. d. 64. n. 19.* ait, intellectum suum non posse acquiescere sententiæ Congregationis rituum, nimirum quòd Capitulo Cathedrali solenniter & capitulariter interveniente in exequiis vel funeribus, jus peragendi officium in Ecclesia regulari spectare debeat ad prælatum regularem. Item juxta eundem Card. de Luc. *cit. d. 64. n. 16. & seq.* dum Capitulum sede vacante, vel impedita, vel etiam Episcopo absente aut impedito solenniter intervenit prælatus regularis aut etiam sæcularis exemptus, cui de cetero ex Apostolicis indultis concessum in propria Ecclesia Pontificaliter celebrare, prætendere nequeat: modò hic interventus non sit affectatus & insolitus, habens quandam speciem animositatis v. g. si præter solitum vellet intervenire in illis functionibus, quæ ab iis regularibus eorumve prælato fieri solent, ut exercitium istiusmodi præeminentiarum iis concessum impediat (hoc modo namque interveniente etiam Episcopo haberi potest recursus ad S. Congregat. quæ inhibeat Episcopo, ne se ingerat abstinendo ab interventu) sed ex consuetudine, vel ad invitationem, præsertim civitatis vel populi, qui solennitatem illam celebrent. Rationem dat, quòd cum corpus Ecclesiæ Cathedralis efformetur ab

Episco-

Episcopo tanquam capite, & à Capitulo tanquam reliquo corpore, sublato vel impedito capite lex fingat id, quod non facit natura, ut scilicet reliquum corpus, etiam sine capite, ex quodam jure accrescendi, vel non decrescendi, exceptis iis, quæ sunt Ordinis Pontificalis omnes alias faciat operationes, ipsumque corpus repræsentet.

Quæstio 448. *Quæ, & respectu quorum sit præcedentia parochi?*

1. REspondeo primò: parochus in propria Ecclesia præcedit omnes, etiam in majore dignitate Ecclesiastica constitutos. C. de Luca *de regular. d. 65. n.* 11. & *d.* 16. *n.* 3. Barbos. *de off. paroch. c.* 9. *n.* 3. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 6. *n.* 6. Zipæ. *in analitica juris Eccles. enarrat. l.* 1. *tit. de majorit. & obed. n.* 8. Cassan. *in catalog. gloriæ mundi. p.* 4. *consid.* 22. *n.* 81. quilibet enim in officio proprio præfertur omnibus aliis, licet extra illud iisdem aliis postponeretur. Unde etiam Rector Ecclesiæ parochialis tanquam caput Ecclesiæ thurificandus est ante Dominum loci. S. Cong. rituum *in Turritana* 7. *Aug.* 1610. apud Barbos. *loc. cit.* Et in specie etiam Canonicos cathedrales, nimirum ubi interveniunt jure privato & singulariter. Non tamen præcedit Canonicos cathedrales, ubi illi Capitulariter, seu ipsum corpus cathedralis Capituli repræsentantes interveniunt in parochialibus Ecclesiis. C. de Luc. *ll. cit.* Multò magis extra parochialem Ecclesiam v. g. in processionibus & funeralibus parochus non solùm Archidiacono & Archipresbytero, sed & ceteris Canonicis cathedralibus capitulariter incedentibus, seu Capitulo & clero Ecclesiæ cathedralis digniorem locum relinquere debet, licet ad parochum Ecclesiæ, in qua defunctus sepeliendus, spectet facere officium. Quin & parochus defuncti, vel Ecclesiæ, ad quam defuncti corpus defertur, digniorem locum obtinere debeat, & præcedere alios quoscunque presbyteros. Barbos. *loc. cit. n.* 6. & 7. testans, sic declarasse S. Cong. rituum, quam declarationem verbotenus recitat, & ostensam sibi esse authenticam ait.

2. Secundò parochum, etiam in associandis funeribus propriæ ipsius parochiæ, & in genere Rectores omnes curatos, plebanos ac presbyteros parochialium in publicis processionibus, functionibus etiam synodalibus, digniorem locum cedere debere Canonicis, etiã collegiatarum Ecclesiarum censuit S. Cong. rituum variis declarat. apud Barbos. *loc. cit. n.* 9. quas decisiones juri consonas ait *num.* 10. non secùs ac capitula tam collegiatarum quàm cathedralium Ecclesiarum semper & ubique præcedere debent Ecclesiis inferioribus, etiamsi dictæ Ecclesiæ capitulares post parochiales erectæ sint, & etiamsi in earum erectione inserta esset clausula: *sine præjudicio alicujus*. Barbos. *cit. n.* 10. citans Seraph. *decis.* 1445. *in una Ilerdensi præeminent.* 26. *Jan.* 1602. Unde etiam eo ipso, quòd parochialis erigatur in collegiatam, præcedit alias parochiales. Corrad. *in pr. benef. l.* 2. *c.* 14. *nu.* 67. C. de Luc. *de paroch. d.* 36. *n.* 7. Quin & Ecclesia filialis, quæ priùs præcedebatur à matrice, si erigatur in collegiatam, præcedit ipsam matricem; quia nimirum mutato statu mutatur jus antiquum. Rota *decis.* 313. *n.* 6. *p.* 2. *recentiss.* apud Barbos. *loc. cit.* Neque his obstant aliæ declarationes S. Cong. rituum, quas quoque refert Barbos. *n.* 8. & quibus concordare videtur rituale Romanum *tit. de Exequiis*, ubi, quod parochus in omnibus funeribus præcedit, incedendo ante feretrum. Vel enim volunt, quòd parochus ratione officii debeat præcedere inter pares, non autem quando est inter majores, aut prærogativam habentes, qualis sunt Canonici collegiatarum. Vel de præcedentia quando famus defertur ad Ecclesiam ejus, qui stolam defert (quamvis ratio præcisè stolæ non habeat præcedentiam, cùm hæc non de jurisdictionem vel prærogativam, sed tantùm sit signum sacerdotale) seu dum ab eo fit officium in sua Ecclesia, in qua præcedentiam habet.

3. Tertiò præcedentia inter ipsosmet parochos seu curatos Ecclesiarum parochialium, sive sint sæculares sive regulares, datur secundùm prærogativam ipsarum Ecclesiarum, & non secundùm prærogativam regulæ. Barbos. *cit. c.* 19. *num.* 12. Ita tamen, ut parochus ad cujus Ecclesiam defunctus sepeliendus defertur, præcedat parochum alterum, ad cujus parochiam spectabat defunctus juxta praxin Romæ servari solitam. Barbos. *n.* 13. vel etiam ut ambo isti parochi, etiam, dum alteruter est regularis induti superpellicio & stolâ pares ingrediantur juxta dispositionem Ecclesiæ Mediolanens. *p.* 2. *actorum. tit. de funere duc.*

4. Quartò parochi Rectores & clerici sæculares præcedere debent regulares tam Monachos, quàm fratres quorumcunque ordinum, etiam mendicantium in funerum associatione, processionibus, & aliis istiusmodi actibus publicis, nec debent Monachi aut fratres cum parochis vel Clericis mixtim incedere, etsi contrarium quandoque fiat ex sæcularium indulgentiâ aut humanitate. Barb. *num.* 14. juxta declarat. Clem. VIII. *decet Romanum Pontificem.* 20. *Febr.* 1601.

PARAGRAPHVS II.

De juribus parochialibus, & in specie de jure funerandi.

Quæstio 449. *In quibus consistat jus parochiale in genere, qualem assistentiam juris habeat, qualiter immutetur, vel etiam amittatur?*

1. REspondeo ad primum: Jus parochiale consistit in pluribus: nimirum in obligatione parochianorum recipiendi in Ecclesia parochiali Sacramentum Eucharistiæ in paschate, aliàque Sacramenta conferenda moribundis, puta Eucharistiam pro viatico, & extremam Unctionem: in jure funerandi & sepulturæ, in jure percipiendi oblationes & decimandi. de Luca *de par. d.* 31. *n.* 8.

2. Respondeo ad secundùm: super jure parochiali percipiendo assistentiam juris habent parochi intra parochiarum suarum limites. Abb. *in c. dilecti. de offic. Ord. n.* 4. Rota *decis.* 256. *num.* 1. *p.* 1. *recent.* apud Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 20. *n.* 41. Proindéque ex sola juris assistentiâ, nullâ etiam concurrente possessionis probatione manutenentia iis esset concedenda. Rota *in Taurian. decimarum ult. April.* 1604. *coram Seraph. inter ejus impressas* 1497. apud Barb. *loc. cit.* quoniam hæc juris assistentia in judicio retinendæ summarissimo sola sufficeret, si versaremur in jurisdictionalibus; in quibus terminis loquuntur decisiones Rotæ 273. *n.* 1. 382. *num.* 1. 501. *n.*

501. *n.* 1 *p.* 2. *recent.* sed in aliis causis non jurisdictionalibus nunquam Rota consuevit ex sola juris assistentia manutenentiam impertiri ; ut constat ex pluribus ejusdem decision. apud Barb. *loc. cit. n.* 42.

3. Respondeo ad tertium: jus parochi non immutatur seu deperditur per causativam seu accidentalem mutationem domicilii absque animo deserendi primum, & acquirendi secundum; uti nec facit cessare jurisdictionem proprii parochi; neque eam inducit in eo, intra cujus parochiæ limites hujusmodi accidentale seu causativũ domicilium habetur. C. Luca *de paroch. d.* 23. *n.* 9. Barb. *de paroch. c.* 25. *n.* 26. juxta *c. de iis. de sepult. in* 6. testatur etiam *ibid.* Barb. stante in Urbe statuto Cleri sic expresse statuente, saltem bimestrẽ habitationem requiri in nova parochia, ut jus parochiale acquiratur. De cetero præscindendo à simili statuto, quamvis parochialitas & jus parochiale non acquiratur ex sola seu simplice habitatione, hoc est, absque animo aliquo modo declarato perpetuò ibi habitandi (cùm vel sic semper præsumatur habitatio ad tempus, & cum animo redeundi ad pristinum domicilium, in quo conservatur jus parochiæ. Abb. *in c. in nostrã. de sepult.* Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 23. *n.* 1.) ubi tamen quis animum hujusmodi declaravit, statim efficitur parochianus parochiæ hujus habitationis, non exspectato, quòd ibi habitet pro majore, vel etiam pro aliquâ certâ anni parte. Lott. *l.* 1. *q.* 20. *n.* 43. *& seq.* citans Cardin. *in Clem.* 1. *de privil. n.* 8. Guttier. *de matrim. c.* 63. *n.* 13. Sanch. *ubi ante n.* 14.

4. Respondeo ad quartum: Ecclesia parochialis habitu tantùm talis, non amittit sua jura & privilegia; unde etsi cesset exercitium parochialitatis, non tamen cessant ejus jura, sed semper conservantur cum illius pristino statu, licet Ecclesia facta jam sit beneficium simplex; unde hodiedum in nonnullis beneficiis simplicibus, quæ antè fuerunt Ecclesiæ parochiales, eorum Rectores habent jus decimandi. Vide Corrad. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 13. & Lott. *l.* 1. *q.* 20. *n.* 157.

Quæstio 450. *Ad quem spectent ea jura parochiæ, & respectu quorum dentur?*

1. REspondeo ad primum primò: ubi parochia annexa est Capitulo seu alteri corpori universali, vel etiam dignitati, de jure communi (nil enim vetat ex speciali conventione Rectorem inter & Vicarium ei assignare certam aliquam jurium seu emolumentorum partem, quæ conventio etiam servanda, etsi tractu temporis unius alteriúsve partis evadat læsiva seu præjudicialis, quoties læsio non reducitur ad iniquitatem. C. Luca *de par. d.* 11. & dictum suprà) omnia jura & emolumenta parochialia spectant ad eum, cui cura habitualis competit, cùm ille verè dicatur parochus seu Rector, Vicarius autem seu alio nomine nuncupatus ad solam curam actualem, seu ejus exercitium deputatus, jure operarii censendus, contentus esse debet congruâ, tanquam salario seu mercede operis. C. Luca *de paroch. d.* 22. *num.* 7. juxta plures Rotæ decisiones apud eundem *ibid.*

2. Secundò: dum adest Ecclesia filialis impropria; id est, adjutrix, seu pars & membrum parochialis pro commodiore curæ exercitio ad præscripta Trid. *sess.* 21. *c.* 4. erecta, jus parochiale in solidum est penes Ecclesiam matricem, quæ unica dicitur Ecclesia parochialis: Et adjutricis Ecclesiæ Vicarius, qui censetur jure quasi famuli, contentus esse debet congruâ tanquam mercede laboris: cujus tamen vice non incongruè aliqua emolumentorum parochialium pars (cum familiarum aliquarum distributione ei assignatur. C. de Luca. *de paroch. d.* 33. *n.* 6. & *d.* 27. *n.* 9.

3. Tertiò: fieri etiam potest, ut jus parochiale v. g. decimandi, funerandi, percipiendique emolumenta cetera, non secùs ac jus curæ, utpote naturâ individuum, resideat in solidum penes plures repræsentantes unam personam formalem seu intellectualem (ita ut quamvis tunc singuli non dicantur Rectores actu, dicantur tamen habitu, & in ipsis tanquam in uno corpore conservatur unicitas dum nimirum cura apud unum habuit originem, & dein devenit in plures. de quo vide Lott. *loc. cit. n.* 115. *& seq.* Butrio, Decium, & AA. communiter *in c. prudentiam. de off. deleg.*) non secùs ac feudum individuum, cujus possessio ac fruitio potest esse apud plures agnatos coæquali jure possidentes, tanquam repræsentantes unam personam formalem individuam. C. de Luc. *de paroch. d.* 33. *num.* 8.

4. Respondeo ad secundum: dari hoc jus parochorum respectu viventium intra parochiæ fines; quemadmodum autem ex indulto Pontificis, vel antiquâ legitimâ consuetudine jurisdictio parochialis dari potest in personas seu familias, quamvis in alieno territorio viventes; uti contingit in parochiis distinctis per familias, quamvis sparsim & promiscuè habitantes, de quibus suprà; ita etiam dari respectu habitantium extra territorium parochiæ possunt dicta jura. C. de Luca. *de par. d.* 24. *num.* 3.

Quæstio 451. *Quale jus habeat parochus circa funera?*

REspondeo: hoc jus consistere ferè in jure ipso sepeliendi, in jure deducendi funus, faciendique officium, & jure percipiendi emolumenta, seu quartam parochialem, sive portionem Canonicam. C. de Luca. *de reg. d.* 1. *n.* 46.

Quæstio 452. *Quale sit hoc jus sepeliendi?*

1. REspondeo: parochus parochianos suos omnes, quibus sepultura sacra conceditur, sepelire debet in Ecclesia, vel cæmiterio parochiali. Barb. *de off. p.v. c.* 26. *n.* 1. Laym. *th. mor. l.* 3. *tr.* 6. *c.* 12. cum communi juxta *c. is qui. de sepult. in* 6. sicut enim Sacramenta & verbi Dei prædicationem, ita & sepulturæ officium fidelibus præstare, ad eorum pastores pertinet. Laym. *ibid. n.* 3. Item omnes alios (puta scholares, similesque personas quasi domicilium habentes. Abb. *in c. 1. de sepult. n.* 4. Laym. *n.* 8. & peregrinos, ubi hi ad propriam parochiam deferri non possunt, vel nisi aliud habeat consuetudo. Laym. *ibid.* ex Sylv. & Molin.) intra parochiam degentes, & decedentes, sive cum, sive absque testamento. Barb. *loc. cit. n.* 1. Estque hoc jus parochiale. *clem. dudum. de sepult.* Abb. *in rub. de paroch. num.* 2. Riccius *in pr. p.* 4. *resol.* 292. apud Bart. *loc. cit.* ita etiam ut parochus præferatur, & ante omnia sit restituendus, si fuerit spoliatus corpore jam sepulto; cùm illud possit extrahi auctoritate superioris tanquam non justæ sepulturæ traditum, & restitui ei, qui jus prælationis habet juxta Gratian. *discep. for. to.* 2. *c.* 198. *n.* 5. ex Cassan. *in Catal. gloriæ mundi. p.* 2. *consid.* 5. apud Barb. *loc. cit.*

2. Ex-

2. Excipe primò: nisi ipsi parochiani, dictique alii alibi sepulturam elegerint. Barb. *ibid.* juxta *c. is qui. & clem. dudum*; uti possunt liberè eligere sepeliri alibi omnes puberes, etiam filii familias absque patris consensu juxta *c. 1. de sep. & c. licet. tit. eod. in 6.* Et pater, aut hoc deficiente, etiam mater filio impuberi. Armill. *V. sepultu.* Sa &c. apud Laym. *n. 5.* Molin. *de Just. tr. 2. d. 214.* & fusè Bass. *in flor. Theol. to. 2. V. sepult. n. 7. & seq.* & utrumque quidem non de jure & ratione patriæ potestatis (cùm jus determinet cuique sepulturam, nimirum in sepulchro majorum, aut in parochiali, concedens insuper potestatem eligendi iis, qui capaces sunt electionis, & non substituens ratione incapacitatis alios, cum concessio hæc sit personalis) sed ratione consuetudinis, ubi ea est Bass. *cit. n. 7.* juxta declarationem, ut ait, Bonif. VIII. *in c. licet. de sepult. in 6.* Item patre & matre deficientibus, affines & consangainei; quin & tutor pupillo impuberi; hi enim omnes succedunt patri in cura impuberum; estque tutor loco patris, & transit in jus patris in ordine ad curam pupilli; talis autem successio in cura impuberum dat ipsis jus ad exercenda ea, quæ spectant ad ipsorum curam; & hinc jam etiam transit ad eos jus, quod convenit patri ratione consuetudinis in eligenda sepultura pro impubere filio. Bass. *loc. cit. n. 9.* citans Gl. *in c. licet, de sep. in 6.* Franc. *ibid. n. 3.* Gratian. *discep. for. to. 1. c. 94.* contra Belletum, *p. 1. disquisit. cler. §. 3. de clerico debitore. n. 18.* Dian. *p. 5. tr. 3. resol. 108. &c.* Idque in omni Ecclesia, & nonnisi in Ecclesia, quæ jus sepeliendi habet, hoc de jure ordinario, ut sunt Ecclesiæ, quæ populum habent, seu parochiales. Abb. *in c. certificari. de sep. n. 8.* Laym. *loc. cit. n. 3.* sive de privilegio, ut Ecclesiæ Collegiatæ, & regulares, aliæque non parochiales. AA. iidem. Quale privilegium etiam ab Episcopo cum consensu Capituli ex causa concedi posse Ecclesiæ non parochiali affirmat Laym. ex Abb. *loc. cit. n. 9.* & Molin. *d. 214.* ubi etiam juxta *c. 3. de pactis in 6.* ait, tali privilegio renunciare posse pacisendo cum Episcopo vel parocho de non sepeliendis parochianis, prælatum immediatum regularem, puta Priorem, Guardianum &c. cum Capitulo, absque eo, quòd opus sit adhibere consensum Generalis vel Provincialis Ordinis. Porrò qualiter probetur Electio sepulturæ, vide apud Barb. *in c cum super. de sepult.* Dian. *p. 5. tr. 3. resol. 106.* Basæ. *loc. cit. num. 11.*

3. Excipe secundò: nisi alibi extra parochiam habeant sepulchrum, in quo eorum majores sepeliri consueverint; in hoc enim, si commodè possint, sepeliri debent decedentes, nullâ factâ electione sepulturæ. Laym. *n. 8.* citans Abb. *in c. 1. de sepult.* Sylv. *q. 8.* Pet. de Perusio *tr. de Can. port. &c.* Bass. *loc. cit. n. 10.* Ecclesia enim, in qua est sepulchrum majorum juxta *c. 1. de sep.* acquisivit jam jus ad sepulturam, quoties quis alibi illam non elegit, adeóque non potest privari per novam electionem sepulturæ in parochiali factam per eos, ad quos spectat cura funeris. Bass. *ibid.* citans Jo. And. & Gemin. *in c. licet. de sep. in 6.* Sylv. *V. sepultura. q. 8.* Ita etiam, ut si pater præter voluntatem suam alibi sepultus, filius adhuc in sepulchro Avorum & ascendentium sepeliendus sit; quia tunc sepulchrum illud patris esset adventitium, nec transiret ad familiam, aliàs apud patrem, dum is elegit diversum à majoribus sepulchrum, quia tunc sepulchrum illud fit familiæ, & omnes de familia acquirunt jus ad illud; sepulturaque inter mortuos comparatur domicilio inter vivos; filias autem sequitur domicilium parentum, & non aliorum ascendentium, juxta *l. assumptio. ff. ad mancip.* & *c. fraternitatem. de sep.* Bass. *cit. n. 10.* Abb. & Molin. apud Laym. *cit. n. 8.* Etiam naturalis, nisi pater in dignitate constitutus fuerit; spurius autem apud matrem, nisi ea sit illustris. Sylv. *cit. q. 8.* Sa *V. sepulturæ.* cum communi apud Laym. Uxor, nisi aliud habeat consuetudo, apud maritum; si plures maritos habuit, apud ultimum, cujus domicilium retinet & honorem. Abb. Sylv. Laym. *ll. cit.* Bass. *loc. cit. n. 14.* Quin & uxor præmortua, si maritus habet proprium sepulchrum, quamvis extra limites parochiæ, in qua mortua est, tumulari debet. Congreg. rituum *in Senogaltiens. 15. Januar. 1633.* apud Barb. *de offic. paroch. c. 26. n. 28.* Sed hæc intelligenda, ubi uxor sibi sepulturam non elegerit alibi; quod potest de jure communi juxta *c. de uxore. de sep.* quia, ut ait hic textus, electio sepulturæ pertinet ad eum statum, in quo uxor solvitur à lege viri. Bass. *ibid.*

4. Excipe tertiò: Novitios Religionis, quia etiam decedentes extra monasterium v. g. in domo paterna, sepeliri debent in monasterio; cùm Novivitii gaudeant privilegio & juribus Ordinis. Laym. *cit. n. 8.* & apud illũ Rodriq. *qq. reg. to. 1. q. 39. a. 4.*

5. Excipe quartò: famulos domesticos religiosorum mendicantium, qui dum decedunt intra septa monasterii, Collegii, residentiæ, sepeliri possunt, etiam invito parocho, ex privilegio Papæ in in dictorum religiosorum Ecclesiis vel cæmiteriis. Laym. *loc. cit.* Rodriq. *to. 2. q. 67. a. 2.* & videre est *in compendio privileg. Societ. V. familia. §. 1.* Secùs tamen est de iis, qui formaliter servientes & ministri non sunt dictorum regularium, dum intra septa monasterii, ubi v. g. hospitalitatis gratiâ, seu aliàs accidentaliter degebant, moriuntur. C. de Luca. *de Reg. d. 1. n. 50.*

6. Excipe quintò: infirmos receptos & morientes sine electione sepulturæ in hospitali, etiam recto per regulares; his enim præbere possunt dicti regulares, aliique hospitalis Rectores in annexâ hospitali Ecclesiâ sepulturam ex indultis Apostolicis, sicut ipsimet religiosi tales, aut constitutus alius Rector sæcularis dicuntur istorum infirmorum parochi, & viventibus omnia Sacramenta ministrare possunt. C. de Luca. *ibid. n. 51.*

7. Excipe sextò: Tertiarios, qui invito etiam & irrequisito parocho, sepeliri possunt in Ecclesiis istorum ordinum, ubi qualitates habuerint in Bulla Leonis X. præscriptas; nimirum si viri, collegialiter aut claustraliter vixerint, mulieres verò virginalem, vel cœlibem, aut castitatem vidualem sub expresso voto, & tertiariarum habitu duxerint; secùs si istas qualitates non habuerint. Sic resolutum à S. Congreg. Trid. testatur Barb. *loc. cit. n. 69.* Porrò de religiosis constat: An verò & qualiter ipsi eorum Prælati jus habeant eligendi sepulturam, vide apud Laym. *loc. cit.* & Basæ. *loc. cit. num. 13.*

Quæstio 453. Quid sit circa jus interveniendi funeribus?

1. Respondeo: parocho de jure communi competit jus interveniendi funeribus hinc inde coactivum, & ex necessitate reciproca seu activa & passivâ, quo scilicet ipse tenetur, quamvis invitus, intervenire, & è converso parochiani tenentur,

tur, quamvis inviti, eum vocare C. de Luca. *de par. d. 28. nu. 6.* juxta text. *c. 1. & clem. dudum. de sepul.* ubi communiter DD. quòd ita verum, ut licet à defuncto jussi sunt advocari soli regulares ad sepeliendum cadaver, nullatenus parochus sit excludendus. Barb. *loc. cit. n. 62.* juxta declarationem Congreg. præpositæ negot. Episc. 1518. Item ut regulares, quamvis expresse privilegiati in hoc, ut à parocho impediri nequeant, ne in Ecclesiis suis sepulturam sæcularibus concedant, adhuc sine parocho funus peragere nequeant extra suas Ecclesias, ut ad illas cadaver ducatur, quia esset exercere jurisdictionem in territorio parochi, in quo illi jus nullum habent, utpote constrictum ad territorium ipsorum proprium, quod consistit intra septa & ambitum Monasterii. C. de Luca *de reg. d. 1. n. 47.* sed neque in propria Ecclesia funus peragere possunt, ac sepulturam defunctis de Clero & populo sæculari tribuere sine interventu seu consensu parochi proprii defunctorum, etiam dum absque dictorum regularium interventu vel facto cadaver clam ad eorum Ecclesias delatum fuisset, cùm ipsum jus funerandi dicatur parochiale ex jure privativo parochi, & privilegia concessa regularibus concernant solam remotionem illius obstaculi, seu prohibitionis, qua iis olim prohibitum, ne ulli sæcularium, quamvis id eligenti, dare sepulturam in eorum Ecclesiis possent. C. de Luca. *ibid. num. 48. & 49.* Quinimò nec id possint Regulares respectu defunctorum intra sua septa sæcularium casu ibi hospitatorum, seu degentium, exceptis religiosis, qui ex instituto pauperum infirmorum hospitalitatem excercent respectu apud illos hospitantium infirmorum. Luc. *ibid. n. 50. & 51.* Licet regulares extra claustra decedentes possint ad eorum Ecclesias deferri parochis inconsultis, ut declaravit S. Congreg. Conc. sub die 2. Julii 1620. apud Peyrin. *to. 2. constit. sui ord. constit. 7. Pii V. n. 2.* & Barb. *loc. cit. n. 68.* ita etiam ut id regularibus prohiberi nequeat sub prætextu, quòd priùs debeant jus sepulturæ solvere, cùm ab istiusmodi prætensionibus parochos abstinere debere mandârit S. Congreg. præpos. neg. Ep. sub 22. Maji. 1615. apud Barb. *ibid.* Non tamen possint iidem regulares, dum moritur intra claustra aliquis eorum superior aut magister, funus illius portare per civitatem, plateas, & alias parochias sine interventu parochi. Ita rescripsisse S. Congregationem Conc. Card. Ludovis. Archi-Episc. Bonon. testatur Barb. *ibid.* ex Lezana *in summa qq. reg. c. 12. n. 41.*

2. Secundò: levare domo cadaver irrequisito parocho non licet regularibus, neque aliis presbyteris sæcularibus, Barb. *loc. cit. n. 66.* citans S. Congregationem rituum *in Andrien si 29. Novemb.* 1631. Ugol. *de potest. Episc. c. 17. n. 3.* Grat. *to. 3. c. 492. n. 59.* sed neque regulares habentes privilegium sepeliendi apud se sæculares, qui apud eos sepeliri elegerunt, aut sepulchrum majorum ibi habent, cum cruce processionaliter intrare possunt parochiam aliam, & per se accipere funus, aliáque facere, contradicente Episcopo vel parocho. Barb. *loc. cit. num. 67.* citans Villalob. *in sum. p. 2. tr. 31. diffic. 5. num. 3.* Grat. &c. Bassæ. *to. 2. V. sepult. num. 6.* cum privilegium concessum regularibus sepeliendi sæculares, utpote contra jus tertii, nempe parochorum, ut Innoc. & alii ex *c. mandatum. de rescript.* & *c. super eo. de offic. deleg.* sit strictæ interpretationis; Pontificésque Clemens IV. Clemens V. Sixtus IV. ut videre est apud Bassæ: concedentes id privilegium, usi sint verbo *recipere*, adeoque solam receptionem funeris eis concessisse videantur. Fusc. *de visit. l. 1. c. 25. n. 8.* Trull. *to. 3. de jure parochi. c. 9. d. 1. n. 3.* contra Rodriq. *to. 3. q. 58. a. 3.* Hieron. Rodriq. *in comp. privileg. resol. 128. num. 3.* Ang. Sylv. apud Bassæ. hanc dantes rationem: quia concessa est iis libera sepultura, consequenter iis concessum sit iter ad funus capiendum. Nec obstat privilegium à Sixto IV. expresse desuper datum regularibus, cùm illud revocatum sit à Leone X. Bass. *loc. cit.* Et licet privilegia regularium revocata à Leone X. exceptis iis, quæ Tridentino contraria non sunt (quale est illud de adducendo funere) dicantur ab Adversariis restituta in foro exteriore per aliquos Pontifices; privilegia tamen *maris magni* quò ad hoc denuo revocata, & redacta ad terminos juris communis per Gregor. XIII. *Constit. in tantâ negotiorum. Anno* 1575. asserunt Auctores stantes pro nostra responsione apud Bassæ. Quòd si tamen parochus monitus & requisitus à regularibus, & exspectatus venire recuset, possunt ipsi cadavera istiusmodi ab ædibus, ubi fuerint, recto tramite deferre parocho invito: sic decisum à Congreg. Conc. testatur Barb. *num. 70.* cùm, ut etiam declaravit Congregatio rituum apud eundem *n. 71.* sepeliri mortui possint in Ecclesiâ, in qua sepulturam elegerunt sine præsentia parochi, si ipse requisitus interesse recuset, vel petitam licentiam neget.

3. Tertiò: ad parochum spectat tam in domo defuncti, quàm per viam, donec accedatur ad Ecclesiam regularem, in qua cadaver sepeliendum, & exequiæ peragendæ, officium peragere; quamvis oporteat per aliarum parochiarum fines transire; dum ita dicitur continuare jus suum jam inceptum in suo termino à quo usque ad terminum ad quem. C. de Luca *de reg. d. 1. num. 53.* Barb. *loc. cit. num. 74.* juxta declarationem S. Congregationis præpos. negot. Ep. Ac ità tenetur usque ad januam Ecclesiæ regularium, in qua sepeliendus defunctus, funerale ducere, & prosequi. Barb. *n. 75.* juxta eandem Congregationem. Sed neque, dum mortuus in hospitali elegit sepulturam in alia Ecclesiâ, ac propterea inde asportandum funus, possunt regulares, quorum est hospitale, se in hoc ingerere extra septa propriæ domûs regularis, sed tali casu subintrat parochus, nimirum proprius defuncti, sub cujus parochia hic vivebat, & non ille, intra cujus parochiam situm est hospitale, nisi fortè ex privilegio & consuetudine, quæ improbabilis non est, maximè in magnis urbibus, ubi causaretur confusio, & incommodum, si vocandus semper esset proprius defuncti parochus. C. de Luca *loc. cit. n. 52.* Porrò debent regulares vocati ad funus associandum accedere ad Ecclesiam parochialem, & exinde cum parocho ad domum, ex qua exportandum cadaver se conferre, ac si illud contingat depositum esse in Ecclesia aliqua, ad illam convenire debent. Barb. *nu. 65.* juxta declarationem S. Congregationis rituum *26. Aug. Anno* 1616. & nequaquam exspectare extra januam Ecclesiæ, multóque minùs per vias, vel ad domum defuncti, non obstante contrariâ consuetudine. Barb. *nu. 64.* juxta eandem Congregat. 12. Febr. 1633. Quamvis in hoc num sufficiat regulares invitatos reperiri in loco, in quo cadaver est, & ex inde tantùm perrecturos, an verò debeant accedere ad Ecclesiam parochialem, vel matricem seu digniorem, ex qua diri-

genda processio ad accipiendum corpus in propria domo, deferendum esse consuetudini, utpote quæ in hujusmodi functionibus & ceremonialibus controversiis magnum locum habet, & consuetudine cessante servandum regularibus, quod jam dictum, utpote contra eos decisum, asserat C. de Luca *de reg. d.* 1. *n.* 61. citans Barbos. *de jure Eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 65. Verùm in ingressu portæ, vel atrii Ecclesiæ regularis, aut alterius, in qua sepeliendus defunctus, parochus suum munus dimittit, illudque reassumit Prælatus istius domûs regularis vel alius regularis de ejus mandato. C. Luca *cit. n.* 53. Barb. *num.* 80. Vel alter Parochus sæcularis, si Ecclesia electa pro sepultura sit alia parochialis. Barb. *ibidem.*

4. Quartò: ad parochum spectat declarare, per quam viam exportandus defunctus. Barb. *n.* 74. juxta declarationem, ut ait, Congregationis præpos. negot. Ep. *de* 3. *Jan.* 1594. Item spectat ad parochum convocare sacerdotes alios, quos voluerit ad associandum funus, ubi hæredes defuncti aliter non disponunt, aut nullos destinârunt sacerdotes. juxta quod censuit Congregatio rituum 7. Sept. 1630. apud Barb. *n.* 59. de cetero servanda voluntas dictorum hæredum, qui possunt convocare numerum sacerdotum sibi bene visum, & numerum ceræ sibi bene visum ad associandum funus constituere, minùs magísque pomposas culcitras, similiáque adornare, absque eò quòd parochus se opponere valeat, aut convocare alios, quàm destinatos ab hæredibus Clericos. Barb. *nu.* 57. *&* 58. Jo. Sanch. *in selectis DD. d.* 47. *n.* 24. apud eundem C. de Luca. *de paroch. d.* 31. *n.* 4. juxta decisionem Congregationis præpos. neg. Ep. apud eundem; item Congregat. rituum *in Laudensi* 20. *Aug.* 1601. jus enim parochiale, quod competit parocho privativè ad omnes in funeribus, versatur solùm circa præeminentiam occupandi primum locum cum stola seu pluviali, nec non faciendi officium super cadavere, & percipiendi emolumenta: quatenus autem spectat ad eorundem funerum pro locorum consuetudine majorem pompam & solennitatem ab Ecclesiæ Catholicæ ritibus non aberrantem, neque à rituali reprobatam, jus nullum habet; quia ubi desuper in jure provisum non est, pro partium libertate judicandum est. C. Luca *ibid. à n.* 2. Num autem sæcularis potestas facere possit desuper statuta, vel alias ordinationes seu reformationes, distinguit idem Card. *nu.* 5. negátque si agatur de spiritualibus concernentibus suffragia animæ defuncti, vel conservationem devotionis populi; puta circa celebrationem missarum, convocationem majoris vel minoris numeri Clericorum tam sæcularium, quàm regularium, distributionem Eleemosynarum: concedit autem circa ea, quæ superfluam ac merè temporalem pompam respiciunt, ut sunt culcitræ pomposæ, vestes lugubres, castra doloris, cerei, præsertim extra Ecclesiam.

5. Respondeo quintò: Crux propriæ parochiæ defuncti deferenda est in funeralibus, & non crux parochiæ, ex qua parochia defuncti dismembrata fuit. Barb. *n.* 79. juxta Congregat. rituum, de cetero in funeralibus crux tantùm una deferenda. C. de Luca *cit. d.* 1. *de reg. num.* 63. Barb. *num.* 78. & quidem illius Ecclesiæ, ad quam corpus transfertur. Barb. *ibid.* juxta varias Congreg. rituum declarationes, sub quæ omnes funus associantes incedere debent præcedentibus eam confraternitatibus (quæ nonnisi specialiter & expresè vocatæ accedere possunt ad funeralia, & dum accedunt in actu associationis funeris, nullo modo erigere possunt crucem. Barb. *n.* 61. juxta declarationem Congreg. rituum) incedentibus autem immediatè post illam personis illius Ecclesiæ, ad quam corpus defertur, & dein ceteris secundum Ancianitatem ultimo loco incedente parocho cum superpellicio & stolâ. Barb. *cit. n.* 78. *&* 56. Quæ tamen intelligenda ubi non intervenit Capitulum Cathedrale; tunc enim sub cruce illius omnes incedunt, debétque pastor proprius cedere curato & sacristæ Cathedralis, etiam dum sunt amovibiles. Barb. *cit. n.* 78. juxta Congregationem rituum *in Pisaurien. 22. Martii.* 1631. Quin & crucem hanc in Ecclesia istâ, etiam regularium erectam retinere potest eodem modo, quo in via asportata, Capitulum Cathedrale interveniens. C. de Luca *num.* 54. ubi idem ait de Parocho, & Collegio Collegiatæ, & sic per modum decreti generalis decisum à Congretione.

6. Sextò: ad parochum seu curatum, in cujus parochia defunctus obiit, & non ad regulares, ad quorum Ecclesiam defunctus portatur, spectat benedicere corpus defuncti. Barb. *n.* 67. ex decisione Congregationis rituum *in una Squilacen.* 18. *Novemb.* 1606. solúsque parochus cum ad domum defuncti pervenitur, cum Clerico deferente vas aquæ lustralis locum, in quo jacet defunctus, ingreditur, eúmque aspergit. Barb. *n.* 56.

7. Septimò: Officium supra funus jam delatum in Ecclesiam, in qua sepeliendum, facere spectat ad parochum, intra cujus parochiæ limites est Ecclesia dicta, & non ad sacerdotes talis Ecclesiæ. Barb. *n.* 80. ita ut verum id sit, etsi in ejus parochiali præsentes sint Canonici. Barb. *ibid.* Congregatio rituum *in Ostiensi.* 28. *April.* 1607. dum tamen tumulatur cadaver in Ecclesiis regularium, parochus ad easdem associans, ut debet, corpus in iisdem permanere potest, absque tamen eo, quòd in officio cantando ullatenus se intromittat. Barb. *ibid.* Congregatio præpos. negot. Episc. *in Neritonensi* 6. *Julii* 1615. officium enim in tumulandis cadaveribus in Ecclesiis regularium non per parochum, nec per alios presbyteros sæculares, sed per eosdem regulares fieri debet, non obstante quavis consuetudine, Congregatio rituum variis decisionibus apud Barb. *nu.* 82. etiam immemoriali allegatâ (de qua tamen an sufficiat, latè Gratian. *discept. for. to.* 3. *c.* 492.) ut ibidem apud Barb. eadem Congregatio ad Card. S. Georg. 5. Jul. 1632. proinde officium defunctorum, psalmos, responsoria, aliásve preces recitare super funera ad solos regulares spectat. Barb. *n.* 81. Congregatio præpos. negot. Episc. *in Turritan.* 24. *Nov.* 1617. ceremoniasque peragit Prælatus regularis, aut alius ex ejus commissione. C. de Luca *de regul. d.* 1. *num.* 53. Hoc etiam jus officiandi peragendique funus, etiam solenne principis alicujus, vel magnatis competere adhuc regularibus etiam, dum intervenit Capitulum Capitulum Cathedrale, non quidem repræsentando solummodò parochum ratione curæ, quæ fortè annexa est Cathedrali Ecclesiæ, sed tanquam condistinctum à parocho majoris pompæ vel solennitatis gratiâ; aut etiam Episcopus loci Ordinarius cum suo Capitulo volens illud munus peragere, tametsi S. Congregatio rituum aliquando decreverit, ut idem C. de Luc. *n.* 55. *&* 56. ipse tamé ait, id sibi nõ placere, & videri

sibi

sibi parum probabile, citátque seipsum *de paroch. disc. 25. & de jurisdictione d. 22. & 31.*

8. Octavò: Parochi non habent jus plus recipiendi pro tumulandis externis, quàm civibus. Barb. *loc. cit. num. 83.* ex decis. S. Congregationis Conc. de 27. Maji. 1617. imò pauperes gratis sepelire debent. Barb. *nu.* 84. Jo. Sanch. *select. DD. d. 47. num. 18.* Cavendum verò vel maximè, ne propter jus sepulturæ minimè solutum cadaver inhumatum retineatur, cùm nulla ratio patiatur, repugnétque Christianæ pietati, maximè verò ob pecuniarum interesse, cadaver insepultum manere. Neque etiam sub quovis prætextu compositionis quartæ funeralis mortuorum sepultura retardari aut impediri debet. Barb. *num. 55.* juxta decision. Congreg. *in Cassan. 5. Maji. 1617.* De cetero, cùm quod datur parocho, non sit sola merx laboris, sed emolumentum juris parochialis, in summa determinatâ, ubi non adest incommodum extraordinarium, præstandum est: quamvis quia parochus non tenetur hujusmodi functiones funerales facere de nocte, seu in forma pomposâ cum extraordinario & magno labore, oportebit hæredes defuncti cupientes majorem funeris pompam, majorem aliquam præstare recognitionem. Luca *de paroch. d. 28. num. 7.* Qualiter verò alii Clerici ejusdem Ecclesiæ parochialis, qui invitari quoque solent ad funera associanda, non tamen cogere possunt partes ad se invitandas, sicut nec invitati cogi possunt ad comparendum, quique nullam partem habent in cura animarũ (sicut aliàs habent alii ejusdẽ Ecclesiæ clerici dicti hebdomadarii, quòd per vices hebdomadatim exercent curam, adeóque repræsentantes parochum) neque sint de corpore talis Collegii parochialis, qualiter inquam hi prætendere nequeant dicti augmenti participationem, etsi pariter majorem & ipsi laborem subeant, deductum vide *ibidem* à C. de Luca potissimùm *à num. 9.*

Quæstio 454. Specialiter circa quartam parochialem seu portionem Canonicam, quid & quanta ea sit?

1. REspondeo ad primum: est certa quantitas à jure Canonico inducta, & solvi debita parocho vel Episcopo ab Ecclesia illa, in qua quis relictâ propriâ sepelitur, ex relictis eidem à parochiano defuncto, vel obvenientibus ratione funeris. Ex Barb. *de offic. parochi c. 25.* Bass. *to. 2. V. parochia. num. 19.* Rodriq. *to. 1. qq. reg. q. 39. a. 1.* &c. Porrò qualiter hæc portio Canonica parochialis seu funeralis distinguatur à quartâ Canonica Episcopali, vide apud Azor. *p. 2. l. 9. c. 12. q. 1.*

2. Respondeo ad secundùm: de jure ordinario est quarta pars obventionum istarum. *c. cum super.* & *Clem. dudum. de sepult.* de consuetudine tamen potest esse medietas, vel tertia pars. *c. certificari. tit. eod.* Tusc. *lit. q. concl. 23.* Ugol. *de officio Episc. c. 17. num. 2.* Lavor. *vari. lucub. to. 1. tit. 2. c. 17. num. 4.* apud Barb. *loc. cit. num. 2.* debet autem consuetudo hæc esse rationabilis & legitimè præscripta spatio 40. annorum, ut vi illius solvi debeat vel ultra dimidium, vel infra quartam partem; sufficit autem consuetudo non præscripta, sed 10. annorum, ut debeatur intra dimidiam & quartam partem. Barb. *num. 2.* ex Miran. *in man. præl. to. 2. q. 48. a. 5.* & Pet. de Ubald. *de can. port. p. 2. c. 5.* eò quòd consuetudo dandi ultra dimidium, & infra quartam partem sit contra jus, consuetudo verò dandi infra dimidiam, & citra quartam partem, sit tantum præter jus. Bass. *loc. cit.* citans Abbat. *in c. certificari. num. 4.* Trull. *de jure paroch. c. 13. dub. 1. num. 4.* &c. Porrò dum in Ecclesia parochiali non est consuetudo exigendi certam partem, debet servari ea, quæ est in Ecclesia, in qua sepelitur defunctus, seu cui legatur: si verò in hac est consuetudo talis, & alia in parochiali, servanda est consuetudo parochialis, utpote quæ prætendit titulum onerosum propter administrationem curæ, & Sacramentorum, Ecclesiâ istâ aliâ non prætendente nisi titulum lucrativum: ex his autem titulis concurrentibus potior sit conditio onerosi quam lucrativi. Si denique in neutra harum Ecclesiarum est certa consuetudo, est autem aliqua in aliis Ecclesiis ejusdem diœcesis, hæc servanda, si uniformis; si difformis, ea servanda, quæ magis juri conformis. Barb. *num. 3.* ex Lavor. *loc. cit. nu. 8.* & Sebast. de Medices. *de sep. q. 7.*

Quæstio 455. Unde solvenda portio Canonica?

1. REspondeo: de omnibus, quæ Ecclesiæ, in qua quis relictâ propriâ eligit sepeliri, ratione & occasione funeris seu sepulturæ obveniunt. Barb. *loc. cit. n. 36.* Covar. *in c. ult. de testament. n. 7.* Bass. *loc. cit. 22.* Azor. *loc. cit. q. 2.* &c. etiam præter voluntatem morientis. Feder. de Senis *cons. 6. n. 2.* apud Barb. *n. 37.* puta quæ tali occasione legantur illi Ecclesiæ (non autem personæ certæ illius) sive res sint mobiles, sive immobiles. Azor. *loc. cit.* citans *c. in nostra.* & *Clem. dudum. de sepult.* Quæ deferuntur seu portantur cum funere; quæ offeruntur tempore, quo funus seu exequiæ celebrantur. Barb. citans Molin. *de Just. tr. 2. d. 215. n. 4.* sive obveniant, antequam corpus in terra condatur, sive post usque ad trigesimum diem. Barb. *n. 37.* Azor. *cit. q. 13.* Bass. *nu. 22.* Et quamdiu sit memoria funeris. Barb. & Bass. *ll. cc.* v. g. dum ex causa pluribus diebus post tumulationem fiunt exequiæ magna cum pompâ. Leo *in thes. fori Eccl. p. 2. c. 14. n. 12.* Riccius *in pr. fori Eccl. resol. 571.* Sylv. *in sum. V. Canon. port.* apud Barb. *n. 37.* etiam dum parocho, jam die funeris data est candelarum, facum, similiumque quarta pars. Barb. *n. 38.* juxta respons. ut ait, Congregationis præpos. neg. Episc. hæc enim omnia dicuntur funeralia juxta *c. cum liberum. de sepult.* Barb. *cit. nu. 37.* citans Riccium *ubi antè.* Bertach. *in repert. V. quarta portio* &c. Bass. *loc. cit.* Azor. *q. 13.* quamvis *ibid.* dicat Azor, consuetudinem non esse, nisi ut quarta solvatur de his, quæ cum funere obveniunt, ut sunt candelæ, equi, arma, vestes, vel quæ offeruntur dum funus est in Ecclesia.

2. Porrò in particulari primò: debetur quarta funeralis de candelis, & cereis oblatis. Barb. *nu. 4.* ex Feder. de Senis; item ex iis, qui accensi afferuntur, & ponuntur circa crucem & cadaver Barb. *ibid.* ex Pet. de Ubald *c. 4. n. 10.* Carraccia *de quarta funerali c. 3.* Nulla tamen debetur portio ex candelis, quas fratres Confraternitatum, aliique presbyteri in manibus portant, cùm hæ remaneant deferentibus. Barb. *num. 39.* juxta declarationem Benedicti XI. Piasec. *in pr. p. 2. c. 3.* Rodriq. & Carrac. *ll. cit.* contra Calder. *cons. fin. de sep.* Feder. de Senis, & Gl. *in Clem. dudum. V. funeralibus.* Uti nec de intorstiis, seu cereis confraternitatũ sæculariũ associantium funera. Item nec de intorstiis, quæ portantur à locis piis ad associandum funera pauperum. Barb. *n. 40.* juxta declarat. Congregat. præpos. neg. Episc. 5. Mart. 1616.

3. Secundò: ex iis, quæ legantur sive dantur pro legendis missis. Azor. *loc. cit. q.* 5. & 13. Barb. *num.* 43. citans Gl. *in Clem. dudum. V. funeralibus.* Sylv. *in sum. V. Canonica portio. num.* 9. Ubald. *de Can. port. c.* 4. *n.* 5. & seipsum *de off. Ep. p.* 3. *alleg.* 86. *num.* 20. contra Rodriq. *cit. q.* 32. *num.* 2. nisi fortè is loquatur de consuetudine vel privilegio.

4. Tertiò: de armis, libris, culcitra, pallio, pannis sericis &c. quæ in feretro deferuntur. Pet. de Ubald. *loc. cit. num.* 10. Oldr. *cons.* 21. apud Barb. *num.* 44. juxta *c. in nostra. de sep.* nisi aliter sit ex consuetudine vel privilegio, ut declaravit Pius V. in Constit. *Etsi mendicantium*, apud Rodriq. *loc. cit. q.* 49. *a.* 2. uti etiam fallit in equis & armis, quæ relinquuntur in subsidium terræ sanctæ. Molin. *cit. d.* 215. juxta *c. in nostra.* apud Barb. *cit. n.* 44.

5. Quartò: debetur ex bonis relictis jure institutionis, ut si defunctus instituerit hæredem Ecclesiam, in qua elegit sepulturam. Azor. *loc. cit. q.* 6. citans Abb. & Jo. And. *in c.* 1. *de sepult.* Barb. *num.* 50. citans Molin. *d.* 215. *num.* 4. Sylv. *loc. cit. num.* 10.

6. Quintò: ex iis, quæ relinquuntur Ecclesiis donatione causâ mortis factâ. Azor. *q.* 7. aut in mortis articulo donantur. Azor. *q.* 13. §. *quid dicendum.* Item ex ea pecunia, quam dum regularibus talis Ecclesiæ nihil legatum est, frater aliquis ex illis datus executor ad eam pro libitu suo distribuendam distribuit inter dictos regulares. Item ex eo, si, qui decessit, nihil legavit iis, aliquid executoribus dandum iis mandavit, aut promittendum. Azor. *q.* 13. Barb. *num.* 50. Sylv. *num.* 5. Gl. *in Clem. dudum V. obventionibus.* Item ex iis, quæ defunctus mandavit dari singulis fratribus ad ipsorum commoda, pura ad emendos libros, vestes, aliáque hujusmodi; quia id censetur relictum monasterio, cùm religiosus proprium quid habere nequeat, adeóque solùm intelligitur relictum esse fratribus ad nudum eorum usum nutu superiorum revocabilem. Azor. *q.* 13. Barb. *cit. c.* 25. *n.* 48. juxta Gl. *in Clem. dudum. V. indirectè.* Gemin. *cons.* 46. & Feder. de senis, docentes perinde esse sive donatum uni ex regularibus, sive toti Monasterio. Non tamen debetur ex iis, quæ Ecclesia talis recepit donatione inter vivos. Barb. *num.* 48. Azor. *q.* 4. citans *c. de his. de legat.*

7. Sextò: ex omnibus legatis tali Ecclesiæ factis seu relictis in ultima voluntate. Barb. *n.* 51. citans *c.* 1. *& 2. de sep.* Covar. *loc. cit. n.* 2. Sylv. *loc. cit. in fine.* Oldr. *cons.* 225. *n.* 18. Molin. *loc. cit. n.* 4. si tamen legatum relinquatur ratione loci, & non ratione personæ certæ talis loci, aut in fraudem. Barb. *ibid.* juxta Sylv. *num.* 7. & Azor. debetur item ad huc ex legatis, quæ fiunt regularibus, etiam dum legator in eorum Ecclesiis non eligit sepeliri, dum id fit fraude & dolo, nimirum si defunctus alibi sepulturam elegit consilio illorum fratrum, aut prædicti fratres curaverint, ut legatum relinqueretur sororibus v. g. S. Claræ, vel aliis amicis sperantes se ab illis talia legata habituros. Azor. *circa finem cit. q.* 13. secùs est de legatis factis illis absque tali fraude juxta Innoc. Archid. Gl. apud eundem. Azor. *ibid.* Non tamen debetur ex legatis, quæ legator, dum vivit, solvit Ecclesiæ, tunc enim legatum transit in simplicem donationem inter vivos. Azor. *ibid.* juxta Gl. *in l. legatum. ff. de legatis.* quamvis dicat Abb. & Cardin. sentire contrarium apud Sylv. *cit. num.* 9. quin & circa finem dictæ *q.* 13. dicat juxta Paulum adhuc solvendam quartam, etiamsi legator talis postmodum in ista Ecclesia, in qua sepeliri elegerat, sepultus non fuerit, sentireque idem Cardin. nisi talis sepultus alibi ad tempus, transferendus postmodum ad Ecclesiam, in qua sepulturam elegerat. Neque ex legatis Ecclesiæ relictis ad perpetuum cultûs divini obsequium v. g. ad fabricam Ecclesiæ, ad vasa & vestes sacras ad luminaria & cereos divinis usibus destinatos. Azor. *q.* 4. Barb. *cit. c.* 25. *n.* 50. *&* 52. citans Covar. *in c. ult. de testam. num.* 8. Carrac. Bartol. &c. quamvis Barb. *eodem num.* 5. ex Covar. dicat, quò ad fabricam id verum, si Ecclesia tunc egeat reparatione, secùs si non egeat. Item Azor. *cit. q.* 13. §. *quid dicendum.* dicat, deberi adhuc quartam, si defunctus reliquit aliquid huic vel illi, ut curaret in Ecclesia istorum fratrum constituendam Capellam, vel emenda ornamenta, aut vasa ad divinum cultum.

Quæstio 456. *A quibus solvenda sit dicta portio parochialis?*

Respondeo: Non ab hæredibus defuncti, saltem jure ordinario (quamvis & hæredes teneri, sentiat Barb. *loc. cit. num.* 17. citans Molin. *d.* 215. *n.* 5. Covar. &c. contra Carraciam) sed ab Ecclesia, in qua quis, relictâ propriâ, elegit sepeliri; sive ea sit sæcularium, sive regularium; sive alias exempta sit sive non (intellige à jurisdictione ordinarii) cum per hoc quò ad dictam quartam solvendam non sit exempta. Bass. *V. paroch. num.* 21. Porrò in specie ad hoc tenentur jure communi etiam mendicantium Ecclesiæ. *Clem. dudum.* Barb. *cit. c.* 25. *num.* 4. etiam Monialium; cum Trid loquatur generaliter de quibuscunque locis piis ac Monasteriis, ubi dicta quarta solita esset persolvi. Barb. *ibid. n.* 5. contra Azor. *cit. p.* 2. *l.* 9. *c.* 13. *q.* 13. qui putat Clementinam *dudum*, loquentem de fratribus utpote pœnalem restringendam, & non extendendam ad sororum seu monialium Ecclesias.

Quæstio 457. *Quænam Ecclesiæ ab hoc onere solvendi dictam quartam sint immunes?*

1. Respondeo primò: Ecclesias tam religiosorum quàm sæcularium à solutione hujus quartæ exemptas per privilegia concessa ab habente potestatem. Barb. *n.* 7. modò per istiusmodi privilegia specialiter derogatum fuerit *Clem. dudum.* Barb. *n.* 8. Rota *in Granaten. quartæ funeralium*; cum sit dispositio Conciliaris, adeóque locum habeat regula; quod non censetur derogatum constitutioni Concilii generalis, nisi fiat expressa mentio his aut æquipollentibus verbis: *Non obstante aliquâ lege aut constitutione in Concilio generali edita.* Bass. *V. parochia. n.* 23. juxta *c. ex parte. de Capell. Monach.* (quamvis etiam per clausulas generales derogari eidem *Clem.* dum constat de voluntate principis derogare volentis, omnibus in contrarium non obstantibus dicat Pet. de Ubald. apud Barb.) Ita tamen ut privilegia, in quibus etiam specialiter derogatum est dictæ *Clem.* cõcessa aliquibus nõ censeantur quoad hoc cõmunicata aliis, etsi hi aliis cõmunicent cum istis in privilegiis; cùm communicatio non extendatur ad ea, quæ aliis sunt præjudicialia. Barb. *n.* 9. juxta decisionẽ Rotæ *in dicta Granat. & in Vallisoletanâ quartæ funer.* 19. *Apri*, 1606. ubi etiã quòd per privilegiũ specialiter derogãs dictæ *clem.* in quo appo-

apposita clausula, *salvâ justitiâ Ecclesiarum parochialium* : non censetur adhuc concessa ista exemptio à solutione quartæ funeralis. Quamvis Barb. *num.* 10. cùm Coccino contrarium credat verius, eò quòd stante specificâ derogatione dicta clausula intelligi debeat quò ad alia, & non quò ad expressa in isto privilegio, ne privilegium serviret de vento, seu esset inutile. Non tamen procedunt istiusmodi privilegia, dum habentes ea ædificant monasterium aliquod, ad quod ædificandum habuerunt licentiam cum conditione, ut ædificarent sine præjudicio jurium Ecclesiarum parochialium; quia conditio hæc est valida, cùm res ad suam naturam redeat. Barb. *num.* 11. juxta Rotam *in dicta Granat.* 31. *Maji.* 1610. Atque ita hodiedum, ut ait Bass. *cit. num.* 22. parum in usu, & fermè in totum revocata per Pontificum privilegia dictâ *Clem. dudum.* Ideóque dicendum, quòd nunc religiosi per sua privilegia non teneantur solvere quartam partem de funeralibus, oblationibus, sepulturis, legatis, ultimis voluntatibus, nec de aliis pro victu, ornamentis, aut aliis quomodolibet largitis; citátque Jo. de la Cruz *de statu relig. l.* 2. *c.* 9. *du.* 5. Rodriq. *qq. reg. to.* 1. *q.* 39. *a.* 2. Miran. *to.* 2. *q.* 48. *a.* 6. Tamb. *de jure Abb. to.* 1. *d.* 15. *quæsito* 17. Nec obstat Trid. *sess.* 25. *c.* 13. Cùm plerisque religiosis posteriores Concilio Pontifices ista privilegia concesserint: sed & dictum Concilium aliud non statuit, quàm quòd regulares, aliique, qui 40. annis ante confirmationem hujus Concilii soliti erant solvere dictam quartam parocho vel Episcopo, etsi dein ex privilegio eandem quartam solverint aliis Monasteriis, aliisve locis piis, nunc, hoc est, etiam post Concilium teneantur denuo solvere eandem quartam parocho vel Episcopo, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis quibuscunque. Barb. *num.* 2. quin potiùs ex hoc loco colligitur, ut Barb. *num.* 13. quod censuit sacra Congregatio Trident. ad dictum locum apud Gallemart, non teneri ad solvendam dictam quartam eos, quorum Ecclesiæ ædificatæ citra seu post Tridentinum, ac modò ædificantur, seu ædificabuntur, modò accedat, quòd sint exempti à sede Apostolicâ à solvendâ dictâ quartâ. Ubi etiam inde colligi videtur de iis, qui à 40. annis ante Concilium consuetudinem non habuerunt solvendi dictam quartam, quòd eam solvere non teneantur, uti id ipsum in cit. Constit. declaravit Pius V. Barb. *num.* 15. citans Carrac. Rodriq. &c. Et quidem absque eo, ut eadem Congregatio apud Gallemart, quòd talibus incumbat onus probandi, ante annos 40. non solitam à se solvi istam portionem; sed spectat ad prætendentes Episcopos vel parochos probare à 40. annis ab illis fuisse solitam solvi. Sed neque per unum, aut binos actus contrarios censendi sunt regulares renunciare juri quæsito de non solvendo quartam, nisi talis solutio facta ab iis sit per spatium 40. annorum, juxta dispositionem juris in *c. accedentibus.* & *c. si de terra. de privilegio.* cùm privilegium ad non faciendum non perditur uno aut bino actu. *c. cum accessissent. de constit.* ubi Gl. Barb. *cit. c.* 25. *num.* 35. Imò etiamsi per dictum spatium quadraginta annorum soluta sit quarta, adhuc præsumptio non tenet, quia contra bona & jura regularium non nisi centenaria currit præscriptio ad instar Ecclesiæ Romanæ. Barb. citans Miran. *cit. q.* 48. *a.* 13. Portell. *V. Canonica portion.* 8.

2. Secundò: ex personæ, seu Ecclesiæ, quæ præscripserunt dictam portionem Canonicam: hæc enim non solùm in parte, sed etiam in totum potest consuetudine vel præscriptione præscribi. Sufficit autem ad hoc consuetudo quadraginta annorum cum titulo, & sine titulo requiritur immemorialis. Azor. *loc. cit. quæst.* 3. Bass. *loc. cit. num.* 20. Barb. *num.* 16. citans Molin. *d.* 215. *num.* 7. Sylv. *in sum. V. Canonic. port. num.* 2. *&* 3.

3. Tertiò: Ecclesia, quam quis elegit, dum in ea sepelitur contra voluntatem eorum, quorum est Ecclesia ista v. g. si sepeliatur in Ecclesia mendicantium tempore interdicti, eò quòd portio Canonica debeatur ratione injuriæ factæ parochiali; injuria autem ei non fiat, dum Ecclesia alia accipit bona ab his, qui sepeliuntur in ea contra voluntatem eorum, quorum est Ecclesia. Azor. *loc. cit. c.* 9. *q.* 4. §. *quintus casus.*

4. Quartò: Ecclesia, in qua quis elegit, & sepultus est, quando Ecclesia parochialis suâ, & non defuncti culpâ erat interdicta; secùs si ea nullam causam interdicti dedit; cùm tunc privanda non sit jure suo. Azor. *ibidem.* §. *sextus casus.* citans Gemin. *in c.* 1. *de sepult. in* 6. Idem ait Barb. *cit. c.* 25. *num.* 31. dum defunctus jam antè elegerat sepulturam, priusquàm parochialis esset interdicta; cùm sequens interdictum non videatur tollere quartam parochialem jam deberi cœptam.

5. Quintò: Ecclesia, in qua quis quidem sepulturam elegit, in ea tamen sepultus non est, v. g. quia alibi decessit, vel hæredes eum alibi sepeliunt; cùm verba illa intelligenda sint cum effectu juxta *l.* 1. *ff. ut quisque juraverit.* Azor. *ibidem.* §. *Octavus casus.* citans Feder. de Senis, & Pet. Perusin. contra Gemin. *in c.* 1. *de sepult. in* 6. sentientem, quòd sicut in eo casu talis Ecclesia non privatur legatis causâ sepulturæ factis, ita nec parochialis portione Canonicâ.

6. Sextò: Ecclesia, in qua quis elegerat sepeliri, dum tamen revocatâ hac electione elegit aliam, aut etiam in alia sine electione sepulturæ, sepelitur; cùm paria sint non eligere, & electionem mutare, juxta *l.* 1. *&* 2. *ff. de adeptione legati.* Azor. *ibidem.* §. *septimus casus.* in quo casu etiam revocari legatum destinatum illi primæ Ecclesiæ, & deberi secundæ; cùm subrogatum intelligatur subrogatum cum omnibus conditionibus, oneribus, honoribus, emolumentis. *l.* 1. *ff. si quis test. liber esse jusserit &c.* sentit Gemin. *loc. cit.* apud Azor.

7. Septimò: juxta eundem Azor. *ibidem.* §. *decimus casus.* ubi pro hoc citat Gl. *in c. relatum. de sepult.* Ecclesia, in qua quis non elegit sepeliri tempore, quo testamentum fecit, & legatum reliquit; sed postea adhuc ante mortem.

8. Octavò: Ecclesia, quam quis elegit in sepulturam; quia in ea solitus audire divina, & percipere Sacramenta; dum ea percipere non poterat in parochiali ob longam absentiam; cùm quarta parochialis debeatur ob Sacra-

mentorum", & divinorum administrationem quasi in laborum compensationem juxta *Clem. dudum*; cessante autem causâ cesset effectus. Azor. *cit. q.* 4. §. *undecimus casus.*

9. Nonò: Ecclesia monasterii, quod quis ingressus animo absolutè vitam mutandi ibidem moritur; secùs est, & debetur quarta parochialis, si ingressus sine tali voluntate absolutâ ibi moritur. Azor. *ibidem.* §. *tertius casus.* citans Archidiac. & Gemin. *in c. cùm quis. de sepult.* Multò magis id tenet, si talis decesserit in monasterio, dum esset Novitius; cùm talis revera mutaverit domicilium. Azor. *ibidem.* §. *quid si.* citans Goffred. Host. Abb. Etsi contrarium teneant Angel. Rosell. Innoc. Et hic generaliter dicat; si quis ingrediatur monasterium, ut ibi fiat professus, ex bonis ejus monasterio acquisitis deberi quartam parochialem. Abb. etiam *ibidem* id admittat de eo, qui ægèr ingressus fuit, & ex eo morbo decessit; secùs si non ex eo morbo, sed alio decessit: quod idem ait Sylv. de leproso, qui in leprosorum hospitalem domum recipitur, si ex lepra decesserit; non verò si cum lepra ex alio morbo decesserit.

10. Decimò: Ecclesia talis delecta pro' sepultura, dum legatum est Ecclesiæ parochiali tantundem, quanta est pars quarta legatorum Ecclesiæ, in qua elegit sepeliri. pro hac sententia Barb. *num.* 18. citat Gregor. Lopez, Rodriq. *cit. q.* 39. *a.* 6. Abb. *in c. officii. de testamen.* Miran. *to.* 2. *q.* 48. *a.* 11. *concl.* 2. Hieron. Rodriq. *in comp. qq. reg. resol.* 18. *num.* 8. Portell. *in dubiis reg. V. Canonica portio. nu.* 7. eandem tenet Azor. *cit. q.* 4. §. *nonus casus.* censentque hi Auctores tale legatum jure imputari in quartam Canonicam: Et etiamsi ea minus est, tunc enim debere compleri, ait Azor & plures ex citatis Auctoribus: quemadmodum filius computat sibi in legitimam portionem, quidquid à patre sibi relictum. *l. si quando & omnino. c. de inoffic. testamen.* Et si institutus est in parte minore, quàm est legitima ei debita, jure petit, ut suppleatur. Nihilominus sententiam contrariam, nimirum præter legatum tale debere adhuc solvi integram portionem Canonicam parochiali (saltem in eo casu, ubi tale legatum factum non fuit eâ conditione, ut Ecclesia parochialis sit contenta hujusce modi legato loco portionis Canonicæ sibi debitæ, & rector id acceptaverit, in quo casu, & non aliter priorem sententiam admittunt Jo. And. *in c. officii.* Jo. Lignan. Rayner. Goffr. Feder. de Senis apud Azor.) refert Barb. *cit. num.* 18. citátque pro ea Gl. Cardin. Covar. ipséque in eam inclinat plures adducendo textus, & rationes, & inter ceteras, quòd testator ipse Ecclesiæ parochiali non debet dictam portionem, sed Ecclesia electa in sepulturam, adeóque hic compensare non possit, quod debet tertius, nempe dicta Ecclesia electa.

Quæstio 458. Cui Ecclesiæ debeatur Canonica portio?

1. REspondeo: Ecclesiæ, in quâ quis audire divina, & Sacramenta percipere consuevit, & jure debuit, hoc est, parochiali. *c. cum quis. de sepult. in 6.* Azor. *cit. c.* 13. *q.* 8. sive de jure (Cathedrali enim Ecclesiæ debetur non nisi ex præscriptione, vel quòd ea illam sibi reservârit, quando parochiales erectæ fuerunt, in signum superioritatis, & tunc inter Clericos illius Ecclesiæ dividenda, curâ non residente penes certam personam. Barb. *cit. c.* 25. *num.* 22. citans Rotam & Riccium) debetur parochialium rectoribus. *Clem. dudum.* Ugol. *de offici. Episc. c.* 17. *num.* 11. Barb. *num.* 20. in compensam nimirum laborum, quos subit parochus celebrando divina, & ministrando Sacramenta. Bass. *v. parochia. num.* 21. citans Gl. *in cit. c. cum quis.* Unde & parochus dictam quartam Canonicam petere potest tanquam debitum & mercedem laboris quasi actione locati, ut Feder. de senis *conf.* 3. *num.* 9. apud Barb. *num.* 32. vel condictione ex Canone, vel actione ex testamento, ut Pet. de Ubald. *c.* 3. *num.* 2. apud eundem. Et ubi nullus rector adesset, debetur Vicario perpetuo vel temporali, vel etiam sacerdoti conducto habenti curam parochianorum juxta Barb. *num.* 21. ubi pro hoc citat Riccium *in pr. p.* 2. *resol.* 299. *num.* 4. & c. *reliquisti. de testam.* Quinimo etiam dum non constat ex consuetudine vel alia ratione, cui debeatur, Episcopóne, an parocho, præfertur parochus; quia habet magis specialem curam; Episcopus tantùm generalem, debetur parocho ex causa onerosâ, Episcopo non nisi ex causa lucrativâ. Barb. *num.* 25. citans c. 1. *de sepult.* & Per. de Ubald. *de quarta Canonicâ p.* 2. *c.* 8. *num.* 14. Et si presbyter parochialis negligenter se gesserit in petendâ quartâ parochiali, jus habet Episcopus eam exigendi pro Ecclesiâ parochiali. Azor. *loc. cit. q.* 10. citans Hostiens. *in c. ult. de succes. ab intest.*

2. Hinc primò, si is, qui extra parochialem elegit sepeliri, decesserit extra locum domicilii sui cum animo redeundi ad illud commoratus alibi negotii vel recreationis causâ, adhuc debetur quota Canonica parochiæ, in qua habet domicilium. Barb. *num.* 26. Rodriq *qq. reg. to.* 3. *q.* 46. *a.* 3. Miran. *to.* 2. *q.* 48. *a.* 9. *concl.* 2. Bassæ. *loc. cit.* Idem est, dum infirmus ad aliam parochiam se deferri jubet, in qua decedit; quia debetur adhuc primæ isti parochiali quarta Canonica. Barb. *n.* 27. citans Sylv. *n.* 15.

3. Secundò: dum domicilium extra parochiam transferens moritur, antequam novum acquisivit, debetur adhuc parochiali isti quarta Canonica juxta Archidiac. *in c.* 1. *de sepult. in 6.* Rayner, Goffr. &c. apud Azor. *cit. q.* 8. eò quòd in ea sepeliri deberet, si non elegisset alibi sepeliri, aut si intestatus decessisset.

4. Tertiò: dum quis dimissâ Ecclesiâ tam parochiali, quàm eâ, in qua majores illius sepeliri consueverant, elegit aliam, quarta funeralis debetur dimissæ parochiali domicilii, non verò illi dimissæ, in qua habebat sepulchrum suorum majorum. Azor. *cit. q.* 8. Barb. *num.* 29. Miran. *loc. cit. concl.* 2.

4. Quartò: si quis jam infirmus transferat se ad monasterium, ibique habitu non assumpto, ex eadem infirmitate decesserit, & ibi sepulturam elegerit, solvenda est quarta parochiali: secùs si sanus intravit, ibique intra annum Novitiatûs decedit. Barb. Miran. Bass. *ll. cit.* nisi fortè ingressus animo exeundi. Zech. *de rep. Eccles. c.* 28. *num.* 18. apud Barb.

6. Quintò: dum quis æqualiter habet domicilium in diversis parochiis, ut habere potest juxta *c. dilectus. de rescript.* & extra utramque sepeliri elegerit, quarta debetur illi parochiæ, in qua decessit; quia in hac tunc erat sepeliendus, si sepulturam non elegisset. Bass. *l. cit. n.* 21. contra Sylv. & Azor.

zor. *cit. q.* 8. censentes tunc dividendam quartam funeralem inter duas illas parochiales; qui idem censent, dum quis habet unum domicilium in confinio duarum parochiarum, vel duas domos conjunctas in confinibus duarum parochiarum. Dum verò in unâ parochiâ solitus fuit audire divina, in alterâ percipere sacramenta, quartam integrè deberi Ecclesiæ, in qua recepit Sacramenta, cùm propriè parochialis sit, in qua quis solitus recipere Sacramenta, sentiunt Bass. *cit. n.* 21. Sylv. *de Canon. port. n.* 14. *&c.* citantes pro se *c.* 1. *de sepult. c. cùm quis. eod. tit. in* 6. contra Innoc. Joan. Andr. *in c. de his. de sepult.* Archid. *in c. cùm quis.* apud Azor. *l. cit. q.* 9. putantes & tunc quartam dividendam inter utramque Ecclesiam. Quòd si etiam jam infirmus in una parochia, præcipiat, ut ad alteram parochiam deferatur, & ibi decedat; primæ parochiali deberi quartam, quia in ea morbum contraxit, ex quo etiam decessit, sentit Azor. *l. cit. q.* 12. citans Sylv. *q.* 19. Rayner. & Hostiens.

7. Sextò: dum quis sepulturam elegit in propria parochiali, nihilque ei legat, dum tamen multa legat aliis Ecclesiis, Ecclesia illa propria, non quidem jure actionis, sed implorato superioris officio, ubi consuetudine id receptum est, ut qui elegit sepulturam in propria Ecclesia, ei certum aliquid relinquat, poterit id petere ab hæredibus defuncti; ubi verò hæc consuetudo non est, nihil petere potest, sed funeralibus tantùm contenta esse debet juxta Rayner, Sylv. apud Azor. *q.* 11.

8. Septimò: adhuc debetur parochiali quarta funeralis, dum quis nullam elegit sepulturam, sed ad parochialem deferendus erat, alibi tamen citra culpam parochi sepelitur. Barbos. *cit. c.* 25. *num.* 31. Amitteret tamen in hoc casu quartam, si culpâ, vel negligentiâ parochi defunctus ad aliam Ecclesiam delatus est, & sepultus; Non enim pro sepulturâ tantùm instituta est hæc quarta portio, sed pro onere etiam, quod incumbit curatis ministrandi non solùm subditis, quæ ad salutem pertinent; sed & procurandi, ne debitis & necessariis beneficiis fraudentur. Barb. *ibid.* juxta *c.* 1. *de his. de sepult.*

9. Denique renunciatio portionis Canonicæ facta in damnum parochialis invalida est; nisi fiat cum protestatione, quòd per hoc non fiat præjudicium juri Ecclesiæ. Barb. *nu.* 34. Compositiones tamen & pacta super juribus parochialibus facta inter Prælatos, Conventuales & parochos esse valida, etiamsi celebrata sint sine licentia superiorum, Provincialium nimirum, vel Generalium, modò licita sint, & honesta, & fiant cum consensu Conventûs, nec irritentur per subsequens Capitulum generale, vel provinciale, *ibidem* ait Barb. ex decreto Leonis X. in Concil. Lateran. Verúmque id esse, etiamsi dictæ Conventiones repugnent. *Clem. dudum.* eò quòd per illam revocentur factæ ante illam, non verò faciendæ de novo; quin & licet ibidem etiam Conventiones futuræ invalidarentur, adhuc vi decreti Leonis X. utpote posterioris dictâ *Clement.* valere, citátque pro hoc Portell. *V. Canonica portio. c.* 9. 10. Hieron. Rodriq. *in comp. qq. reg. resol.* 18. *nu.* 9. occasione hujus postremi

Quæstio 459. *An in concordia super emolumentis funeralibus, aliisque juribus parochialibus inter Capitulum & Vicarium, seu alium ad exercitium curæ deputatum, aliosque ejusdem Ecclesiæ Clericos, vel etiam inter diversas Ecclesias requirantur solennitates aliàs in concordiis super bonis & juribus Ecclesiæ requiri solitæ?*

1. REspondeo: ejusmodi transactiones, dum sunt inter duas Ecclesias (vel uti videtur ad summum etiam inter Ecclesiæ ejusdem duas Capellas vel beneficia, de quibus dici solet; non debet discooperiri unum altare, ut alterum cooperiatur) adeò ut agatur de privando unam aliquò jure in toto, vel in parte, ut istud alteri acquiratur; tales inquam concordiæ ut validæ, perpetuæ, & successorum obligatoriæ sint, subintrat *Extravag. Ambitiosæ. de rebus Ecclesiæ non alien.* adeoque requiritur beneplacitum Apostolicum (utpote non solùm comprehendens transactiones super bonis stabilibus, sed etiam super juribus in corporalibus, ac etiam jurisdictionibus, & præeminentiis, ut receptum in Rota, & Curia Romanâ apud Card. de Luc. *de paroch. d.* 26. *n.* 5.) Idem Card. *ibid. num.* 6.

2. Contrarium est, sive non intrat dispositio dictæ *Extrav. Ambitiosæ.* sed cum sola auctoritate Ordinarii transigi potest licitè & validè juxta *c.* 1. *& fin. de pactis in* 6. utpote quorum jurium dispositio alterata non est per dictam *Extravag.* juxta decision. Rotæ 402. *n.* 1. *p.* 5. *recent.* ubi jus habituale Ecclesiæ integrum ac salvum remanet, nullámque patitur scissuram; sed oritur discordia solùm inter ejusdem Ecclesiæ servientes ac ministros super fruitione ac distributione ac pertinentia emolumentorum, aliorúmque jurium, ita tamen ut ipsi Ecclesiæ præjudicium non resultet circa servitium & cultum; dum nimirum adjudicando majora emolumenta aliquibus, alii servitium deserrent, vel negligerent, sed immutato cultu & servitio componantur controversiæ super emolumentorũ repartitione; quoniam tunc Ecclesia remanet integrè Domina, & possedetrix; neque ejus principaliter interest, an uno vel alio modo ministri ejus emolumenta dividant. Idem Card. *ibid.* Porrò ex pacifica longâ observantia 10. annorum resultat præsumptio utriusque requisiti; nimirum quòd dum Episcopi ipsius non accessit auctoritas, sed Vicarii Generalis Episcopus dedisset Vicario suo hanc facultatem; vel quòd accessit ejus ratihabitio, quæ mandato æquiparatur, ejusque vim habet; & quòd id gestum fuerit à Vicario cognitâ causâ. C. Luc. *ibid. n.* 8. dum enim non adest residentia juris (uti ea hîc adesset, si intraret prohibitio *Extrav. ambit.*) in hac materiâ inducendi præsumptionem ex lapsu temporis juncti cum observantia, non requiritur tempus longissimum, sed sufficit longum. de Luc. *ibid. n.* 9. citans Menoch. *l.* 3. *præsump.* 131. *& seq.* Gabriel. *de præscript. concl.* 1. *&c.* quibus addendum, quod idem Card. ait *d.* 26. *n.* 4. nimis favorabilem in jure transactionem, præsertim ubi effectum sortita est per aliquod tempus; ideóque non facilè admitti ejus annullationem, & rescissionem; cùm etiam præceptum testatoris de non transigendo sperni valeat.

* * * * *
* * *
* *
*

PARAGRAPHVS III.

De jure percipiendi oblationes, decimas & primitias.

Quæstio 460. *Quid veniat nomine oblationum?*

Respondeo: oblationum nomine in genere veniunt actiones omnes, per quas, vel etiam res ipsæ, quæcunque offeruntur Deo ad exhibendum eidem cultum. Barb. *de off. paroch. c.* 24. *n.* 1. ex Soto *de justitia. l.* 9. *q.* 3. *a.* 1. Magis strictè oblationes dicuntur res, quæ intuitu religionis immediatè Deo ab hominibus absque immolatione adhibentur, ut scilicet vel in usum Ecclesiæ, vel in usum ministrorum cedant. Barb. & Sot. *ll. cit.* Bass. *v. parochus. nu.* 16. Tusc. *lit.* C. *concluſ.* 11. *n.* 1. sive res sint immobiles, sive mobiles, sive testamento legentur, sive aliter donentur. Barb. *n.* 3. citans Monet. *de decim. c.* 2. *num.* 9. Azor. *p.* 1. *l.* 6. *c.* 27. *&c.* cùm tres sint oblationum species. Prima donatio rei inter vivos facta Deo & Ecclesiæ. Secunda donatio causa mortis, solita dici mortuarium. Tertia usualis, dum offerunt ad altare, vel manum Sacerdotis, juxta *c. cùm inter. de verb. signif.* Barb. *ibidem*, quamvis usu & consuetudine receptum sit, ut solùm oblationes specialiter dicantur illæ res, quæ inter missarum solennia, ab his, qui missæ adsunt, in altari offeruntur, Bass. *loc. cit.* Porrò videtur ad rationem oblationis requiri, ut fiat Ecclesiæ, cùm, quod privatæ personæ offertur, non tam sit oblatio, quàm donatio aut Eleemosyna, etsi personæ Ecclesiasticæ donetur. Barb. *loc. cit. n.* 19.

Quæstio 461. *An, & quo jure debeantur oblationes?*

Respondeo: ad faciendas oblationes parochiani neque divino, neque humano ullo præcepto obligantur. Barb. *cit. c.* 14. *n.* 9. citans Less. *de just. l.* 2. *c.* 39. *num.* 34. Suar. *de relig. tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 21. *n.* 143. Abb. & Anchar. *in rubric. de paroch.* contra Gl. *in c. omnis Christianus. de consecr. d.* 1. Host. *in rub. de paroch.* §. 2. Lap. *alleg.* 58. *num.* 1. *&* 7. *&c.* tenentes esse præcepti positivi divini & humani propter illud Exod. 16. *non apparebis in conspectu meo vacuus*: & propter text. *cit. c. omnis Christianus.* ubi Gregor. VII. *omnis Christianus procuret ad missarum solennia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam illud Exodi, non apparebis &c.* Item *c. præter hoc. d.* 32. ubi Alex. II. *præcipiens statuimus, ut decimæ, primitiæ, seu oblationes vivorum & mortuorum Ecclesiis Dei fideliter reddantur à laicis &c.* Item *c. statuimus* 16. *q.* 1. *statuimus, ut siquis ad oblationes Ecclesiæ, quas populus dare debet, non teneri contenderit communione privetur.* quorum sententiam Bass. *loc. cit.* dicit, non esse improbabilem; etsi contrariam dicat esse communiorem TT. & Canonistarum, eò quòd oblationis nomine id significetur, quod quisque sua sponte & voluntate gratis & liberaliter offert; dicatúrque in Concil. Cabilon. sub. Carol. M. n. 6. *animarum salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi; oblatio namque spontanea esse debet &c.* Illud Exodi dictum sit cæremoniale. Barb. citatíque ab eo AA. Tex. ille *omnis Christianus*, consilium, non præceptum contineat. Bass. *l. cit.* textus ceteri intelligendi sint de uno illorũ modorum, quibus deberi adhùc possunt oblationes, juxta D. Thom. 2. 2. *q.* 86. *a.* 1. nimirum. Primò, dum debentur per modum censûs, pensionis, aut conventionis antea factæ cum Ecclesia. Secundò, dum debentur ex testamento, legato, donatione, voto. Tertiò, dum minister Ecclesiæ non habet congruentem sustentationem; tenentur enim tunc parochiani (nisi & ipsi tam sint inopes, & tenues, ut nequeant concurrere ad sustentationem parochi. Suar. *l. cit. n.* 8. qui etiam *n.* 7. censet non teneri ad hoc parochianos, nisi quando est necessitas orta ex eo, quòd parochiani non solvant decimas sufficientes ad sustentationẽ parochi) facere oblationes aliquas. Quartò dum alicubi consuetudine inductum est, ut v. g. diebus festis & Dominicis, aut in quibusdam solennitatibus offeratur aliquid, talis enim consuetudo etsi ab initio voluntaria, & minimè obligatoria, frequentata tamen deinceps quasi ex obligatione, seu animo obligationis contrahendæ per tempus legitimum (videlicet annis 10. ut Azor. Suar. Bass. *l. cit.* Barb. *n.* 11. Navar. *in man. c.* 13. *n.* 19.) & persistente in ea toto populo, seu majore ejus parte vim legis acquirit, AA. iidem. Suar. *l. cit. n.* 12. Less. *l. cit. n.* 39. Guttier. *l. cit. n.* 140. apud Barb. Idem est, dum ipsi Ecclesiarum Rectores longo tempore à parochianis oblationes quasi debitas bona fide exigunt, adeoque sibi per modum præscriptionis jus acquirunt. Bass. *l. cit.* possúntque in his casibus singulares, non observantes hanc consuetudinem, cogi per Superiorem ad illam servandam, præstandásq; parocho solitas oblationes. Barb. Nav. Suar. Azor. *loc. cit.*

Quæstio 462. *Ex quibus rebus, & à quibus fieri, aut admitti vetentur oblationes?*

1. Respondeo ad primum: oblationes nec faciendæ, nec admittendæ ex iis rebus, quæ injustè acquisitæ restitutioni sunt obnoxiæ. Neque etiam alio illicito exercitio, v. g. meretricio acquisitis, juxta *c. causa. de verb. signif. c. quia in omnibus. de usura. c. ex transmissa. de decim.* Barb. *cit. c.* 24. *n.* 13. Bass. *l. cit. n.* 18. ubi tamen etiam ait, nihil obstare, quo minus Ecclesia oblationes accipiat ex iis, quæ inhonestè, sed non injustè, acquisita sunt, cùm id nullo jure positivo prohibitum sit, citátque D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *a.* 2. *ad* 3. dum nimirum ex altera parte cessat scandalum. Neque de bonis justè quidem acquisitis, sed ex lege justitiæ, pietatis vel charitatis potiore jure debitis aliis, nimirum creditoribus, parentibus, filiis gravi necessitate, vel aliis pauperibus gravi inopiâ pressis. Bass. *ibid.* cum communi ex D. Tho. 2. 2. *q.* 86. *a.* 3. *in corp.* Barb. *n.* 20.

2. Respondeo ad secundum: faciendæ non sunt nec recipiendæ oblationes à personis, quas Gl. *in c.* 2. *d.* 90. *v. dona enumerat*: nimirum primò ab infidelibus; item ab Ecclesia præcisis, seu excommunicatis, eò quòd offerre munera in Ecclesia, vel ad altare, eadémque accipere, sit quædã Ecclesiastica & spiritualis communicatio. Bass. *cit. n.* 18. Armilla *v. oblatio &c.* cum communi. Secundò, à fratribus diffidentibus juxta *c. oblationes d.* 90. Barb. *n.* 15. Tertiò, ab opprimentibus pauperes. Barb. *ibid.* citans D. Thom. *a.* 3. Suar. *de relig. tom.* 1. *loc. cit. c.* 6. *n.* 4. Fusc. *de visitatione. l.* 1. *c.* 24. *n.* 10. Quartò, sacrilegis juxta *c. divino. q.* 2. Barb. *n.* 16. Quintò, ab extra-

extrahentibus per vim servos suos ab Ecclesiis, ad quas confugerant. *c. miror. 17. q. 3.* Gambar. *de immun. Eccles. l. 8. c. 1. n. 10. &c.* apud Barb. *n. 17.* Sextò à raptoribus hominum. *c. super eo de raptoribus.* Bass. *loc. cit.* Barb. *n. 18.* Septimò ab usurariis. *c. quia in omnibus. de usuris.* Barbos. *ibid.* Suar. *de cens. tom. 5. d. 31. s. 2. nu. 7.* Reginal. *in pr. fori pœn.* Azor. &c. apud Barb. *n. 18.* Octavò, à meretricibus publicis juxta D. Thom. *loc. cit. a. 3.* Nonò, ut addit Barb. *n. 19.* citans *c. eos. de consuet. d. 1.* à pœnitentibus. Atque hæc intelligenda de dictis peccatoribus non nisi notoriis & manifestis. Bass. *cit. nu. 18.* cum communi. Et ratio horum omnium est scandalum vitandum, v. g. ne Ecclesia videatur favere peccato, dum de mercede peccati accipere videtur oblationem. Unde & secluso scandalo posse ab his, etiam dum aliàs publici sunt, recipi oblationes, tradit Suar. *de relig. tom. 1. tr. 2. l. 1. c. 6. n. 8.* apud Barb. *num. 20.* qualiter v. g. secluditur scandalum, dum meretricis publicæ pœnitentia & emendatio nota est publicè. Bass. *loc. cit.* vel dum in occulto à talibus fiunt oblationes. Unde Suar. Azor. Regin. *suprà* de usurariis id intelligunt de oblationibus factis in altari ad offertorium missæ. Barb. *n. 18.* Et Suar. *cit. c. 6. n. 10.* apud Barb. *n. 21.* dicit, pretium oblationum, quæ ex consuetudine debentur à talibus, accipi posse extra Ecclesiam, non tamen exigi, & eas, quæ debentur pro sustentatione, etiam exigi posse extra Ecclesiam, quamvis & *ibidem* aliam rationem addat, nimirum ab hujusmodi peccatoribus accipiendas non esse oblationes inter missarum solennia, & tales confundantur: Ne tamen supra enumerati de sua iniquitate mercedem recipere videantur, prohibitionem de non offerendis & acceptandis eorum oblationibus, non procedere nisi de spontè oblatis, censent Gl. Archid. Turrec. *in cit. c. 2. d. 90.* apud Barbos. *cit. num. 21.*

Quæstio 463. Ad quem spectent oblationes, tam quæ jure debentur, quàm quæ spontè offeruntur?

1. REspondeo primò: nullo unquam modo aut tempore laicos prætendere posse jus proprium in oblationes, unde dum eas auctoritate suâ percipere intendunt, pœnas incurrunt sacrilegii juxta *c. hanc consuetudinem. 10. q. 1.* Bass. *v. parochus. n. 17. §. notand.* & apud illum Rebuff. *tract. de decimis. q. 13. n. 64.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 27. q. 15. &c.*

2. Respondeo secundò: oblationes utræque de jure communi spectant ad parochum, seu presbyterum Ecclesiæ Rectorem, habétque Ecclesia parochialis post factam parochianorum divisionem de jure communi actionem suam fundatam supra omnibus oblationibus factis intra districtum suum. Abb. *in rub. de parochis. & in c. pastoralis. de his, quæ fiunt à prælatis.* Azor. *loc. cit. num. 13.* Fagund. *ad 5. præc. Eccl. l. 4. c. ult. nu. 1.* Sylv. *v. decimæ §. 2.* apud Bass. *cit. num. 17.* Hinc primò oblationes factæ in cathedrali, etiam tempore jubilæi spectant, non ad Episcopum, sed ad archipresbyterum ejusdem Ecclesiæ, cùm is ibi habet, & exercet curam animarum administrando sacramenta; habet enim eo ipso jure communi fundatam intentionem in omnibus oblationibus ibi factis privativè ad Episcopum. Barb. *loc. cit. nu. 27. & 29.* citans sic resolutum à Rota ex S. Congreg. Conc. citátque pro hoc Abb. *in c. quoniam. de decimis.* Malvet. *de oblationibus. du. 4. nu. 401.* Ferret. *cons. 143.* Riccium &c.

3. Secundò, debentur parochiali & parocho oblationes, quæ fiunt in certo oratorio, capella, seu sacello sito intra parochiæ fines, iidem AA. cum & apud Bass. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. n. 24.* citant Socinum *de oblat. libell. 18. n. 9.* Guttier. *qq. can. l. 2. c. 21. n. 139.* Leon. *in thes. fori Eccles. p. 2. c. 28. n. 19. & 31. &c.* Idque verum, etiamsi in istiusmodi capellis erecta essent distincta beneficia, ut oblationes ibi factæ non capellis eorúmque beneficiatis, sed parochiali & parocho cederent. Barb. *num. 25.* citans Abb. *in c. pastoralis.* Socin. *ubi ante num. 10.* Fusc. *de visit. l. 1. c. 14. nu. 12.* & plures Rotæ decisiones.

4. Tertiò, oblationes factæ alicui capellæ in Ecclesia existenti, non capellano, sed Ecclesiæ & Rectori ejusdem debentur. Barb. *nu. 22.* citans Felin. *in c. dilectus. de off. Ordinarii num. 1.* Socinus *ubi ante quæst. fin.* etiamsi constet factas esse intuitu ipsius capellæ non Ecclesiæ, Barb. *ibid.* citans Anton. Genuens. *in practica Archiep. Neapol. c. 72. n. 14.* Riccii *in pr. p. 4. resol. 296. n. 2* Hucron. Carat. *in opusc. de juribus paroch. tit. 3. c. 9.* ubi etiam, quod in dubio oblationes, quæ fiunt in altari, præsumuntur fieri Ecclesiæ.

5. Quartò, etsi oblationes, quæ fiunt imagini positæ extra omnem parochiam, debeantur Episcopo, ut Abb. *in c. dilectus. n. 4.* apud Barbos. *cit. c. 24. n. 29.* eæ tamen, quæ fiunt imagini positæ intra parochiam, sive ea posita aut picta sit in ipsa parochiali, sive extra, intra tamen limites parochiæ, debentur parocho, & non Episcopo. Barbos. *ibid.* dicens hanc esse sententiam veriorem, & receptissimam hodie juxta *c. pastoralis, de his quæ fiunt à prælat.* ubi canonistæ, & *cit. c. dilectus.* ubi Abb. & citans pro ea Azor. *p. 1. l. 7. c. 38. q. 13.* Guttier. *qq. can. l. 2. c. 21. n. 162.* Mareschot. *varia resol. l. 2. c. 42. n. 6.* Bellet. *disquisit. Cler. p. 1. tit. de bonis Cler. §. 3. n. 3.* Riccium *in decis. curiæ Archiep. Neapol. decis. 170. n. 7.* D. Thom. *2. 2. q. 86. a. 2.* & plures Rotæ decis. contra Pet. de Ubald. *de can. post. c. 4. q. 16.* Angel. Malvet. &c. stantes pro Episcopo. Cùm hac tamen limitatione; nisi hæ oblationes fiant hac intentione, ut in honorem vel ornatum imaginis, vel sacelli insumantur; nam sicut legatum semper persolvendum est juxta mentem legantis, ita & oblationes juxta mentem offerentis. Bass. *ibidem.* citans Bonac. *tom. 2. de præc. Eccl. d. ult. q. 5. p. ult. n. 5.* Quin & oblationes factæ imagini depictæ in pariete domus alicujus personæ cedunt parochiali, intra cujus fines situs est paries, nisi offerens obtulisset consideratione Domini domûs, puta, si is esset pauper, vel offerens sciret, Dominum domûs ex consuetudine convertere oblationes in suas necessitates, vel in suos usus; Idque non obstante *c. hanc consuetudinem. causa 11. q. 1.* utpote quod loquitur de oblatis in Ecclesia, non in loco profano. Carat. *l. cit. n. 11.* apud Barbos. *n. 26.* Sed neque posse Episcopum vel Ordinarium imagines hujusmodi transferre ad aliam Ecclesiam, vel Capellam contradicente parocho. Card. de Luc. *d. 32. de paroch. n. 6.* decisum esse ait à Rota *Hispalen. translationis imaginis 9. Martii 1598.* prout referunt Mareschot. *variarum resol. c. 42. n. 10.* Ventriglia *in praxi rerum Eccl. annot. 86. §. unico. n. 26.*

6. Quintò, debentur parocho, quæ offeruntur in monasteriis Religiosorum, & in eorum sacellis, nisi fortè per privilegium Papæ ipsis Religiosis attributæ sint, vel nisi contra Rectorem parochiæ præ-

præscripserint isti regulares. Bass. *ibid.* citans Azor. *ubi ante cit. q.* 13. & Fagund. *loc. cit.*

7. Sextò, quæ offeruntur Clerico rem divinam facienti in aliqua parochia de jure, vel etiam de ordinariè ferè & communiter recepta consuetudine spectant ad parochum, seu Rectorem illius Ecclesiæ, in qua celebrat; vel ad alium Sacerdotem, ad cujus jurisdictionem altare spectat, modò non tradantur isti Sacerdoti tanquam stipendium sui laboris; tunc enim ad illum spectant. Bass. *l. cit. ibidem* citans Regin. *l.* 19. *n.* 85. & Azor. *d. q.* 13. Barb. *n.* 28. citans Carat. *ubi ante. c.* 13. qui tamen *ibidem in fine* ait: oblationes, quæ fiunt in missa de sponso, quæ celebratur à parocho in aliena parochia, cedunt celebranti, cùm ejus contemplatione dentur. De cetero in his omnibus servanda consuetudo, siquæ in quibusdam locis est alia legitimè præscripta. Bass. remittens ad Suar. *tom.* 1. *de relig. tr.* 2. *c.* 7. Filiuc. *tr.* 27. *p.* 2. *n.* 139. Illarianum, Socinum. &c.

8. Porrò quod dictum hucusque fuit, spectare istiusmodi oblationes ad parochum, id limitandum juxta paulò ante insinuata, ut id solùm locum habeat, dum oblationes in Ecclesiis, Sacellis, vel ad imagines factæ ex piorum offerentium voluntate non destinantur ad certum usum, puta pro missis legendis, fabrica, vel ornamentis; solùm enim in dubio, seu ubi talis certa destinatio offerentis non accessit, aut de ea non constat expressè, vel adminiculariter aut conjectualiter, spectant ad parochum, aliàs dicta voluntas præcisè servari debet, utpote cuicunque dispositioni juris prævalens. Card. Luc. *d.* 19. *de decim. n.* 9. Barb. *num.* 30. citans Maresch. & Riccium, *ubi ante.*

9. Præterea in specie quo ad oblationes factas imagini alicui, hoc ipsum ulterius sic limitandum, ut procedat in oblationibus modicis; non verò in magnis, seu etiam in minutis, quæ tamen ob nimiam frequentiam magnæ quoque dici merentur; eò quòd talis quantitas vel frequentia oblationum concursusque populi verisimiliùs præseferat voluntatem devotorum offerentium ea potius in fabricam, ornamentum vel dotem Capellæ, vel Ecclesiæ, in qua sita imago, vel ut nova construatúr illius honori Ecclesia; uti praxis docet, dum ex talibus initiis sumptuosissimæ surrexerint Ecclesiæ, quàm ad impinguandum Rectorem Ecclesiæ, aut donandum ea Episcopo, atque ita supradicta regula adjudicans eas oblationes parocho non est generalis determinata, ut præcludat super his Ordinarii arbitrium, ita bene regulatum, ut in eodem loco imaginis nova construatur Ecclesia. Card. de Luc. *de paroch. d.* 32. *n.* 5. *de jurep. d.* 12. *n.* 10. *de decimis, d.* 19. *n.* 9. *& seq.* ubi tamen *num.* 11. hæc restringit ad imagines de novo repertas, aut etiam ad antiquas, ad quas ob recenter facta quædam miracula vera vel opinata populus incipit concurrere: si enim, ut inquit *num.* 13. agatur de antiquis Ecclesiis, vel imaginibus, ad quas ex longa jam consuetudine à pluribus annis populus cum eleemosynis vel oblationibus annuatim solet concurrere, tunc istas oblationes & eleemosynas adhuc spectare ad parochum seu Rectorem tanquam fructus, si ex eo longo usu sint quasi certæ & uniformes: de cetero tametsi parochus non habeat intentionem fundatam ad effectum, ut tunc eas oblationes convertat in proprium, dum impendi debeant in usum à largientibus destinatum; adhuc tamen administratio earundem, dum in certum usum erogandæ sunt, spectabit ad solum parochum. Barb. *ibidem* citans Abb. *in c. pastoralis. de his, quæ fiunt à Prælat. n.* 2. Ferret. *cons.* 143 *num.* 4. Ita tamen, ut prohibendus non sit Episcopus, sive ex dispositione juris communis, cùm dicatur parochus parochorum, sive ex dispositione Trid *sess.* 22. *c.* 8. *&* 9. ut rationes administrationis debeant ei reddi, atque superintendentiam quandam habeat. C. de Luc. *d.* 19. *de decim. num.* 12. Denique in his omnibus tam quoad punctum administrationis istiusmodi oblationum, quàm quoad jus eas percipiendi, & in tota hac oblationum materia plurimùm admittenda & observanda est consuetudo legitima & præscripta, si quæ est in diversis locis diversa. Barb. *loc. cit. n.* 31. citans Riccium, *ubi suprà n.* 9. Gratian. *discep. for. c.* 395 *n.* 25. Bass. *l. cit.* remittens ad Suar. *ubi suprà c.* 7. Filiuc. *tr.* 27. *p.* 2. *nu.* 139. Socinum *de oblat. l.* 18. *n.* 17. 18. & 26.

Quæstio 464. *Quid sint decimæ?*

Respondeo: decimæ, de quibus jus canonicum *l.* 3 *tit* 30. sunt pars decima fructuum, debita ministris Ecclesiæ ob ministerium spirituale. Bass. *v. decimæ. n.* 1. & jus decimandi est jus ab Ecclesia concessum ob ministrationem divinorum percipiendi & exigendi decimam partem fructuum. Ita ferè Barb. *de off. parochi. c.* 28. *num.* 5 ex D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *a.* 3. Solet de cetero decima sumi quandoque pro ipso jure percipiendi fructus decimarum, licet ordinariè importet ipsam perceptionem, seu ipsos fructus, qui decimarum nomine capiuntur. Barb. §. 2. *nu.* 1. ex D. Thom. *loc. cit.* & hoc secundo modo acceptum constat esse, quid mere temporale, utpote formaliter consistens in ipsis rebus seu fructibus temporalibus.

Quæstio 465. *Quotuplices sint decimæ?*

1. Respondeo primò: decimæ, seu jus decimandi aliud est profanum & merè laicale, ortum ducens ex eo, quòd Domini merè temporales datis prædiis suis in usum fructum, feudum, vel Emphyteusin loco tributi, pensionis annuæ vel canonis imposuerunt decimam, vel aliam partem fructuum pendendam, aut per speciem collectæ seu contributionis indixerunt subditis suis. Card. de Luca *de decim. d.* 6. *n.* 8. Laym. *Theol. moral. l.* 4. *tr.* 6. *c.* 2. *n.* 5. ex Gregor. Tholos. *in syntag. juris. l.* 2. *c.* 20. Aliæ sunt Ecclesiasticæ, quarum iterum aliæ, quæ nimirum primævam suam institutionem retinentes, Ecclesiæ ministris ob spirituales eorum functiones stipendii loco à fidelibus præstantur, ideoque propriè spirituales & Ecclesiasticæ dicuntur; aliæ verò, quæ à titulo spiritualis officii separatæ ex concessione Ecclesiæ ob justam causam laicis personis obveniunt, ideoque laicales etiam decimæ appellari solent, longè tamen à prioribus istis laicalibus distinctæ. Laym. *loc. cit.* Porrò in dubio, utrum decimæ profanæ sint, an Ecclesiasticæ, secundùm primam originem & jus radicale præsumuntur Ecclesiasticæ & spirituales inter Christianos, adeoque intrat consuetus effectus præsumptionis transferendi nimirum onus probandi in adversarium. Laym. *n.* 6. C. de Luc. *l. cit. num.* 17. juxta plures Rotæ decis. ibi citatas, & Bald. *l.* 1. *consil.* 419. quamvis, ut C. de Luc. *ibid. n.* 11. & 12. ex eo, quod possunt esse merè profanæ, hæc possibilitas sufficiat ad tollendam vehementem illam juris resistentiam (vi cujus aliàs non sufficit possessio

sine

sine titulo legitimo, vel saltem colorato ad manutenentiam obtinendam in judicio possessorio) & ad possessorem manutenendum. Iterum in dubio utrum decimæ spirituales manserint, an verò à spirituali titulo abstractæ, & laicis in perpetuum collatæ fuerint, pro Ecclesia præsumendum est; quòd enim mutatio, sive alienatio talis acciderit, est factum, idque odiosum Ecclesiæ, quod non præsumi, sed ostendi debet. Laym. *cit. num. 6.* De cetero terminum *decimarum* æquè competere dictis merè laicalibus & temporalibus, quàm spiritualibus decimis, ostendit Card. Luc. *d. 9. de decim. n.* 10.

2. Secundò, decimæ aliæ sunt prædiales, seu reales; aliæ personales, aliæ mixtæ, juxta Azor. *p.1.l.7.c.34.q.3.* Fagund. *ad præcept. 5. l.1. c.2. num.1.* Castrop. *tr.2. lib. 10. p.1. n.2. &c.* vel comprehendendo sub prædialibus mixtas (ex eo, quòd sicut fructus agrorum, licet majorem industriam requirant, quàm arborum, sub eadem tamen divisione fructuum prædialium comprehendantur, ita etiam fructus animalium, etsi industriam quoque majorem requirant, dici possunt comprehendi adhuc sub prædialibus.) aliæ sunt prædiales, aliæ personales. Suar. *tom.1. de relig. tr.2.l.1.c.9.n.4.* Barb. *loc. n.* 10. juxta *l. pecudum. ff. de usu.* prædiales dicuntur, quæ debentur ex fructibus prædiorum, v. g. ex agris, arboribus, piscinis, molendinis, locationibus ædium &c. Castrop. *l. cit.* personales, quæ debentur ex fructibus humanæ industriæ, v. g. ex negotiatione, ludo, bello, venatione, &c. Et quales non sunt acquisitæ per donationem, hæreditatem, aut legatum, cùm non dicantur acquisita ex industria hominis. Bass. *l. cit. n.* 4. Mixtæ, quæ debentur ex iis, quæ partim ex industria humana, v. g. in pascendis pecoribus adhibita, partim ex natura seu prædio proveniunt, v. g. ex animalium lana, lacte, butyro, &c. quamvis ut dictum revocentur ab aliis hi fructus ad prædiales, & fortè melius cùm vix dentur reales seu prædiales, quorum perceptio non dependeat etiam ex industria personæ, ut Barb. *n. 9.*

Quæstio 465. *Quo jure debeantur decimæ?*

Respondeo: tempore legis scriptæ jure divino posito debebantur decimæ, habito etiam respectu ad quotam seu partem præcisè decinam, tam prædiales quàm mixtæ, hoc est fructibus terræ & animalium. *c.22. & 23. Exodi. c.57. Levitici.* personales autem etsi solvi poterant, non tamen debebantur, quia de his nihil in dictis capitibus. Barb. *l. cit. num.9.* Suar. *num.6.* Castrop. *num.3.* In lege gratiæ decimæ spectatæ in ratione congruæ sustentationis ministrorum Ecclesiæ, debentur jure divino tam naturali quàm positivo; evidens enim ratio naturalis dictat, oportere stipendium, seu sustentationem exhiberi iis, à quibus accipitur servitium necessarium, qualis est administratio rerum spiritualiu & divinarum, quæ ipsa obligatio jure quoq; divino positivo exprimitur illis Christi Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* & Paulus ad Cor. 9. *Nemo stipendiis suis militavit unquam: & si vobis spiritualia seminavimus, magni non est, si nos carnalia vestra metamus.* Nequaquam tamen sub hoc respectu ad quotam nimirum decimam debentur decimæ in lege gratiæ ullo præcepto divino, non naturali; quia quòd sustentatio dictorum ministrorum sit debita, item quòd recognitio divinæ excellentiæ & supremi dominii (quamvis huic obligationi recognoscendi divini dominii per oblationem alicujus partis bonorum in lege gratiæ sit plenè satisfactum per oblationem sacrificii missæ, quod solùm in istũ finem offertur. Castrop. *p. 2. n. 2.*) per applicationem & oblationem potius decimæ, quàm duodecimæ, vel octavæ, nulla ratio naturalis evincit, cùm nec in lege naturæ fuerit obligatio solvendi præcisè decimam; quòd enim Abraham obtulerit decimas Melchisedecho, id spontaneũ fuit: quòd Jacob *Genes. 28.* Deo promiserit decimas cunctorum, ex voto fuit. Neque jure positivo; quia nullum hac de re præceptum à Christo latum, vel ab Apostolis promulgatum ostendi potest; lex autem antiqua de decimis & generaliter omnia præcepta tam ceremonialia quàm judicialia, juxta Paulum *ad Gal. 3.* & D. Thom. *1,2.q.108.a.1.* vivente Christo cessarunt. Adde, quod Ecclesia uti & consuetudo eximat aliquos ab obligatione solvendi decimas, quod fieri non posset, si esset obligatio juris divini. Debentur tamen decimæ tam personales quàm prædiales sub dicta ratione jure Ecclesiastico, ut constat ex toto *titulo de decimis.* & Trid. *sess.25 c.12.* quamvis ex consuetudine toto ferè orbe Christiano legitimè præscripta decimæ personales non solvantur; eò quòd ministris Ecclesiæ aliunde provisum sit. Bass. *l.c.n.4.* citans Regin. Nav. Castrop. *p.6.n.10.* citans Abb. *in c. cùm homines h.t. n. 5.* Sa. *v. decima. n.1.* Valent. *d.6.q.5.p.3.* Suar. &c. Hanc autem quotam seu decimam partem justè taxavit Ecclesia, tum ob imitationem legis scriptæ, tum ne fideles minus gratos se ostenderent, utpote majora beneficia accipientes à ministris suis. Bass. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. num. 5.* & quidem specialiter quoad decimas personales, ut fideles novæ legis se gratiores exhibeant ministris suis ob majora ab iis accepta beneficia, ac præcipuè quia multæ familiæ, civitates & respubl. nullum agrum habent aut pecora, ex quibus prædiales decimas solverent. Castrop. *l. cit. n. 5.* citans Less. *cit. c. 39. du. 2.* & Suar. *ubi ante c. 41.*

Quæstio 467. *Ex quibus rebus solvendæ decimæ personales, ubi eæ adhuc sunt in usu?*

1. Respondeo primò: de jure communi non debentur hæ decimæ ex bonis adventitiis, puta, quæ donatione, legato, hæreditate, similive titulo obveniunt. Castrop. *l.c.p.6. n.3.* citans Innoc. *in c. non est. n.2.* Suar. *l. cit. c.31. n.6.* Valent. *to.3. d.6. q.5.p.3.* Bonac. &c. Barb. *de off. paroch. c.28. n.26.* citans Sylv. *in sum. v. decimæ. n.12.* Monet. *de decim. c.4. n.37.* Rebuff. &c. contra Azor. *l. cit. c.15. q.8.* quatenus hic cum Gl. *in c. decima 16. q.5.* apud Barb. *n.27.* tenet, deberi decimas hæreditatis provenientis ab intestato; non verò provenientis ex testamento. Item quatenus is *ibid.* cum Sylv. & Gl. *in c. pastoralis.* apud Barb. *l. cit.* tenet solvendas decimas ex hæreditate ab hærede extraneo; non verò à filio hærede: Item quatenus *ibid.* ut Castrop. *cit. n.2.* tenet, solvendas ex rebus nobilibus hæreditaris, secùs de immobilibus. Ratio autem nostræ responsionis est, quod decimæ non solvantur, nisi ex fructibus à terra vel hominis ministerio productis; jam verò res legatæ, donatæ hæreditariæ, non sunt fructus ex terra seu prædio, nec fructus personæ ex ejus actione, industria, labore provenientes. Unde etiam ipsa persona legatarii, donatarii &c. non tam propriè

talia

talia bona acquisivit, quàm eidem acquirantur, nempe dependèter ex alterius hominis voluntate. Barb Castrop. *loc. cit.* qualiter etiam adhuc ex tacita defuncti voluntate (in qua lex ita statuens fundatur) censetur hæreditas ab intestato provenire. Barb. *n.* 27. Et certè congruum est Pontifices in constituendis decimis imitatos legem veterem, in qua non ex terris & possessionibus donatis Israelitis, sed ex earum fructibus debebantur decimæ, non tam de rebus ipsis donatis, quàm de earum fructibus decimas solvendas constituisse; ne de cetero res immobiles facilè omnes devenirent ad Ecclesias. Barbos. *l. cit.* Quapropter jam textus universaliter loquentes, & præcipientes de omnibus licitè acquisitis decimas solvi, intelligendi solùm de omnibus, quæ quis propriè, hoc est, propria actione, & labore acquirit. Castrop. *cit. n.* 3. Nihilominus si legatum vel donatio fiat de rebus frugiferis simul cum fructibus, sine dubio decimam (intellige ex istis fructibus) solvendam; ait Barb. *l. cit. n.* 28. juxta tex. *c. pastoralis. de decim.* eò quòd tum temporis censeantur dari, seu relinqui cum suo onere.

2. Respondeo secundò: etsi ex injustè acquisitis & possessis rebus frugiferis decimæ prædiales solvi debeant, v.g. ex agro, piscina, molendino, &c. injustè occupato & detento; Item ex animalibus captis; à quocunque enim possessore detinentur, talis prædialis decima fructuum inde proventium solvenda, juxta *c. à nobis. de decim.* Less. *cit. c.* 39. *n.* 13. Barb. *loc. cit.* §. 1. *n.* 29. citans Abb. *in c. pastoralis. in c. cùm homines. in c. commissum. de decim.* Rebuff *de decim. q.* 5. *n.* 18. Azor. *cit.* 35. *q.* 13. Monet, *c.* 24. *n.* 39. *&c.* Decimæ tamen personales ex acquisitis ministerio personali, dum ea obnoxia sunt restitutioni, puta, acceptis spolio, rapina, furto, usurâ &c. solvendæ non sunt, nec recipiendæ, cùm in effectu non sint illorum detentorum, aut illis acquisita, ac consequeuter hi de iis contra voluntatem Domini disponere nequeant. Barb. *n.* 30. Monet. *loc. cit. n.* 42. Castrop. *cit. p.* 6. *n.* 5. & apud hunc Suar. *l. cit. c.* 37. *n.* 7. Less. *l. cit.* qui tamen rectè addit, eum, qui fructus non decimatos accepisset, debere ex iis decimam. Ex injustè seu injusta actione & ministerio acceptis, justè tamen retentis, puta, ex fornicatione, homicidio &c. ubi peccatum est publicum, & turpis lucri causâ continuatur, non debentur decimæ, uti nec Ecclesia attento jure eas recipit, ne alìàs recipiendo videatur acquirentium improbitatem approbare, eorúmque peccatis communicare. Secùs est, ubi causa lucri peccaminosa non est publica, adeoque nec scandalosa, aut jam cessavit; cùm tunc quoque cesset in Ecclesia præsumptio approbationis. Castrop. *loc. cit. n.* 6. citans D. Thom. 2. 2. *q.* 87. *a.* 2. *ad* 1. Azor. *ubi ante.* Suar. *cit. c.* 31. *num.* 7. Fagund. Bonac. Valent. &c. Barb. *num.* 31. qui tamen ait, deberi in rigore juris ex iis decimam, sed non esse recipiendam, nisi post peractam pœnitentiam: v. g. à meretrice publica, usurario, &c. vide dicta hac de re de oblationibus. Addit etiam Barb. *num.* 33. quod etsi ex pecunia usuraria malè retenta, adeoque restituenda, quis non debeat decimas, debeat tamen illas ex fructibus prædii, quod tali pecuniâ usuraria seu usuris parta, eò quòd citatis Covar. *c.* 3. *n.* 6. Soto *l.* 6. *de just. q.* 1. *a.* 4. Nav. *in man. c.* 17. *n.* 25. Medina &c. contra Bald. Decian. & alios teneat, talem non teneri restituere prædium illud tali pecunia comparatum, neque fructus, etiam dum aliunde potest, quodque fructus prædii sint reales, adeoq; decimæ ex illis collectæ sint prædiales, consequenter sive hi fructus licitè, sive illicitè ex inde percipiantur, decimæ ex illis sint solvendæ.

3. Respondeo tertiò: ex minimis etiam justè acquisitis, præscindendo à consuetudine, quæ aliàs servanda, decimæ non debentur, eò quòd indecorum sit & rationi dissonum, ministros Ecclesiæ esse exactores minimorum, idque repugnet liberalitati, sapiátque avaritiam; sed neque appellatione *omnium* veniant minima. Argumento *l. Seio. ff. de in integ. restit.* Barb. *cit. n.* 33.

4. Respond. quartò: de pretio accepto pro re vendita non debentur decimæ, nisi fortè lucrum aliquod accresceret ex venditione; cùm pretium neque sit fructus personæ, neque rei, sed res vendita æquivalenter. Castrop. *cit. p. 6. n.* 4.

5. Respondeo quintò: non debetur decima ex fructibus seu lucro parto labore personæ, si fructus isti sint res immobiles; secùs si mobiles, juxta eundem Castrop. *ibidem.*

6. Respondeo sextò: solvendæ sunt decimæ ex lucro facto per militiam, intellige, non tantùm ex captis justo bello, sed etiam ex stipendiis. Rebuff. *cit. q.* 8. *n.* 11. apud Barb. *cit. c.* 28. §. 1. *n.* 19. Item per negotium, artificium & opificium, advocaturam, &c. etsi enim istiusmodi lucra sint justa stipendia laborum, sunt tamen etiam fructus personæ. *c. transmissæ. de decimis. c. decima* 16. *q.* 1. Suar. *l. cit. n.* 3. *& seq.* Fagund. *l. cit. c.* 2. *n.* 10. Rebuff. *l. cit. q.* 8. apud Castrop.

Quæstio 468. *Ex quibus rebus solvendæ decimæ prædiales?*

1. Respondeo: debentur ex primò in genere ex omnibus fructibus & proventibus rerum mobilium & immobilium. *c. transmissa. c. tua nobis. &c.* D. Thom. *l. cit.*

2. Secundò: in specie, agendo de iis, in quibus esse posset majus dubium, debentur ex palea; unde si triticũ decimetur post trituram, manet obligatio solvendi decimam paleæ. Castrop. *p.* 7 *n.* 1. citans Azor. *ubi ante q.* 9. Suar. *c.* 34. *n.* 2. Fagund. *l. cit. c.* 4. *n.* 2. Abb. *in c. pervenit. de decimis. n.* 3. & alii apud Barb. *cit. c.* 28. §. 1. *n.* 2.

3. Tertiò: ex oleribus & leguminibus, exceptis minutis oleribus, quæ ex hortis colliguntur, non ad lucrum, sed ad quandam commoditatem & voluptatem familiæ. Castrop. *ibid.* citans D. Tho. *ubi ante a.* 2. *ad* 3. Sot. *l.* 9. *de just. q.* 4. *a.* 2. *ad* 3. Suar. *c.* 34. *n.* 7. *&c.* Barb. *n.* 5. inquiens, servandam consuetudinem, quòd decimæ olerum solvantur in pecunia, & non in speciebus.

4. Quartò: ex proventibus molendinorum vento agitatorum. Suar. *ibid. n.* 3. Fagund. *l. cit. c.* 4. *n.* 3. Castrop. *ibid.* juxta *c. pervenit. & c. ex transmissa, de decim.*

5. Quintò: in animalibus, uti & de fructibus ab iisdem provenientibus, puta lacte, lana &c. Castrop. *ibid.* etsi ex genitura animaliũ sylvestrium non debeantur decimæ, nisi quando capiuntur, & interficiuntur. Suar. apud Eundem.

6. Sextò: ex examinibus apum, quæ de novo prodeunt, non videntur deberi decimæ; cùm habeantur quasi animalia sylvestria, & industriæ personæ tribui debeat, quòd colligantur. Azor. *l. cit. c.* 34. *n.* 4. Castrop. *cit. n.* 1. de alvearibus tamen solvendam esse decimam, ubi habet consuetudo, tenet Azor. apud Barb. *n.* 11.

7. Septimò: de lapicidinis, non quidem quòd ex 10. lapidibus detur unus, sed ex pecunia, quam quis inde lucratur. Azor. *cit. c.* 35. *quæst.* 4.

Re-

Rebuff. *cit. q.* 8. *n.*23. Monet. *c.* 4. *n.*33. apud Barb. *n.*22. Idem & de auri fodinis.

8. Octavò ex locatione domûs, piscinæ, furni, prati. &c. Castrop. cum communi; si tamen pratum non elocetur, neque herba inde colligatur, sed animalia tua ibi pascant, non deberi ex herba decimam, cùm non videatur esse debita, antequam sit collecta, vel ratione locationis pretium datum, Azor. *l. cit.* apud Castrop. *n.*1. Sed neque hac ratione debetur decima duplex ex eadem re, si solvenda decima & elocanti ex pretio elocationis, & locatario ex fructibus inde collectis, nam locans solvit decimam prædialem, nimirum ex accepto pretio locationis piscinæ, v. g. conductor solvit decimam personalem ex lucro; quod habet, deducto pretio, quod dare debet pro locatione, & deductis omnibus expensis, quas facit in colligendis piscibus, adeoque decima non solvitur ex eadem re; quia pretium locationis deducitur. Castrop. ex Suar. *cit. p.* 7. *n.* 2. Porrò in quæstione, an ex rebus emptis seu acquisitis, v. g. agris pro pecunia, vel fructibus indecimatis debeatur non solùm decima ex lucro, sed etiam decima ex dicta pecunia, pro qua empti agri, utpote indecimata. Abb. *in c. pastorali. nu.* 6. cum aliquibus respondet affirmativè, ex eo, quòd *cit. c. pastoralis.* dicatur ex rebus acquisitis pecuniam decimatâ non deberi, nisi decimam de lucro &c. adeoque à contrario sequi videatur ex emptis pecuniâ non decimatâ deberi & aliam decimam, Respondet Castrop. *cit. p.* 7. *n.* 3. citans Suar. *dicto l.* 1. *c.*38. *à. num.* 12. nimirum, neque in foro interno, neque externo deberi tunc decimam ex pecunia dicta indecimata, sed solùm de lucro pacto per emptionem, eò quòd sicut, qui emit agrum usurariâ pecuniâ, non debet fructus solventi usuras, cùm bona empta alterius pecuniâ (nempe illius, cui pecunia illa debebat restitui) non sunt illius, cujus est pecunia, ita etiam ager emptus pecuniâ indecimatâ non sit Ecclesiæ, nempe pro rata istius decimi correspondente decimæ pecuniæ illius indecimatæ, pro qua emptus.

Quæstio 469. *Quando, & qualiter solvendæ decimæ personales?*

1. Respondeo ad primum: has decimas (ubi adhuc sunt in usu, sicut eas esse in usu in multis Hispaniæ partibus, testantur Nav. & Guttier apud Barb. *cit.* §. *n.* 27.) deberi non nisi in fine anni, & in aliquibus locis non nisi in fine vitæ; unde si quis lucrum ex negotiatione, militia, ludo, &c. acquisitum perdat intra annum, non tenetur solvere decimam, nec ratione rei, quam non habet, nec ratione injustæ acceptionis, quia pars ista decima non erat debita, priusquam annus, vel vita terminaretur. Castrop. *cit. p.* 6. *n.* 6. citans Sa. *v. decima. nu.* 1. Azor. *cit. c.*35. Abb. *in c. pervenit. de decim. c.*3. Suar. *cit. c.*37. *n.*3. ubi ait, computationem anni faciendam secundùm communem cursum, vel assignandam communi conventione.

2. Resp. ad secundum: non nisi prius deductis expensis decimæ solvendæ ex lucro negotiationis & similium, juxta *c. pastoralis.* per quod tanquam jus posterius derogatum est. *cap. non est. &c.* in quo aliàs præcipiebat Pontifex, integrè solvere decimas, antequam ex bonis ibi notatis (inter quæ numerantur ibidem non solùm fructus prædiales, sed & personales) deducerentur ullæ expensæ. Ita Cl. Innoc. Abb. &c. *in c. pastoralis.* Suar. *de relig. l.*1. *c.*33. *n.*2. & Fagund. *l. cit. c.*2. *n.*18. apud Castrop. *p.*6. *n.*7. ubi etiam, cur potius id fiat in negotiatione & similibus, quàm in fructibus prædialibus, hanc inter alias dat rationem, quòd non reputetur lucrū, nisi quòd remanet deductis expensis; in fructibus autē prædialibus omne, quod nascitur ex terra, & animalibus, dicatur fructus, pro cujus majore declaratione vide Barb. *cit.* §. 1. *n.*36. *&*37. ubi ex S. Th. 2. 2. *q.*87. *a.*2. quòd fructus sumatur dupliciter, nempe primò naturaliter, hoc est, secundùm naturam & veritatem rei, prout à parte rei provenit ex re frugifera Dei auctoris beneficio absq; ulla expensarū deductione, & sic accipitur fructus in decimis prædialibus, utpote quas Deus in lege veteri instituit absq; reflexione ad jus civile, ejusq; interpretationem, quam institutionem dein imitata Ecclesia in persolvendis decimis prædialibus hos fructus voluit, prout naturaliter in fundo percipiuntur & proveniunt, solvi: Dein civiliter, nimirum secundùm censuram & interpretationem juris civilis, secundùm quam acceptus fructus non intelligitur aliter, quàm deductis expensis factis gratiâ eorundem fructuum; eò quòd iis deductis lex civilis interpretetur in reliquo consistere utilitatem. *l. fructus. & l.* 1. *c. de fructibus & litium expen. & l. fundus qui. ff. familiæ herisc. unde.* Unde, cùm decimæ fructuum personalium institutæ ab Ecclesia, absq; eo, quòd solvendæ fuerint in lege veteri jure merè humano, verbum *fructus* meritò non accipitur in iis naturaliter, sed civiliter, sive secundùm juris civilis interpretationem, hoc est, deductis expensis, citátque Barb. pro hoc præter jam citatos à Castr. Filiuc. *tr.*27. *p.*2. *c.*10. *q.*8. Trull. *l.*3. *c.*3. *dub.*3. *n.*4. Less. *cit. c.*39. *du.*3. *n.*16. Tiraq. &c. Porrò nomine *expensarū* computanda veniunt omnia illa, quæ ad vendendum, negotiandum, vel lucrandum expenduntur, aliàs non expendenda. Suar. *l. c. n.*6. Fagun. *l. c. n.*20. Castr. *l. c. n.*8. quin & probabiliter sustentatio propriæ personæ, & servorum, quæ absq; illa negotiatione non fieret, cùm absolutè sint expensæ factæ in negotiatione & lucro acquirendo, & sine sustentatione propria & familiæ non potest fieri lucrum, Castro *ibid.* dicens videri id ipsum approbari à Rebuff. *de decimis. q.*11. *n.*4. & hoc ipsum, quod Suar. *l. cit.* in contrariū objicit, nimirum hac ratione paucos, & non nisi mercatores copiosos teneri ad has decimas, cùm in victu & vestitu ferè omne lucrum necesse sit absumi, ait non esse magni momenti, cùm potiùs rationi sit consonum, non nisi deductâ conveniente sustentatione suî ex lucro, quod reliquum est, deberi decimas, dum illud reliquū propriè reputetur & dicatur lucrū: sed neq; solùm priùs deduci posse expensas utiliter factas, sed & voluntarias seu voluptuarias, modò factæ non sint in fraudem, tenet Monet. *de dec. c.*6. *n.*33. apud Barb *cit.* §. 1, *n.*37.

Quæstio 470. *Quando, & qualiter solvendæ decimæ prædiales?*

1. Resp. ad primum: decimæ hæ debent solvi statim, ac fructus collecti, *c. cùm homines. h. t.* Azor. *p.* 1. *l.*7. *c.*24 *q.*16. Suar. *l. cit. c.*37. *n.*1. *&* 5. & alii apud Pirhing *ad tit. de decim. n.*93. Barb. *cit.* §. 2. *n.*21. citans quamplurim. cum communi, juxta illud Exod. 22. *Decimas tuas ne tarderis reddere.* Idque, sive ager pluries in anno ferat fructus, sive semel. Bass. *to.*1. *v. decimæ. n.*13. Imò teneri parochianos monere parochum de recipiendis decimis, docent Fagund. *ad præc.* 5. *l.*1. *c.* 4. *n.*11. Guttier. *can. qq. l.*2. *c.*41. *n.*43. Suar. &c. apud Barb. *cit. n.* 21. Unde sufficit, esse perceptos, quamvis non sint perfectè collecti,

collecti, ita ut terra desinat illos continere, v. g. si segetes demessæ, uvæ sectæ, oleæ excussæ, etsi necdum factum inde vinum, servata tamen in omnibus loci consuetudine. Castrop. *p.8. nu.4.* cum communi. In fœtibus animalium solvendæ decimæ non prius, quàm fœtus sine matre vivere valeat, quia usque tunc nullius censetur utilitatis. Castrop. *ibid.* Barb. citans Rebuff. *q.6.n.3.* Suar. *d. c.37.n.6.* Fagund. *l.cit. c. 5. q.2.* Monet. *c.6.n.14.* Riccium *in pr. aurea resol.252. &c.* lana, cùm oves tondentur, lac, butyrum, caseus, quia tractu temporis colligi debent, in fine illius de iis solvenda decima. Castrop. *ibid.* Pirh. *n.83.*

2. Atque ita hinc sequitur, jure communi probabiliùs deberi has decimas solvi, antequam petantur, cùm debeant solvi statim, & debitæ sint eo ipso, quòd fructus sint collecti. Castrop. *l.cit.* Abb. & Anchar. *in c. pervenit.* Covar. *var. resol. l. 1. c. 17. num.8.* Bonac. *d.ult. de præc. Eccles. q.unica. p.4. n.2.* Azor. *d.c.35.q.17.* contra Card. *in c. pervenit.* Archid. Parisi. &c. requirentes monitionem: quod tamen ab iis requiri, ne excommunicatio incurratur, non autem ut culpa vitetur, ait Castrop. juxta communem aliorum interpretationem: adeoque jam peccetur mortaliter, si sine justa causa solutio decimarum notabiliter differatur, præsertim ubi à parocho petitæ sint, cùm ipse dies seu tempus solutionis pro creditore interpellet, præcipuè cùm fructus ipsi realiter obligati sint ad decimas ex juris dispositione. Barb. *n.21.* Pirh. *n.93.* citans Abb. *in c. pervenit. h. t. n. 3.* Suar. *d.c.37.n.2.* unde etiam, si ob culpabilem moram solvendi, decimæ ablatæ fuerint, seu perierint, aut damnum passæ sint, tenetur talis morosus decimarum debitor ad præstandam ei, cui debebantur, satisfactionem, nisi fuissent pari modo perituræ apud creditorem, v.g. parochum juxta *l.cum res. ff. de legatis.* Secùs si dominus vel colonus paratus erat solvere decimas parocho, vel eum monuerit, ut eas reciperet, isque sine justa causa eas recipere recusavit, vel neglexit; tum enim periculum & interitus rei ad ipsum parochum spectat, ipsiusque damno res perit; juxta *l. qui decem. ff. de solut.* & Gloss. *in c. cùm homines. v. fructibus collectis.* Pirh. *n.93.* citans Suar. *cit.c.37.n.20.*

3. Respondeo ad secundum: decimæ prædiales solvendæ ex omnibus supra dictis integris, non deductis ante pensione, tributo, expensis, v.g. seminis æstimatione, pretio pro colendo agro, colligendis fructibus, reparatione domûs &c. etiamsi postmodùm vix proferatur vel colligatur tantum, quantum seminatum fuit, quia omnia, quæ ex semine prodeunt, sunt fructus terræ, & de manu Dei proveniunt. *c. cùm non sit. c. tua nobis. c. non est. c. cùm homines. c. pastoralis. h. t.* qui textus omnes accipiunt fructus naturaliter secundùm quod dictum *q. præced.* Suar. *l. cit. c. 35. n. 4.* Less. *l. cit. c. 39. num. 16.* Fagund. *l. cit. c.4. n.6.* Bonac. *l. cit. q.5. p.3. &c.* apud Castrop. *n. 1.* unde jam colonus, qui colit agrum pro aliqua parte fructuum data, seu relicta sibi in pretium laboris, etsi de tali parte fructuum tanquam lucro personali debeat decimam, quamvis hoc videatur non esse amplius in usu, Dominus tamen ipse tenetur de integris fructibus, & non detractâ illâ parte relicta colono, solvere decimam prædialem, quâ soluta, neque colonus neque mercenarius ex re sibi contingente non tenetur solvere ampliùs decimam, ne aliàs de eadem re bis solveretur decima. Castrop. *ibidem. n. 2.* peccabit itaque graviter peccato injustitiæ & sacrilegii, & subjacebit pœnis impositis fraudatoribus decimarum, qui decimam debitam solveret ex fructibus notabiliter deterioribus; quamvis etiam meliora eligere non teneatur, sed possit bona fide mediocria tribuere. Less. *l. cit.* Fagund. *n.6.* Sylv. *v. decima. n.15.* apud Castrop. *n.2.*

Quæst. 471. *Vbi solvendæ decimæ personales?*

Respondeo: jure communi ibi sunt solvendæ, ubi quis habet domicilium, & Sacramenta suscipere debet. *c. ad Apostolicæ. de decim.* Idque tametsi alia adsit Ecclesia baptismalis, ad quam tanquam matricem & primariam baptizandi deferendi sint. Ideo autem in SS. Canonibus quandoque dicitur, decimas Ecclesiæ baptismali solvendas esse, ut *c. de decimis. c. statuimus 16. q.1.* quia cùm fideles plerumque in eadem Ecclesia & baptismum, & reliqua Sacramenta, atque divina percipiant, Ecclesiæ, quibus debentur decimæ, modò parochiales, modò baptismales vocantur. Laym. *l. c. n. 3. in fine.* Pirh. *n.90. & seq.* contra Abb. *in c. cum contingat. h. t. n. 6.* in quantum putat aliquam partem decimarum personalium dandam Ecclesiæ baptismali ob collatum in ea baptismum, & in recognitionem subjectionis erga Ecclesiam matricem. Dum quis habens duo domicilia, de hyeme habitat in una parochia, de æstate in altera, decima est dividenda. Castrop. *cit. p. 6. n. 9.* Si quis præter domicilium principale habet plura accessoria, solvendæ hæ decimæ illi parochiæ, in qua habet domicilium principale. Barb. *cit. §.2.n.29.* Quòd si artifex habet domicilium in confinio duarum parochiarum, decimæ debentur parochiæ illi, in qua est pars domicilii, in qua semper laborat. *ibid.* ex Fagund. *ad præc. 5. l. 1. c. 3. n.6. ubi n.7.* subdit, si dubitetur, de qua parochia sit domicilium, inspiciendam esse januam, seu partem illius principalem, Ita ut hoc semper sit attendendum, nimirum domicilii principale, & si parochianus toto ferè anno extra parochiam laboret. Castrop. *ibid.* cùm ibi, ubi habet domicilium, per se & de jure percipere debeat sacramenta, & audire divina, licet per accidens ratione absentiæ & peregrinationis ea alibi percipiat. Pirh. *n.84.* Barb. *cit §.2.n.28.* citans Fagund. Si nullibi habet domicilium, ibi solvendæ hæ decimæ, ubi majore parte habitat, & quasi domicilium habet. Castrop. *ibid.* pro his omnibus citans Azor. *ubi ante. q.15.* Suar. *d. l. 1. c. 21. n. 1. &c.*

Quæst. 472. *Vbi solvendæ decimæ prædiales?*

1. Respondeo: jure communi isti Ecclesiæ parochiali, in qua, seu in cujus jurisdictione situm est prædium, seu res frugifera, etiamsi possessor prædii habitet, quin & sacramenta recipiat alibi. *c. cùm contingat. c. ad Apostolicæ. c. cùm sint homines. h. t.* & expressè *c. ult. de restit. spol. in 6.* Idque ut jura Ecclesiarum, & decimæ firma permaneant, & ex mutatione personarum non varientur. Castrop. *p.8. n.6.* Sunt enim decimæ prædiales onera realia inhærentia ipsis prædiis, adeóq; attendendum non est, num possessor aut colonus prædii, seu fundi sit subditus Ecclesiæ, seu parochianos; sed num res seu prædium sit situm intra parochiam. Pirh. *n.85.*

2. Decimæ fructuum perceptorum ex novalibus (quale v.g. dicitur ager, qui nunquam seminatus fuit, nec fructus produxit, & nunc producit fructus, juxta *c. quid per novale. de verb. signif.*) si in nullius Ecclesiæ parochialis territorio situm est novale, spectant ad Episcopum. *c. quoniam. de decim.* si intra terminos alicujus Ecclesiæ parochialis situ, ad illam spectant. Et quòd si istius Ecclesiæ decimæ

næ applicatæ sint alteri Ecclesiæ sub verbis generalibus non clarè continentibus etiam novalia, sed possibilibus explicari de terris hucusque coli consuetis, spectabunt decimæ adhuc ad Ecclesiam parochialem, in qua situm novale, cùm privilegium exigendi decimas ex prædiis alterius parochiæ, utpote contra jus, non sit ampliandum, juxta *c. ult. de decim.* Castrop. *cit. p. 8. num. 12.* (ubi etiam solvit, quæ objici poterant ex *c. ex parte. de decimis.*) citans Covar. *l. 1. c. 17. num. 15.*

3. Similiter decimæ ex fructibus animalium solvendæ ibi, ubi animalia pascunt, accubant, seu morantur, tametsi eorum Dominus moretur alibi. Gl. *in c. 1. de decim.* Suar. *cit. c. 21. num. 8.* Fagund. *loc. cit. c. 5. num. 5.* apud Castrop. *nu. 7.* (tametsi is *num. 9.* ex Navar. *consil. 1. de decim. num. 20.* dicat probabile, aliquam partem istius decimæ deberi parochiæ, in qua Dominus habitat, & recipit Sacramenta, istámque partem à Nav. statui quartam) Barb. *cit. §. 1. num. 12.* mixtæ enim decimæ magis prædiales quàm personales censentur, & sub illis simpliciter comprehenduntur, adeoque prædialium naturam & conditionem sequuntur. Et cùm decimæ ex pascuis debeantur Ecclesiæ, in qua pascua sunt sita, ei solvendæ sunt decimæ ex fructibus pecorum, dum pecora in illis pascunt. Pirh. *num. 88.* quamvis apud eundem *num. 89.* Navar. *l. 3. consil. 1. de decim. n. 3.* quia existimat has decimas ex parte esse personales, velit quartam partem earum solvendam esse parochiæ Domini, etsi ejus pecora neque pascant, neque morentur per ullam anni partem in ista parochia. Unde etiam, si de hyeme pascant in una parochia, de æstate in alia, dividendæ sunt decimæ, semper pro rata, seu proportione temporis, quo pascua fuerunt in hac vel illa parochia. Ita etiam, ut si greges nulla parte anni morentur in parochia, ubi Dominus assistit, illi nihil earum debeatur. Gloss. *ad c. ad Apostolicæ.* D. Thom. *loc. cit.* Azor. *cit. c. 35. q. 15.* Fagund. *c. 5. n. 6.* Castrop. *cit. n. 7.* Barb. *cit. num. 12.* Suar. *cit. c. 21. n. 7.* Parochiis quoque iis, per quas hujusmodi greges transeunt, etiamsi aliquo temporis spatio ibi morentur, nihil debeatur ex his decimis. Castrop. *loc. cit.* quia talia pascua respectu singularum parochiarum sunt parvi momenti, & moraliter fieri nequit, ut decimæ æqualiter dividantur inter omnes illas Ecclesias cum proportione. Pirh. *num. 89.* Quòd si in una parochia pascant, in altera verò accubent, seu fixam caulam habeant, dividendæ decimæ, etsi major pars competat parochiæ, in qua pascunt, eò quòd ad sustentationem animalis & productionem fœtûs, non solùm pastus, sed & accubitus requiésque sit necessaria, adeoque parochia, quæ hunc accubitum præstat, non debeat defraudari fructu inde proveniente. Castrop. *num. 8.* citans Rebuff. *de decim. q. 6. n. 16.* dicéntsque in hoc inclinare Suar. *cit. c. 21. num. 10.* Divo Thom. *loc. cit.* & cum eo Fagund. *cit. c. 5. nu. 10.* Soto. *de just. l. 4. q. 4. a. 3. ad 2.* & aliis sentientibus deberi in hoc casu decimas has integrè parochiæ, in qua pascunt. Quòd si animalia fugiant de una parochia ad aliam, ibique pariant, decimæ deberi parochiæ, ad quam fugerunt, tenet Barb. *cit. n. 12. & §. 2. nu. 37.* citans plures. Porrò hæc omnia non nisi de jure communi ita se habent, consuetudine namque, præscriptione aut privilegio induci potest, ut decimæ prædiales, & mixtæ non debeantur Ecclesiæ extraneæ, aut etiam ei, in qua Dominus prædii, aut gregis habitat. Pirh. *n. 86. & 87.* Castrop. *n. 10.* ubi etiam ait, probabiliorem habere, quod ad hanc consuetudinem, ut nempe una Ecclesia præscribat, quoad exigendas decimas contra aliam, cui ex de jure sunt debitæ, requirantur 40. anni cum titulo, & tempus immemoriale sine titulo, cùm hæc præscriptio sit contra jus, juxta *c. ad aures. de præscrip. & c. 1. t. eodem in 6.* & remittit ad Molin. *de Just. d. 71. & 75.* & quod contra objici potest, solvit *n. 11.* Quòd si tamen una Ecclesia contra aliam Ecclesiam possidentem decimas Ecclesiæ tertiæ sitæ intra territorium utriusque velit impetere, sufficient Ecclesiæ possidenti, ut à præscriptione, seu possessione non removeatur, anni 40. eò quòd titulus requiratur, cùm licet in hoc casu jus resistat præscribenti, non tamen facit pro petente Gl. *in c. 1. de præscrip. in 6.* quod approbat Castrop. *ibid.* In casu, ubi dubium, ad quam Ecclesiam prædium pertineret, sufficere consuetudinem 10. annorum, ait Suar. *cit. c. 21. num. 7.* apud Castrop. *l. cit.* Idem dicit, quoad decimas mixtas, cùm non sit ita expressum in jure, ad quam Ecclesiam hæ decimæ pertineant, adeoque talis præscriptio non sit ita contra jus. Verùm de ista præscriptione ex professo infrà.

4. Demique quod spectat ad locum, ubi recipiendæ sunt decimæ, licet fructus indecimati tritici, vini & similium, non sint mittendi in horrea propria, & aliis miscendi sine consensu illorum, quibus decimæ debentur, si tamen moniti illi noluerint decimam recipere, possunt recondi, neque tenetur quis expectare. Gutt. *c. 25. nu. 43.* & Suar. apud Castrop. *p. 8. n. 5.* sed neque est obligatio ex jure, seu præscindendo à consuetudine (cui aliàs standum est, & ad quam sufficerent 10. anni, utpote de jure non prohibita. Less. *l. 2. c. 6. n. 46.* Suar. *l. cit. c. 37. n. 8.* apud Castrop. *cit. n. 5.*) deferendi decimam ad propriam domum eorum, quibus debetur. Gl. *in c. cùm homines. v. fructibus.* Suar. Bonac. &c. apud Castrop. *ibid.* Pirh. *n. 94.*

Quæstio 473. An, & qualiter laici capaces sint juris decimandi?

1. Respondeo primò: potest competere laico jus illud decimandi, de quo supra in divisione decimarum, merè profanum & laicale nullatenus ortum ducens ex illo spirituali; sed ex eo, quòd Domini temporales datis prædiis suis in usum fructum, vel Emphiteusin, loco pensionis annuæ imposuerint decimam. Verùm de hoc non quæritur. Unde

2. Respondeo secundò: jus decimandi primarium & proprium, hoc est, jus percipiendi decimas jure & nomine proprio, ratione officii & ministerii Ecclesiastici exhibiti nullâ ratione laico competere potest, cùm sic spectatum hoc jus sit quid merè spirituale, fundatum, & inseparabiliter connexum cum officio sacro, & ministerio Ecclesiastico spirituali, ut est sacrificare, administrare sacramenta, quòd, ut patet, per laicum nullatenus exerceri potest, constat *ex c. quoniam. c. ad hæc. c. decimis. c. prohibemus. & c. de decim.* S. Thom. *loc. cit.* Castrop. *p. 9. n. 1.* Barb. *de off. paroch. c. 28. §. 2. n. 2.* citans Guttier. *qq. can. l. 2. c. 21. n. 64.* Menoch. Covar. &c. Unde nec ipsæ decimæ prout sunt fructus Ecclesiastici, & stipendium ministerii spiritualis per se deberi possunt

laicis Pirh. *num.* 135. Barb. *num.* 3. Hinc sequitur primò non posse etiam per sedem Apostolicam hoc jus decimandi primarium, seu ut fundatum in dicto titulo spirituali concedi ulli laico, non secùs ac nequit à Pontifice concedi laico ministerium spirituale saltem dependens necessario ab Ordine. Pirh. *num.* 137. citans Suar. *tom.* 2. *l.* 1. *c.* 25. *num.* 5. Etsi de cetero non excedat vires Papæ, laicum ad jus spirituale habilitare, & secundùm quid Clericis æquiparare, sicut defacto ad jus patronatûs, quod spirituale est, laici habilitati sunt. Engels *ad tit. de decim. num.* 22. Secundò non posse laicum hoc jus ullatenus præscribere, ut constat ex cit. textibus, & expresse ex *c. causam quæ, de præscrip.* utpote qui intelligi debent secundùm hanc rationem, secundùm quam laicus incapax est præscriptionis, utpote persona, quæ titulum illum spiritualem nequaquam habere potest. Castrop. *loc. cit. num.* 2. quamvis Barb. *loc. cit. num.* 2. textum illum *c. causam*, quæ dicat, non posse intelligi de dicta ratione omnino spirituali istius juris, cùm par non sit credere, laicum ibidem contendisse decimas ad se pertinere tanquam proprium stipendium pro spirituali ministerio. Unde sustinent plures non posse quo ad titulum dominii directi ullâ præscriptione acquirere laicum decimas; eò quòd sub hac ratione dominii directi sit incapax possessionis, sine qua non currit præscriptio, adeoque dari quidem posse immemorialem detentionem decimarum sub ratione dominii directi earum, non autem præscriptionem immemorialem. Similiter nulla consuetudine generali alicujus provinciæ induci posse, ut laici decimas jure dominii directi sibi vendicent: & consequenter quidquid in hac parte præscribi potest, vel consuetudine acquiri, esse jus tantum utile, & sic nihil de dominio juris spiritualis in illos transire. Vide Engels *num.* 23. *& seq.* His tamen non obstantibus ait Pirh. *cit. num.* 137. laicos religiosos, ut sunt Hospitalarii, professi Ordinum militarium Melitenses & Teutonici, item conversi Religiosorum Ordinum, utpote qui propter tria vota substantialia religionis ab ipsis edita non merè laici, gaudent privilegiis Clericorum, adeoque capaces sunt juris spiritualis absque eo, quòd aliàs ullo Clericorum Ordine sint initiati, posse habere Ecclesias & jus spirituale decimandi, ita tamen, ut non per se ipsos, sed per Clericos Ecclesias regant & administrent, citátque pro hoc Abbat. *in c. quamvis. h. t. num.* 3.

3. Respondeo secundò, posse tamen laico competere jus aliquod decimandi secundarium, ortum ducens (nimirum mediante emptione, locatione, donatione, &c. quia sæpe videmus, Ecclesiam vendere decimas, illas locare, aut pro servitiis sibi factis aut faciendis donare laico, cùm, qui jus illud proprium decimandi habet, etsi non possit hoc ipsum in laicum conferre, potest tamen ex eo illi aliud jus ad fructus tribuere, v. g. donatione fructuum) ab illo primario spirituali, remanente penes Clericum, vel Ecclesiam, ab eo tamen distinctum, quod proinde in se spirituale non est, utpote abstractum à titulo illo spirituali, & immediatè ortum ex contractu humano: In quo casu laicus non exigit decimas ratione personæ propriæ sibi debitas prius Ecclesiæ, & ratione alicujus temporalis ministerii sibi applicatas, ita ut tamen eas percipiat, ut sibi quoad dominium acquirantur. Bass. *v. decima. num.* 12. Pirh. *num.* 138. Less. *lib.* 2. *c.* 39. *num.* 19. Castrop. *cit. p.* 9. *num.* 3. citans præterea Covar. *c.* 17. *num.* 5. Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *c.* 36. *quæst.* 11. Suar. *loc. cit. c.* 27. *num.* 4. Quamvis Cardin. de Luca *loc. cit. num.* 13. jus illud decimandi juxta capacitatem, quæ etiam in spiritualibus dari potest in laico, reducatur ad solam perceptionem, seu commoditatem percipiendi fructus, prout meri facti est absque mixtura juris, uti contingit quotidie in laicis circa commoditatem pensionum Ecclesiasticarum, & in privatis circa capacitatem obtinendi jura regalia, non obstante strictissimâ prohibitione, & incapacitate obtinendi illa sine assensu principis.

Quæstio 474. *Qualiter igitur hoc jus secundarium percipiendi decimas Ecclesiasticas obvenire possit laicis?*

1. Respondeo primò: etsi igitur jus decimarum Ecclesiasticarum propriè, formaliter & secundùm primariam institutionem sumptum, quatenus nimirum in dicto titulo spirituali fundatum, vendi aut permutari nequeat pro re temporali absque simonia, Argumento *c. ult. de rerum permut.* Laym. *Theol. moral. l.* 4. *tr.* 6. *c.* 6. *num.* 2. citans Rebuff. *quæst.* 10. *num.* 1. Sed neque gratuitò, etiam ex privilegio concedi laicis. *c. causam quæ. de præscrip. c. quamvis. c. prohibemus. h. t.* S. Th. Laym. *ll. cit.* quin nec ipsum hoc jus, seu dominium utile decimarum, cùm sit spirituale, in laicum transferri. Pirh. *cit. num.* 138. Jus tamen decimarum materialiter sumptum pro sola utilitate fructuum percipiendorum præcisa à spirituali jure & titulo vendi, locari, aliterve concedi, ex natura rei prohibitum non est; cùm jus percipiendi reditus temporales, hâc præcisâ consideratione, temporale sit, æstimationémque recipere possit. S. Thom. *loc. cit. in corp.* Gloss. *in cit. c. quamvis. v. concesserit.* Suar. *de relig. t.* 2. *l.* 1. *c.* 25. *num.* 6. apud Laym. *loc. cit. nu.* 3. Quantum verò ad jus humanum canonicum attinet,

2. Respondeo secundò: primò potest Prælatus Ecclesiæ, parochus vel beneficiatus, ad quem jure proprio spectat jus decimandi, commoditatem illam fructuum decimalium elocare laico (ita tamen, ut hic decimas percipiat jure & nomine elocantis, acquirendo tamen dominium earum sibi Pirh. *cit. num.* 138.) auctoritate propriâ ad breve tempus *c.* 2. *de locato.* Gl. *in c. quamvis.* Abb. *in c. quamvis.* Pirh. *ibidem.* Castrop. *p.* 9. *num.* 4. Suar. *loc. cit. num.* 9. Covar. *c.* 15. *num.* 6. *&c.* apud Laym. *loc. cit.* Intelligendo hìc per tempus breve, quod est intra decennium, juxta Abb. *in c. quamvis.* vel etiam tempus vitæ hominis, juxta Gl. *ibidem.* Ita, ut hæ decimæ locari possint ad vitam, ut probabile censet Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 36. *q.* 14. apud Castrop. *p.* 9. *num.* 4. quamvis ubi recepta est *Extrav.* Pii II. *ambitiosæ. de rebus Eccles. non alienandis.* nulla conductio, aut locatio fieri possit ultra triennium; quod ipsum tamen non extenditur ad decimas, quæ conferuntur in stipendium pro præstito Ecclesiæ obsequio, cùm in hoc contractu Ecclesia non conducat decimas, sed potiùs alterius operas pro decimis Ecclesiæ, quod prohibitum non est,

etiamsi

etiamsi fiat ad vitam. ita Suar. *loc. cit. n.* 20. apud Castrop. *num.* 5.

3. Secundò: pari ratione eodémque modo dictam commoditatem seu jus acceptum materialiter percipiendi decimas, vendere possunt. iidem Castrop. Laym. aliíque AA. & textus ab iis citati; ita tamen ut Laym. *cit. n.* 3. *in fine*, jus sive dominium utile decimarum non censeatur ab Ecclesia alienatum.

4. Tertiò: potest Episcopus aliúsve Ecclesiæ Prælatus adhuc hodie adhibitâ juris solennitate donare dictum jus laico ad tempus, vel ejus vitam exigendi decimas ob aliquod magnum obsequium vel beneficium exhibitum Ecclesiæ sub ratione stipendii, vel remunerationis; nam jure antiquo id erat licitum: & neq; postea ab Urbano II. in Concilio Turon. anno 1096. neque ab Alexandro III. in Concil. Lateran. anno 1178. vel 1180. id revocatum fuit; sed solùm vetitum, ne decimæ in feudum perpetuum laicis concederentur. Laym. *l. cit. n.* 5. Castrop. *cit. n.* 5. citans Suar. *c.* 26. *n.* 1. Covar. *l.* 1. *variarum resol. c.* 17. *n.* 5. Engels. *de decim. n.* 36. dicens sic sentire plurimos DD. contra Pirh. *num.* 81. ubi ait non tantùm concessionem decimarum in feudum, sed etiam quamcunque aliam donationem vel alienationem ab inferiore Papâ ultra vitam locantis factam esse irritam ipso jure, saltem post dictum Conc. Later. & Decreta Alex. III. in eo facta.

5. Quartò: multò magis potest Pontifex tanquam summus bonorum ecclesiasticorum administrator ex causa justa, pertinente ad bonum Ecclesiæ (qualis etiam est ipsa remuneratio, cùm ea ad bonum universale Ecclesiæ sit necessaria, vel etiam subsidium præstandum pugnanti contra hostes Ecclesiæ. Pirh. *cit. n.* 138.) reditus decimarum liberaliter, vel etiam cum annexo onere fundandi aut dotandi Ecclesias, in perpetuum, vel etiam in feudum perpetuum, cum recognitione alicujus obsequii Ecclesiæ præstandi, concedere principibus laicis. Pirh. *l. cit.* citans Azor. *c.* 25. *q.* 11. Suar. *cit. c.* 25. *n.* 11. Laym. *cit. n.* 3. citans Abb. *in c. causam. n.* 3. Canis. *de decim. c.* 15. *n.* 3. Necesse tamen est in eo casu ministris Ecclesiæ, cui adimuntur decimæ, aliunde de reditibus necessariis ad decentem sustentationem provideri AA. iidem. Porrò dum decimæ legitimâ auctoritate concessæ sunt, ea concessio ad novalia extendenda non est; sed intelligitur tantùm de prædiis illis, quæ tunc existunt, non autem de iis, quæ postea fient, seu de novo excolentur. *c. tua. de decim.* Pirh. *n.* 42. quia concessio hæc odiosa est, & derogans juri communi Gl. *in c. tua.* Suar. *l. cit. c.* 23. *n.* 4. apud Pirh.

6. Quintò: non tamen possunt hodiè Episcopi aliíve Prælati Papâ inferiores absque auctoritate Pontificis (prout aliàs jure antiquo poterant ante Decretum Urbani II. *in c. decimas* 16. *q.* 7. putat enim Barb. *cit. c.* 28. §. 3. *n.* 61. per Urban. II. etiam ante Concilium Lateran. fuisse prohibitum Episcopis concedere titulo feudi, vel alio temporali laicis decimas) etiam ex gravi causa concedere in feudum perpetuum, ablatâ eis hac in parte in dicto Concilio Lateran. per Alex. III. si non antè per Urban. II. in Concil. Turon. ob nimiam in hoc genere prodigalitatem & abusum aliquorum Prælatorum, potestate. Argumento *c. quamvis.* ubi Gl. & DD. communiter. Castrop. *p.* 9. *n.* 6. Pirh. *n.* 140. Laym. *l c. n.* 4. putat tamen Engels *n.* 35. hunc Canonem Concilii Lateran. cùm non sit juris naturalis, aut divini, per consuetudinem abrogari posse. Argumento *c. fin. de consuetud.* & *l. de quibus. ff. de ll.* quia non videtur irrationabile, quòd laicis decimæ concedantur in feudum, etiam perpetuum, ex auctoritate Episcopi, si ipsorum necessitas & Ecclesiæ utilitas id exigat. Unde, præscindendo à tali consuetudine, laicus possidens decimas, quas constat sibi, majoribúsve suis post dictum Concilium citra Pontificis auctoritatem concessas in feudum perpetuum, restituere tenetur Ecclesiæ, ad quam spectant. Quamvis aliàs vi *c. Apostolica*, concessum fuerit, ut quæ ad illud tempus injustè à laico detinebantur, dum is induci non potest, ut restituat Ecclesiæ, ad quam spectant, alteri Ecclesiæ vel Conventui Religioso, cum consensu Ordinarii (laici enim de rebus ecclesiasticis disponendi facultatem nullam habent) assignare firmissimâ donatione licuit. Laym. *cit. c.* 4. Pirh. *n.* 145. Secùs autem est de decimis, quas post dictum Concil. Lateran. laicus sine justo titulo habet; hæ enim nequidem cum consensu Episcopi aliis ecclesiis Regularibus, vel sæcularibus applicari queunt, sed illi præcisè Ecclesiæ, ad quam pertinebant restituendæ. Pirh. *num.* 146. citans Suar. *c.* 26. *in fine*, reddítque istius disparitatis rationem, quòd jus soleat quandoque illicitè jam facta tolerare, & modo meliore in utilitatem ecclesiarum convertere, quæ tamen in futurum solet prohibere. Porrò dum laicus titulo feudi possidet decimas à tempore immemoriali, eique constare nequit, num ante dictum Concilium Lateran. sit concessa Majoribus suis, aliisve, à quibus eas accepit, præsumptio est pro illo, cùm possessio temporis immemorialis faciat præsumptionem juris ac tituli, dum illius capacitas est in possidente, adeóque in possessione relinquendus. Laym. *loc. cit. num.* 5. dicens esse communem Doctorum *in c. cùm Apost.* citárque in specie Abbatem *ibidem. num.* 12. Covar. *loc. cit. num.* 5. Suar. *c.* 27. *num.* 4.

7. Sextò: potest laicus jus decimarum explicato modo acceptum contra Ecclesiam præscribere non nisi annis 40. cum titulo, & immemoriali tempore sine titulo. Covar. Suar. *ll. cc.* Less. *c.* 39. *n.* 19. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 36. *q.* 11. apud Castrop. *p.* 9. *nu.* 3. sunt enim laici juris istius sic accepti capaces, adeóque privilegio id eis competere potest; jam verò præscriptio immemorialis eandem vim habet cum privilegio in persona capaci, juxta *c. quibusdam. de verb. signif.* & Gl. *ibi.* Sed neque in defectum tituli requiritur adesse famam & opinionem saltem jus tituli, ut Suar. cùm ex sola immemoriali pacifica possessio sufficienter colligatur, & probetur, illas justo titulo possideri: quare licet in vi possessionis exigendi & recipiendi decimas laicus nunquam decimas præscribere possit (juxta quod intelligendus est Pontifex *c. causam. de præscrip.*) præscribit tamen in vim facultatis & donationis vel emptionis, quæ præsumitur concessa vel facta; dum à tempore immemoriali pacificè recepit decimas. Castrop. *cit. n.* 3. citans Covar. Azor. Less. Porrò observandum hîc incidenter, possessionem immemorialem rectiùs ad huc dici illam, etsi constet, quòd aliquando contrarium fuerit, v. g. quòd ante tot vel tot annos possessio decimarum non fuerit apud Antecessores moderni possessoris, sed apud alios, modò de initio præsentis possessionis non constet. Engels *loc. cit. num.* 30. citans Cravettam *de antiquitate temporis. p.* 4. *sect. absolutis diff.* & Molin. *de Justitia.*

stitia. tr. 2. d. 76. nu. 3. &c. Et rectè sic describi ex Menoch. *de arb. l. 2. centur. 1. casu 43. nu. 2.* cujus initii memoria non est in contrarium.

8. Rectiùs tamen sentire & loqui videntur ii, qui dicunt, quòd laici non possint, etiam cum bona fide, & temporis immemorialis detentione præscribere contra Ecclesiam decimas, seu jus decimandi, prout etiam à titulo spirituali separatum temporale quiddam esse potest Laym. *Theol. mor. l. 1. tr. 4. c. 24. nu. 9.* & *l. 4. tr. 6. c. 6. nu. 8.* dicens esse sententiam Joannis Monachi *in c. 2. de præb. in 6. n. 5.* & Jo. And. *ibid. n. 7.* Glossæ *in c. causam. de præscrip.* Sylv. *V. decima. q. 10. dicto 2.* Rebuff. *de decim. q. 10. n. 24.* Henr. Canis. *c. 13. n. 9.* Suar. *c. 27.* &c. Barb. *cit. c. 28. §. 2. n. 49.* Pirh. *de decim. num. 149.* & *de præscrip. s. 2. §. 2.* Engels *de decim. n. 39.* citato enim *c. causam*, expressè ait Pontifex: *cum Laici decimas detinere* (intellige juridicè, & utiliter ad præscribendum) *non possint, eas nullâ valent ratione præscribere* &c. quod nullatenus intelligitur de jure decimandi, quatenus spirituale, seu in spirituali titulo fundatum; cùm illud nullatenus Nobilis iste, quem ibidem Papa decernit ad restitutionem decimarum cogendum, sibi arrogârat. In primis itaque possidere quidem potest laicus dictum jus decimandi, non tamen motu quasi proprio & facultate, sed non nisi per legitimam Ecclesiastici Prælati concessionem; sunt enim decimæ ex rebus istis, quæ propter legum vel Canonum expressam dispositionem possideri non possunt, nisi verus subsit titulus, seu jus habendi & detinendi, qui titulus primitus possidendi juridicè decimas alius non est, quàm titulus privilegii seu concessionis legitimè factæ, seu factæ à Prælato Ecclesiastico habente ad hoc potestatem, utpote per quam concessionem laicus redditur capax possessionis istius juris. ita expressè Gloss. recepta *in c. ex parte. V. commodo. de restitutione spoliator.* Abb. *in c. in literis. tit. eod. n. 24.* Jam verò ubi quis ex legis constitutione est incapax possidendi absque titulo privilegii, hoc est, absque legitimè factâ concessione; nullius temporis, etiam immemorialis, consuetudo aut detentio, etiam cum bona fide, præscriptionem generare potest, seu ad præscribendum sufficit; sed necesse est, præcessisse dictum privilegium seu concessionem, utpote sine qua jam non datur possessio juridica essentialiter ad præscriptionem requisita. Sed neque immemorialis temporis consuetudo aut detentio cum bona fide hunc titulum concessionis tribuere potest, ut patet; neque ipsa loco tituli esse, ut proinde concessione vel titulo alio opus non sit; siquidem in rebus ac juribus, quorum possessionem, & consequenter præscriptionem leges vel Canones non vetant, immemorialis consuetudo cum bona fide est instar tituli, seu tribuit jus & titulum; in rebus autem, ut dictum, quarum possessionem, & consequenter præscriptionem Canones vetant, dicta immemorialis consuetudo non potest esse titulus, aut tribuere titulum; quia id per viam præscriptionis fieri deberet, quam tamen jura removent; dum enim præscriptionis beneficium à jure provenit, ideo, ubi jura præscriptioni resistunt, ea nunquam consurgere potest juxta *l. 24. ff. de usucap.* ubi lex impedit usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest: Et Abbatem *in c. causam. n. 3.* Suar. *cit. n. 3.* apud Laym. *n. 9.* In summa itaque vel datum est laici Antecessoribus laicis privilegium, hoc est, facta legitimè concessio decimarum, & jam jus seu titulum decimarum habet, nempe ex privilegio, & consequenter per præscriptionem acquiri non potest; quia cujus rei jus & veluti dominium aliquis habet, id acquirere amplius non potest, ut rectè Alex. de Nevo. *in c. pastoral. de except. n. 4.* apud Laym. *loc. cit. n. 8. in fine.* ac ita præscriptioni locus non est. Vel non est facta talis concessio, & sic, ut dictum, laicus decimas possidere non potest; sine possessione autem præscriptio non procedit. *reg. juris. 3. in 6.* Laym. *nu. 8.* Barb. *cit. c. 28. §. 2. nu. 94.* ex Peregrino *de jure fisci. l. 6. tit. 8.* Covar. *l. 1. c. 10. n. 14.* Felino, & aliis *in cit. c. causam.* Pro salvandis itaque laicorum conscientiis, & manutenendis illis in possessione, relictâ viâ præscriptionis, recurrendum ad præsumptionem; ita ut si præscriptio quà talis, seu tempus immemoriale in vim præscriptionis allegetur, laicus semper succumbere debeat; si tamen allegetur privilegium summi Pontificis, quod unicum in hac materia sufficit, & ad ejus probationem tempus immemoriale, quo habitæ pacificè sunt decimæ, ostendatur (probatâ enim immemoriali tempore præsumptione juris probatur titulus privilegii allegatus. Mascard. *de prob. concl. 1377. n. 7.* C. Tusc. *l. P. concl. 550. à n. 4.*) manutenendus sit in possessione. Mascard. *ibid. n. 32.* Menoch. *de præsumpt. l. 6. præsump. 86. n. 4.* Covar. *loc. cit. n. 5.* Suar. &c. apud Barb *loc. cit n. 52.* qui tamen etiam ait, quòd ultra tempus immemoriale accedere debeat fama privilegii habiti à Papa, aut factæ legitimè concessionis. Jam autem in præsente materia, ubi dicti juris decimandi possessio acquiri potest ex principis privilegio vel concessione, etsi non nisi absque ea, immemorialis consuetudo cum bona fide, dum laicus ejusque Antecessores absque contradictione percepérunt decimas, facit præsumptionem legitimè olim iis factæ concessionis, ita ut licet concessio & inde ortum jus ostendi non possit; quia tamen ipsa temporis vetustas facit præsumptionem existentis, & ad possidendum requisiti tituli, relinquendus est in possessione laicus, ut interim tam in foro externo, quàm interno securus esse possit laicus, quamdiu ignoratur, quo modo, aut titulo decimæ ad Antecessores devenerit; cùm in dubio non sit præsumendum delictum, & in dubio quis privari non debeat pacificâ, immemoriali præsertim, possessione rei, cujus, ex aliquo saltem titulo seu concessione, capax est. Quæ tamen præsumptio justitiæ ac tituli, quæ ob ignorantiam oriebatur ex temporis diuturnitate, tolleretur, cognitâ jam veritate, v. g. reperto instrumento, vi cujus pateret, decimas istas post Concilium Lateran. priùs, sine interveniente Pontificis auctoritate fuisse à Prælato Ecclesiæ in feudum, vel etiam, quod minùs fieri poterat, venditas fuisse laico ab Episcopo, Abbate, parocho; ac consequenter tunc decimæ repeti possent, & à laico restitui deberent. Unde etiam vides latam inter præsumptionem hanc, & præscriptionem differentiam, quam rectè notavit Suar. *loc. cit.* Felin. *in c. accedentes. de præscrip. n. 6.* & *in c. cùm ex officii. tit. eod. n. 13.* si enim laicus præscribere seu usucapere posset decimas, tunc etiam post repertum tale instrumentum, ex quo constaret, jus decimarum ad ipsum pervenisse modo illegitimo, nempe ipso jure irritæ alienationis, adhuc tamen defendendus esset in possessione decimarum propter jus sive titulum ex præscriptione legitimâ sibi comparatum, sive quia possideret eas jam justè absque alio titulo, jure & titulo præscriptionis. Quæ in contrarium objici possunt, sunt sequentia: primò:

omne

omne illud per consuetudinem aut possessionem immemorialis temporis obtineri posse, quod per privilegium principis haberi potest. Sed id verum non est, nisi solùm in iis, quorum possessionis aliquis etiam sine privilegio, sive legitimâ concessione capax est. Vide Laym. *loc. cit. n. 9.* & *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 7.* & *l. 1. tr. 4. q. 24. n. 9.* Secundò: quòd laici teneant illud jus decimandi, non nisi separatum à jure spirituali, seu ut laicale. Verùm illa ipsa separatio & avulsio fieri nequit nec potuit, nisi per legitimam Prælati Ecclesiastici auctoritatem & concessionem; quod quia non factum, decimas etiam ut tales possidere nequit laicus. ita ferè Laym. *cit. n. 9. in fine.* Tertiò: res immobiles etsi prohibitæ sint alienari, posse tamen præscribi, etiam à laico. Sed non prohibentur absolutè res illæ devenire in manus laicorum, sed tantùm sine solennitatibus, quas cursus temporis & bonæ fidei possessio per 40. annos continuata supplere potest; circa decimas autem est absoluta prohibitio, ne per viam etiam juris utilis ad laicos quibuscunque cum solennitatibus transferantur. Engels *n. 40. & 41. ad tit. de decim.*

Quæstio 475. An & qualiter laicus justè possidens hoc jus decimandi v.g. ex concessione prælatorum ante dictum Concilium Lateran. factâ, vel post illud ex concessione, aut cum auctoritate Papæ, illud iterum in alios, etiam laicos, transferre possit?

Respondeo primò: potest tales decimas etiam in feudum perpetuum acceptas absque consensu Episcopi restituere, vel redonare Ecclesiæ, ad quam spectabant juxta *c. cum Apostolica*, Pirh. *loc. cit. n. 146.*

2. Secundò: potest etiam illas donare alteri alicui loco pio, accedente, & necessariò requisito consensu Episcopi diœcesani, sine quo religiosi, etiam exempti, eas recipere non possunt juxta *c. cùm Apostolicæ.* Pirh. *loc. cit.* requiri etiam in hoc casu consensum Episcopi vel Prælati, à cujus Ecclesia acceptæ decimæ; nempe ex eo, ut Less. quòd Ecclesia ista tunc in perpetuum amittat spem recuperandi illas decimas; non tamen esse necessarium consensum Capituli, aut tractatum juxta *c. cùm Apostolicæ. de iis, quæ fiunt à Præl.*, tenent Less. *cit. c. 39. num. 20.* Castrop. *cit. p. 9. num. 6.* citans Azor. *cit. l. 7. c. 36. q. 13.*

3. Tertiò: potest quoque probabiliter justè obtinens & possidens in feudum decimas laicus, accedente Episcopi consensu (obtento etiam Ecclesiæ ejusdem, à qua acceptæ erant in feudum, consensu, ut habet Laym. *loc. cit. n. 6.*) easdem concedere in feudum alteri, etiam laico. Gl. *in c. prohibemus. de decimis. ibid.* Card. Jo. And. *in c. 1. de præscrip. in 6.* Sylv. *cit. q. 10.* Covar. *c. 17. n. 5.* Suar. *loc. cit. c. 26. n. 7.* quos citat & sequitur Castrop. *cit. n. 5.* Pirh. *n. 144.* Laym. *cit. n. 6.* contra Abb. *in c. prohibemus.* & alios ab illo & Covarruviâ citatos, quos sequitur Less. *loc. cit. n. 21.* ubi ex Abb. quòd illud cederet in maximum damnum Ecclesiæ, si is, qui eas transfert, caret liberis, seu successore; cùm tunc, utpote feudo caduco, deberent necessariò reverti ad Ecclesiam tanquam dominam directam. Item quòd Episcopus ipse consentiens, utpote sine cujus consensu nihil fieret, censeatur tunc eas dare in feudum; cùm, qui eas à laico accepit, non hujus, sed Ecclesiæ feudatarius efficiatur. Ac denique quòd *c. prohibemus.* prohibeatur expressè, quòd qui cum periculo animæ suæ eas possident, non possint in alios laicos illas transferre; ordinariè autem laici, etsi eas habeant ex aliquo consensu Ecclesiæ, præsumantur eas habere cum periculo animæ suæ; eò quòd vel non sint concessæ prudenter, aut in commodum Ecclesiæ, aut quia in iis concedendis intervenit aliqua coactio; vel quia laici postmodum non præstant Ecclesiæ ea obsequia, quæ debuerunt. ita ferè Less. Rationes tamen in contrarium sunt, quòd in Concil. Lateran. solùm prohibitum, ne decimæ laicis concedantur in feudum perpetuum, adeóque alienentur; hæc autem non est nova concessio feudi, seu alienatio dominii utilis, sed alienationis legitimè jam factæ continuatio. Castrop. Laym. *ll. cit.* Item etiamsi mortuo sine successore feudatario reverterentur decimæ ad Ecclesiam; antequam tamen eidem incorporentur denuo, potest eas Episcopus vel Ecclesiæ Prælatus ex causa justâ concedere iterum laico in feudum juxta *c. 2. de feudo.* non obstante etiam juramento facto ab Episcopo de non infeudandis bonis Ecclesiæ. Laym. Pirh. Castrop. ex Suar. *cit. c. 26. n. 9.* Felin. *in c. causam. de præscrip. n. 3.* Ac denique ex una parte Vasallus possit feudum sibi concessum, seu rem feudalem subinfeudare, seu in feudum alteri concedere, ut constat ex *c. unic. de feud.* Ex altera parte in jure nullus exstat textus, in quo prohibeatur laicus juste in feudum possidens decimas subinfeudare alterum. Sed & rationes in contrarium allatæ facilè diluuntur: nam primò: dicta præsumptio Lessii est contra suppositum; quia in quæstione supponitur laicus verè justè possidere decimas; quamvis aliàs verè timendum sit, ne plures decimas possideant in damnum animarum suarum, præsertim in Germania, ubi post turbatum per hæreses ordinem Ecclesiæ eò temeritatis perventum, ut plures Ecclesiarum advocati & patroni reditus Ecclesiarum liberè tanquam proprietarii in suas utilitates convertunt. Nec satis firmatur per hoc, aut etiam evincitur, quòd tales decimæ ab initio non fuerint per modum juris utilis concessæ ex eo, quòd nulla pro iis servitia, aut fidelitatem secundum naturam feudorum præstent Ecclesiæ; cùm præstatio servitiorum, & juramentum fidelitatis non sit substantiale, sed tantùm connaturale contractui feudali; unde pacto, & consequenter etiam præscriptione, illa obligatio tolli potest; sicut contingit in feudo franco, & sicut in feudo concesso Ecclesiæ non præstatur dictum juramentum. Engels *de decimis n. 37.* ubi etiam in fine addit, inter res feudales & emphyteuticas profanas, & inter decimas esse differentiam, quod illæ per præscriptionem transire possint in alodium, decimæ non, ex eo quòd juris directi decimarum incapax sit laicus. secundò: non ipse Episcopus, sed reverâ talis laicus de consensu Episcopi est infeudans, ut rectè Castrop. *loc. cit.* Quid contra tertium quoque dici possit, vide apud Pirh. *loc. cit. n. 147.*

4. Quartò: potest laicus justè possidens decimas etiam in feudum, oppignorare eas aliis, etiam laicis. sic sentire videtur Pirh. *n. 148.* dum enim Greg. IX. *c. interdicimus. de decimis*, vetat ab Ecclesiasticis recipi in pignus decimas detentas à laicis, quæ ad alienas Ecclesias pertinent, loquitur de decimis injustè detentis, cùm res, quæ in bonis nostris non sunt, in pignus dare non possimus. *l. filios. c. quæ res pign. oblig. possint*, quas decimas injustè detentas etiam cum consensu Episcopi dare non potest in

pignus alteri Ecclesiæ; ne Ecclesia iniquitatem laici eas injustè detinentis approbare videatur. Abb. *in cit. c. interdicimus.* Vel etiam, si loquitur de decimis justè habitis, subintelligi videtur, eas sine consensu Episcopi dari non posse in pignus; si enim eas cum consensu Episcopi donare potest Ecclesiæ vel Clerico juxta *c. cùm Apostolicæ. de his quæ fiunt à præl.* poterit etiam cum eodem consensu, quod minus est, nempe oppignorare. Pirh. *loc. cit.* ubi etiam quòd talis consensus Episcopi requiratur, si Episcopus tanquam Dominus directus eas decimas in feudum concesserat; nam sine consensu domini directi res feudalis oppignorari nequit. De cetero non esse in usu, ut requiratur ille consensus ad oppignorandum tales decimas, intelligendum tamen videtur, alteri Clerico vel Ecclesiæ.

5. Quintò: per consuetudinem induci potest, ut laici de istiusmodi decimis sicut de bonis patrimonialibus possint liberè disponere, & non tantùm in feudum illas concedere, sed etiam vendere, permutare, donare, in dotem dare, inter hæredes dividere. Guttier. *practic. qq. l. 1. q. 15. num. 7.* Barb. *in collectan. ad c. prohibemus. nu. 7.* testantes talem consuetudinem existere in Hispania & Gallia. Pirh. *n. 149.* idem testans de Germania; addensque ex Guttier. sine ingenti animarum damnatione, innumerorum contractuũ eversione non posse talè consuetudinem damnari vel rejici; cùm tales decimæ legitimâ sedis Apostolicæ auctoritate penitus à titulis clericalibus sint abstractæ & concessæ laicis in feudum v. g. principi alicui, ut illas tanquam bona patrimonialia possideant; vel etiam à tempore immemoriali cum bona fide sine ullius contradictione tali modo possideantur, & hinc in possessione sint relinquendi, donec liquidè constet, hujusmodi decimas non legitimè, vel non tali modo ad ipsos perveniisse. Consuetudo siquidem, seu possessio immemorialis vim habet præsumpti privilegii, vel alterius concessionis legitimæ, seu inducit præsumptionem tituli, & sufficientem ejus probationem, etiamsi nunc probari aut exhiberi nequeat, juxta quod docet Covar. *l. 1, c. 17. n. 5.* Suar. *loc. cit. l. 1. c. 27. n. 3.* Sylv. & alii ex *l. ult. ff. de aqu. & aqua pluv. arcendâ.* ita Pirhing. Idque verum, ut pergit, etiamsi laici recognoscant decimas sibi datas in feudum ab Ecclesia; eò quòd licet spectato aliàs jure communi, vasallus non possit res in feudum concessas alienare sine consensu domini directi sub pœna amissionis feudi, si tamen laicus quisquam ab immemoriali tempore bonâ fide sine contradictione decimas non solùm subinfeudavit, sed etiam quovis modo liberè alienavit sine consensu domini directi, nempe Ecclesiæ vel Episcopi, à quo illas in feudum recognoscit, hac suâ possessione non debeat privari, donec de contrario liquidè constet.

6. Denique potest laicus contra laicum legitimè obtinentem has decimas v. g. infeudatum ante memoratum Concilium Lateran. vel post illud ex Pontificia concessione habentem illas, præscribere decimas. Engels *loc. cit. n. 39.* Barb. *loc. cit. n. 54.* citans Felin. *in c. causam quæ. n. 4.* Velasc. *de jure Emphyt. q. 17. n. 15* Menoch. *de præsump. l. 6. præs. 86. n. 3.* quanquam dicat hos omnes intelligere, illud procedere in decimis, quæ titulo perpetuo feudi, seu simili sunt penes laicos: non ita, si ad tempus fuissent concessæ; atque ita respectu solius juris ad laicos spectantis datur hæc præscriptio laici contra laicum, non verò ut cedat aliquo modo in præjudicium Ecclesiæ. Porrò ad præscribendum etiam à laico contra laicum decimas videntur sufficere 10. anni inter præsentes, & 20. inter absentes, & 30. sine titulo; quia hîc nec præsumptio juris adest, nec favor Ecclesiæ, ob quam requiritur quadragenaria præscriptio. Engels *n. 22.* citans Rebuff. *de decimis, q. 13. num. 100.*

Quæstio 476. Quibus modis jus decimandi obvenire possit Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis?

Respondeo: præter titulum acquirendi jus decimandi maximè juri conformem, qui est collatio beneficii parochialis, sunt modi alii plures, nempe per transactionem, compromissum, permutationem, liberalem concessionem, privilegium, consuetudinem, præscriptionem. Laym. *l. 4. tr. 6. c. 6. n. 1.*

Quæstio 477. Qualiter obveniat iis per transactionem, compromissum, & permutationem?

1. Respondeo: obvenit illis per transactionem factam inter Ecclesiasticos *c. 2. & c. veniens, de transact. c. ex multiplici, de decim.* nempe dum plura sunt prædia, de quorum jure decimandi litigatur inter Ecclesiasticos, componi, seu transigi potest, ut uni parti hæc, alteri alia prædia assignentur; vel si unicum sit prædium litigiosum, decimæ inter partes dividantur; vel etiam decimæ non solvantur integræ, vel etiam de aliquibus rebus non solvantur. ut Pirh. *n. 152.* Fagund. *ad præc. 3. l. 3. c. 2. nu. 19* Item ut etiam cum laicis possit fieri compositio super tempus & locum solvendarum decimarum. Fagund. *ibid. n. 14.* apud Barb. *cit. c. 28. §. 4. n. 24.* Modò in talibus transactionibus nullum pactum simoniacum, seu pretium extrinsecum interveniat, pro quo jus decimarum, quod spirituale est, ematur: ut Gl. *in cit. c. 2.* Laym. *loc. cit. n. 1.* Pirh. *n. 150.* Si compositio dicta fiat interveniente auctoritate & consensu Papæ, vel Episcopi, vel Superioris (appellatione autem superioris in hac materia venit quilibet Prælatus Episcopo inferior, modò habeat jurisdictionem quasi Episcopalem; Item Vicarius Generalis Episcopi. Rebuff. *q. 13. n. 23.* Fagund. *loc. cit. n. 5. & 6.* apud Barb. *n. 25. & 26.*) erit perpetua argumento *cit. c. 2. & c. veniens.* si verò privata tantùm transactio fiat, rata hæc tantùm erit inter paciscentes, successores tamen non obligabit. Argumento *c. ex multiplici. & ibid.* Abb. *n. 2.* Laym. *loc. cit.* Rebuff. Fagund. Barb. *ll. cit.* & apud hunc plures Rotæ decisiones. Transactio facta absolutè & indefinitè intelligenda est, non tantùm de solvendis decimis præteritis, & præsentibus, sed etiam de futuris, ut si v. g. monasterium, quòd de iis transegit cum parocho, alia postmodùm acquirat prædia, de iis quoque teneatur solvere decimas. argumento *c. quia circa. de privileg.* Pirh. *n. 151.* Porrò conventioni seu transactioni, quæ interceſſit priùs inter partes non derogatur per privilegium exemptionis à solvendis decimis, nisi in eo de illa fiat mentio. Argumento *c. ex multiplici. h. t.* Pirh. *n. 157.* tum quia princeps non censetur velle derogare juri quæsito per transactionem parti, nisi id exprimat. Argumento *c. mandatum. de rescrip.* Tum quia Papa verisimiliter tale privilegium non concessisset, cùm, quæ inter partes transacta, non facilè sint rescindenda juxta *l. causas. c. de transact.* Unde Gl. *in cit. c. ex multiplici,* infert, impetrationem talis privile-

vilegii, in qua nulla facta mentio transactionis, subreptitium ob tacitam veritatem exprimendam necessariò, ideóque invalidam. Pirh. *n.* 152. Et hæc de transactione super decimis in futurum solvendis; de præteritis namque non solùm cum Ecclesiasticis, sed etiam cum laicis sine auctoritate Episcopi aut superioris posse fieri compositionem, tenet Gl. & DD. communiter *in c. ut super. de reb. Eccl. non alien.* teste Barb. *loc. cit. n.* 28. Rebuff. *loc. cit. n.* 25. *&* 33. Fag. *n.* 7. *&* 17. Monet. *de decimis, c.* 5. *nu.* 128. apud eundem Barb. eò quòd tunc non agitur de tollendo vel remittendo aliquo jure Ecclesiæ, sed solùm de commodo illius v. g. parochi, ad quem illæ decimæ jam spectant. Monet. *loc. cit.* Trull. *in decal. l.* 3. *c.* 3. *du.* 11. *n.* 13. apud Barb. *ibid.*

2. Secundò: per compromissum super jure decimarum in unum vel plures (quorum arbitrio seu sententiâ standum sit à partibus) potest illud uni litigantium parti auferri & alteri adjudicari, sive totum, sive ex parte. *c. Apostolicæ. de his quæ fiunt à præl.* Laym. *loc. cit.* Pirh. *n.* 153. Hi arbitri debent esse clerici; laicus enim de spiritualibus uti judicare, ita arbitrari nequit. *c. contingit. de arb. juncta Gl.* ex commissione tamen judicis Ecclesiastici laicus unus vel plures cum clerico esse possunt compromissarii. Gl. *in cit. c. contingit.* Abb. *in c. per tuas. de arb. n.* 6. Laym. *loc. cit.* Necesse etiam est in compromisso super jure decimarum intervenire consensum legitimi superioris, aliásque solennitates ad alienationem jurium Ecclesiasticorum requiri solitas. Abb. *in c. dilecti.* prohibitâ enim alienatione, tacitè etiam prohiberi censetur omnis actus voluntarius, per quem ad alienationem perveniri potest, qualiter per compromissum indirectè pervenitur ad alienationem, quæ directè prohibita est circa jura Ecclesiæ, non adhibitis solennitatibus. Laym. *loc. cit.*

3. Tertiò: per permutationem jus unius Ecclesiæ cum jure decimarum alterius Ecclesiæ permutando, ducto argumento à contrario ex *c. ad quæstiones. & c. ult. de rerum permutat.* Necesse est autem intervenire auctoritatem Episcopi; cùm permutatio sit alienationis species. *c. nulli. de reb. Eccl. non alien.* Laym. *ibid.* Pirh. *num.* 154. de cetero jus decimandi sumptum propriè & formaliter, quatenus fundatum in titulo spirituali, sine simonia pro re temporali permutari aut vendi nequit, ut dictum. Laym. *ibid. n.* 3. qualiter parochus vendens decimas, quæ provenient proximâ messe, non vendit illud, sed solum jus percipiendi decimas, ut sunt fructus temporales pretio æstimabiles. Vide Pirh. *n.* 155.

Quæstio 478. *Qualiter obveniat illis jus decimandi per donationem, seu concessionem?*

1. REspondeo: obvenit illis per concessionem inprimis Papæ; potest enim hîc tanquam supremus jurium etiam spiritualium Ecclesiæ dispensator jus decimandi, etiam ut fundatum in titulo spirituali, ex causa adimere uni Ecclesiæ vel Ecclesiastico, & donare, seu concedere alteri juris istius quà talis capaci; sic quoque potest per incorporationem parochiarum factam monasteriis vel Canonicatibus eisdem dictum jus concedere. Engels *n.* 20. *de decim.*

2. Dein per concessionem Episcopi, in quantum is potest decimas, quas nunquam possedit, post earum recuperationem, vel ad opus suum retinere, vel secundùm discretionem sibi à Deo datam alteri Ecclesiæ concedere, juxta *c. quoniam. de decim.* Barb. *de offic. paroch. c.* 28. §. 3. *n.* 52. citans Rotam *in Sabinensi decimarum* 1. *Jun.* 1609. qui etiam *n.* 54. absolutè ait, posse Episcopum decimas concedere aliis Ecclesiis cum aliqua causâ, juxta *c. statuimus. & c. final. ibid. q.* 1. citátque pro hoc Monet. *de decim. c.* 5. *n.* 60. Verall. *p.* 3. *decis.* 340. & Rotam *in Conchensi decimarum* 5. *Maji.* 1600. quamvis, ut idem Barb. *n.* 53. decimas illas, quas aliquando habuit, si revertantur ad mensam Episcopalem, non possit transferre in personam, quæ nunquam moritur, ne spes revolutionis adimatur, juxta decisionem Rotæ *in Taurin. decimarum.* 12. *Jan.* 1607. quam citat.

3. Denique etiam per donationem factam à laico, legitimè hoc jus (intellige ut separatum à titulo suo spirituali) possidente; potest enim ille illud non tantùm Ecclesiæ, à qua accepit, redonare, seu restituere, etiam sine consensu Episcopi. *c. cum Apostolicæ;* sed & alteri, etiam non parochiali, puta monasterio &c. accedente consensu solius Episcopi, juxta *c. cum Apostolicæ. de his quæ fiunt à præl.* Engels *cit. n.* 20. Pirh. *n.* 146. Quin &, si consuetudine induci potest, ut laicus legitimè habens istiusmodi jus decimandi de eo disponat liberè tanquam de bono patrimoniali, ut dictum suprà, ideóque illud vendere, donare possit etiam laico absque consensu Episcopi; multò magis idem poterit respectu Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ. Etsi autem laicus decimas illegitimè illi concessas ante dictum Concilium Lateran. (puta per Prælatos inferiores Papâ in feudum perpetuum; censet enim Barb. *cit. loc.* post citando *n.* 63. hoc ipsum & solùm, & non alias concessiones ab istis Prælatis factas laicis, jam ante Concil. Lateran. ab Urbano II. fuisse prohibitum) si induci non possit, ut restituat Ecclesiis, à quibus avulsæ, restituat aliis Ecclesiis, vel aliis Clericis, præcipuè religiosis, quibuscunque voluerit, accedente Episcopi consensu, id ipsum tantùm de concessis, & non de concedendis imposterum illegitimè decimis, permittente dicto Concilio Lateran. ut sic utilitati Ecclesiarum consuleretur, & vitarentur scandala. Pirh. *cit. n.* 146. Barb. *cit. c.* 28. §. 3. *num.* 6. citans Gilchen *de præscrip. p.* 3. *c.* 8. *num.* 7. Rebuff. &c. Obtentas etiam post dictum Concilium decimas etiam cum consensu Episcopi nequit donare aliis Ecclesiis etiam regularibus aut Clericis, sed tenetur restituere illi præcisè Ecclesiæ, ad quam antea pertinebant. Barb. *loc. cit. n.* 6. *& seq.* Pirh. *loc. cit.*

4. De reliquo laicus, in quacunque dignitate constitutus, non poterit donare seu concedere jus illud spirituale decimandi, etiam clerico; cùm quod quis non habet, quin & habere seu possidere nequit, dare non possit: & pro non dato habeatur, quod ab illo donatur, qui non potest de jure donare *c.* 5. *de jurep.* Pirh. *n.* 151. Ita ut donatio juris decimandi vel alterius similis juris spiritualis à laico facta ita ut sit nulla, ut nec legitimum, nec coloratum titulum, & justam causam præscribendi tribuat, adeò, ut etiam personæ Ecclesiasticæ possidentes decimas, similéve jus spirituale nullo unquam tempore præscribere possint, si fundent se super donatione vel concessione laici, etiam regis, juxta *c. dudum. de decim.* Pirh. *n.* 150. Idque non obstante bonâ fide recipientis, eò quòd qui jus illud decimandi accepit à laico, credens talem concessionem esse validam & justam, erret in jure, error autem juris

in præ-

in præscriptione non prosit. *l. nunquam. de usucap.* neque manifestus error juris cum bona fide consistere possit; qui enim contra jura mercatur, bonam fidem non habere præsumitur. *reg. Juris 22. in 6.* Pirh. *n.* 151. Quod ipsum tamen limitat Rebuff. *de decim. c. 3. n. 91.* apud Engels *cit. n. 20.* ita ut illi, qui receperunt decimas de manu laici, quamdiu vivunt, nequeant præscribere; eorum tamen successores in bona fide existentes, saltem tempore immemoriali, id possint. Neque in dignitate vel beneficio successori noceat mala fides Antecessoris; quia non ab ipso, sed à superioris institutione causam habet juxta Gl. *in c. curam. de jurepat. in fine.* videturque ipse titulus successionis in dignitate vel beneficio (ex quo beneficiatus vel Prælatus plerumque etiam sub juramento tenetur defendere, seu conservare jura suæ Ecclesiæ vel beneficii) sicut est justus ad possessionem talium decimarum (supposito quòd aliunde nesciatur vitiosa) adipiscendam vel retinendam; ita etiam sufficiens ad præscriptionem ordinarii temporis, nempe 40. annorum, adeóque immemoriale tempus non requiratur. Insuper Clericus, qui illud à laico recipit, committit sacrilegium; cùm rem sacram sine legitima auctoritate usurpet. *cit. c. dudum.* Abb. *ibid.* & est ipso jure excommunicatus juxta *c. generalis. de elect.* Pirh. *ibid.*

5. Sed neque laicus jus decimandi abstractum à titulo spirituali, seu acceptum prout à laico possideri potest, concedere illud potest; dum illud injustè obtinuit. *c. prohibemus. h. t.* Pirh. *n.* 143. citans Covar. *l. 1. c. 17. n. 5.* Suar. *cit. c. 26. n. 7.* quia nemo potest plus juris in alterum transferre, quàm sibi competebat. *reg. Juris 79. in 6.* injustè autem possidenti nullum in decimis jus erat.

Quæstio 479. Qualiter obveniat dictum jus Ecclesiasticis per consuetudinem, & præscriptionem?

1. Respondeo ad primum: possunt per consuetudinem decimæ uni Ecclesiæ aliàs debitæ alteri adscribi & solvi. *c. cum sint.* & *c. ad Apostolicæ. de decim.* Barb. *loc. cit.* §. 3. *n.* 68. citans Covar. *l. 1. c.* 17. *n.* 8. Guttier. *practic. qq. l. 1. q.* 17. *n.* 2. & 5. Fag. *ad prec. 5. l. 3. c. 1. n.* 4. Sic per consuetudinem induci potest, ut Ecclesia aliqua, monasterium, vel persona Ecclesiastica jus acquirat percipiendi decimas ex prædiis intra alienam parochiam sitis, quæ aliàs jure communi ad istam Ecclesiam parochialem pertinent. Pirh. *num.* 126. citans Suar. *l. 1. c.* 22. *num.* 1. consuetudo enim legitimè præscripta derogare potest juri communi humano. *c. ult. de consuetud.* adeóque jus competens uni Ecclesiæ in aliam transferre. *c. cum dilecti. tit. eod.* absolutè namque necessarium non est, decimas prædiales solvi Ecclesiæ parochiali, in qua sita sunt prædia, sed sufficit eas soli Deo, & in usum quorumcunque Clericorum, qui ex consuetudine, privilegio, alióve justo titulo jus decimandi acquisiverunt. Pirh. *loc. cit.* citans Canis. *de decim. c. 9. nu. 3.* Nihilominùs hæc non procedere in decimis, quæ limitibus adhærent, hoc est prædiis, quæ limitibus proxima sunt, tenet apud Barb. *loc. cit.* Rebuff. *q. 13. n.* 48. quem sequitur Monet. *cit. c. 5. n.* 97. Porrò in hoc casu, dum nimirum agitur inter duas parochiales Ecclesias, sufficere consuetudinem 100. annorum; cùm ea non sit contra, sed præter jus, post Covar. docet Monet. *n.* 101. & Barb. *loc. cit. nu.* 71. citans Mareschot. *var. resol. l. 2. c. 95. n.* 19. & expressè Rota *decis. 333. num.* 18. apud eundem Barb. quòd consuetudo in materiâ decimarum ad favorem Ecclesiæ Sacramentalis contra Ecclesiam prædialem, ut inducatur, requiratur possessio decennalis, & *n.* 19. quòd Ecclesia prædialis, si quò ad decimas probaverit particularem consuetudinem ad sui favorem, tunc non sufficiat consuetudo decennalis contraria, sed opus sit formali præscriptione; Etsi in aliis casibus, dum nimirum agitur inter Ecclesiam parochialem, & alteram, cui jus resistit, consuetudo, quæ circa decimas observanda est, debeat esse 40. annorum (intellige ut Barb. *cit.* §. 2. *n.* 35. cum titulo, aliàs immemorialis) Monet. *loc. cit. n.* 103. cum Covar. ubi etiam, quòd textus *c. 1. de præscrip. in 6.* qui videtur contrarius, procedat in præscriptione, non in consuetudine: Et dum agitur ad effectum excludendi parochum à decima jure debitâ, consuetudo non solvendi eam, aut non integrè, debeat probari cum requisitis ad immemorialem, & legitimam præscriptionem. Barb. *n.* 69. citans Rebuff. *ubi antè n.* 53. Gratian. *discept. for. c.* 599. *n.* 16. *&c.*

2. Respondeo ad secundùm: jus decimarum à quibuscunque Clericis, aut Conventu Religioso, non solùm contra alios Clericos vel Conventus, sed etiam contra parochum proprium præscribi potest, & sic in vi præscriptionis obvenire uni Ecclesiæ vel Clerico, quod priùs erat alterius. Laym. *cit. c. 6. n.* 7. Barb. *de offic. paroch. c.* 28. citans Abb. & Gl. *in c. penult. de decimis.* Covar. *d. c.* 17. *n.* 8. Guttier. *dicto c.* 21. *n.* 6. Monet. *c. 5. n.* 107. & plures textus juris, uti & Rotæ decisiones, etsi dicat contrarium teneri à S. Antonino *p. 2. tit. 4. c. 3. §. 3.* quin & à S. Tho. *2. 2. q. 87. a. 3. ad 3.* neque enim jus decimas exigendi à parochianis sine parochiâ possideri ab Ecclesiastico non parocho vetitum est ullibi in jure. nam *c. pervenit. ibid. q. 1.* & similibus textibus solùm prohibetur Monachis jura parochialia usurpare, non tamen negatur tempore habili ad præscribendum possidentes mediante illo posse acquirere. Barb. *loc. cit.* ex Guttier. *n.* 60. sed neque vetitum à tali eas præscribi: quin & lex dum particulariter non prohibuit præscribi hoc jus, voluit ut tale jus mediante præscriptione in non parochum transiret. Barb. *ibid.* ergo cùm à tali possit acquiri per privilegium, poterit etiam acquiri per præscriptionem. Barb. *ibid.* fusè. Nec obstat jus percipiendi decimas necessariò annexum esse ministerio administrandi Sacramenta; nam adhuc inconveniens non est, ut præscribatur, manente congruâ parochi sustentatione, in qua principaliter, immediatè, & inseparabiliter jus percipiendi decimas fundatur, & contra quam congruam sustentationem, utpote juris naturalis ac divini, præscribi non potest: sed neque, manente congruâ sustentatione, ex se mediante præscriptione tollitur aut minuitur Sacramentorum administratio; uti fieret si præscriptio congruam parochi sustentationem auferret. Barb. *loc. cit.*

3. Ad præscriptionem, qua Conventus Religiosus aut Clericalis non habentes curam animarum (vel etiam in genere, ut indicare videtur Pirh. quoties Ecclesia, quæ non est parochialis propria) præscribunt contra proprium parochum (idem est de monasteriis, quibus pleno jure incorporatæ sunt parochiæ; quia per istam incorporationem monasterium habetur loco parochi. Engels *n.* 21. citans Tamb. & Rotam) sufficiunt anni 40. cum titulo,

c. ad

c. ad aures. de præscrip. Barb. *loc. cit. n.* 54. Pirh. *num.* 117. Laym. *loc. cit.* citans Covar. *d. c.* 17. *n.* 7. Canis. *cit. c.* 9. Vasq. *in mor. tr. de benef. c.* 1. *nu.* 36 &c. sine autem titulo requiritur & sufficit tempus immemoriale. AA. iidem. Ratio quòd alterutrum requiratur necessariò, sumitur ex generali regula: ad præscribendum contra Ecclesiam requiruntur 40. anni cum titulo, vel sine titulo tempus immemoriale; quando jus commune vel præsumptio est contra præscribentem. Abb. *in c. si diligenti. de præscrip. n.* 1. quemadmodum jus non tantùm præsumit decimas ad Ecclesiam parochialem, ejúsque ministros spectare, sed etiam severè prohibet eas ab aliis personis Ecclesiasticis percipi; cùm sint institutæ, ut solvantur à plebe in alimenta, & congruam sustentationem Clericorum eidem plebi ministrantium Sacramenta. Covar. *loc. cit.* Laym. & Pirh. *ll. cit.* ex *c. cum contingit.* & *c. ad Apostolicæ. de decim.* ex c. ult. *de parochiis.* aliisque text. quos iidem citant. Ratio autem, quòd sufficiat immemorialis præscriptio sine titulo (quod ipsum adhuc negant cum Sanch. plures alii apud Laym.) petitur ex alia generali regula: possessio immemorialis bonâ fide facit præsumptionem tituli, si est capacitas in possidente & præscribente. Laym. *ibid.*

4. Ad præscriptionem (idem est de consuetudine ut Pirh.) quâ parochia, in qua Sacramenta recipiuntur, præscribit contra parochiam (ejusdem tamen diœcesis, ut addit Laym.) in qua sita sunt prædia, probabiliter sufficiunt 10. anni inter præsentes, & 20. inter absentes cum titulo; quia jus tali præscriptioni aut consuetudini inducendæ non resistit, nec præsumptionem injustæ usurpationis inducit, sed potiùs favet. dum *c. cum sint.* & *c. ad Apostolicæ.* ait, in hoc casu sequendam esse consuetudinem diu (10. anni autem sunt longum tempus) obtentam, adeóque dicta præscriptio sit tantùm præter jus; nimirum quatenus hoc ipsum, nimirum ad quam istarum Ecclesiarum pertineant decimæ, non discernat: ita sentit Abb. *in c. cum sint. hoc tit. in fine.* Covar. *loc. cit. n.* 8. Guttier. *cit. c.* 21. *nu.* 58. apud Laym. *loc. cit.* Card. de Luca *in summâ. de decimis n.* 17. remittens *ad d.* 1. *&* 5. *de decimis.* Pirh. &c. contra Gl. *in cit. c. cum sint.* & Suar. *cit. c.* 22.

5. Ad præscriptionem parochi contra parochum, dum dubium est, ad cujus parochiæ limites pertineat prædium, sufficiunt anni 10. Suar. *ibid.* apud Laym. & Pirh. *ll. cit.* Ut Ecclesia aliqua præscribat decimas Episcopo de jure communi debitas, quas tamen Episcopus nunquam possedit, cùm non agatur de jure quæsito, sufficit præscriptio sola quadragenaria cum scientia & patientia Episcopi. Barb. *n.* 57. citans Felin. *in c. si diligenter. de præscrip. n.* 7. Abb. *in c. ad decimas. n.* 46.

6. Ad præscriptionem contra Ecclesiam, cui tantùm ex privilegio vel præscriptione competunt decimæ, sufficit quadragenaria possessio cum bona fide. Barb. *loc. cit. n.* 56. Engels *cit. n.* 21.

7. Ad præscribendum contra privatum Clericum sufficiunt anni 10. inter præsentes, & 20. inter absentes cum titulo, & sine illo 30. Engels *ibid.* citans Rebuff. *q.* 13. *n.* 100.

8. Porrò, qui præscripsit jus percipiendi decimas in certa terrâ seu fundo, censetur præscripsisse decimas ex omnibus fructibus, qui in fundo isto nascuntur. *c. cum in tua. de decim.* Pirh. *n.* 118. Barb. *n.* 60. jus enim decimandi per se refertur ad ipsam terram seu fundum, qui absolutè sit obnoxius decimis ei, qui jus illud decimandi in eo præscripsit; ad certos autem fructus, qui ibi nascuntur, non nisi per accidens, & occasionaliter refertur; unde si in fundo aliquo per annos 20. percepti sunt certi fructus v. g. triticum sub generali ratione juris decimandi; eadem ratio etiam in aliis fructibus v. g. hordeo, avena, dum illi postmodum seminati fuerint, procedere debet, adeóque quò ad illos etiam præscriptum esse censetur; dum autem una eadémque ratio militat, una eadémque res non debet diverso jure censeri, ut nimirum fundus idem quò ad aliquos fructus sit obnoxius decimis, & quò ad alterius generis fructus non; nisi fortè decimæ ex certis fructibus ab antiquo solutæ fuerint Ecclesiæ parochiali v. g. decimæ minores, olerum, lupulorum, lini &c. aliæ verò decimæ majores ex iisdem prædiis alteri Ecclesiæ alicui v. g. Conventuali; tunc enim hæc non poterit decimas minores aliorum fructuum sub universali ratione præscribere, cùm has Ecclesia parochialis solita sit percipere.

9. Dum quis præscripsit decimas personales parochianorum habitantium in aliquo loco, & aliquis de novo adveniens in illo loco domicilium fixerit, contra illum quoque eædem decimæ præscriptæ censebuntur; in quo casu non dicitur præscriptio in una persona extendi ad aliam, sed jam facta respectu generis comprehendi speciem, quæ offertur, quamvis adversus illam specificè præscriptum non fuerit. Barb. *cit. c.* 28. §. 3. *nu.* 62. citans Guttier. *c.* 21. *n.* 112.

10. Ac denique, dum parochus vel alius ex alienæ parochiæ prædiis jus percipiendi decimas legitimo tempore præscripsit, non ideo etiam censendus est acquisivisse jus percipiendi decimas ex novalibus, si ea nullos antea fructus tulerunt; cùm in iis, quæ contra jus sunt, non extendenda, sed potiùs restringenda licentia & præscriptio (quam regulam tradit Abb. *in c. olim. de præscrip. n. ult.*) non extenditur à casu ad casum; quia non plus præscribitur, quàm possidetur juxta *c. sine possessione. de reg. juris in* 6. Gl. *in c. cum contingat. de decim.* V. *Novalium.* Covar. *loc. cit. n.* 13. Guttier. *qq. canon. l.* 2. *c.* 21. *n.* 78. Barb. *n.* 59. Verùm hæc intelligenda de penitus incultis, seu nullos antea reddentibus fructus, si redigantur ad culturam: nam si fundus, ex quo sylvæ cæduæ, fœni aut herbæ reditus percipiantur, & ex his decima præscribenti solvebatur; redactus fuerit ad ferenda frumenta, decimæ pariter ex his præscriptæ censebuntur juxta dicta antè. Barb. *ibid.*

Quæstio 480. *Quibus personis Ecclesiastico jure communi debeantur decimæ?*

1. REspondeo primò in genere: ex prima Ecclesiæ ordinatione ante divisionem diœcesium in parochias, & erectionem beneficiorum in titulos, totius diœcesis decimæ debitæ erant cœtui Clericorum in genere ministrantium populo spiritualia, aut in hoc ministerio juvantium, & pro populo orantium; ita ut distributio earum pro qualitate & mensura laboris aut necessitatis cuique facienda spectaret ad Prælatum, teste Clem. Romano *l.* 2. *constitut. c.* 25. *c.* 1. *& c. pervenit. de decimis.* Castrop. *de decimis. p.* 10. *n.* 1. Less. *l.* 2. *de Justit. c.* 39. *nu.* 17. Pirh. *n.* 78. post factam verò divisionem diœcesium in parochias, erectionémque beneficiorum in titulos, singulis ea debetur decimarum portio, quæ cujus-

cujusque titulo attributa, & annexa est Less. *ibid.* vel etiam, quæ crescente dein decimarum cumulo, Clericorúmque numero eorum quoque pluribus absque ratione beneficii ex gratia seu privilegio applicata fuit. Castrop. *loc. cit.* Atque ita licet sepositio omni Ecclesiæ præcepto & taxatione, solis fortè iis, qui curam animarum habent, debeantur, ex justitiâ decimæ, uti hoc insinuat D. Th. *loc. cit. a.* 3. & Cajet. *ibid.* non enim præscindendo ab Ecclesiæ præcepto tenetur populus ex justitiâ præter hos, eorúmque necessarios adjutores alere alios, sed ad summum ad aliorum quoque Ecclesiæ ministrorum sustentationem contribuere ex lege religionis vel charitatis; positâ tamen Ecclesiæ taxatione, & præcepto de solvendis decimis debentur eæ ex justitiâ non solùm habentibus curam animarum, sed & aliis; eò quòd Ecclesia primitus imperaverit decimas intuitu totius cœtûs seu omnium ministrorum suorum, quos omnes inde ali voluit. Less. *loc. cit.* ubi etiam *nu.* 8. ait solutionem decimarum esse actum justitiæ & religionis, quatenus Ecclesia, etiam in recognitionem supremi dominii divini & excellentiæ imperavit fidelibus solutionem decimarum, adeóque ut hinc infert Castrop. *p.* 2. *n.* 10. non solventem decimas peccare & contra justitiam, & contra religionem. Supposito itaque Ecclesiæ præcepto

2. Secundò: Clericis omnibus, quibus concessum est beneficium Ecclesiasticum propriè dictum, sive illud curatum sit, sive simplex omnino, debentur decimæ ex justitiâ de jure communi; non enim ex debentur Clericis, tenentúrque eos alere laici eò solùm, quòd Sacramenta administrent, sed etiam quia ab Ecclesia ad cultum divinum, ad sacrificium, & orationes offerendas ex officio sub speciali titulo & obligatione tanquam proprii, & publici ejus ministri (quales sunt omnes & soli Clerici beneficiati, ratione collati illis ab Ecclesiâ beneficii) deputantur juxta *c. ex parte. de decimis.* Castrop. *p.* 10. *n.* 1. ex Suar. *cit. c.* 28. *n.* 12. & *c.* 29. *n.* 4. Unde jam religiosis aliisque Clericis beneficium Ecclesiasticum non habentibus decimæ non debentur ex jure communi, & jus proprium ad percipiendas decimas non habent, cùm hoc ipso non sint ministri ejus proprii, & publici ab eâ deputati specialiter; sed ex privatâ devotione vel voto populo deserviant. Pirh. *n.* 81. Castrop. *n.* 2. Et si quandoque inserviant in spiritualibus populo ex pacto cum eis inito, vi istius pacti debetur eis necessario sustentatio, seu stipendium, sive illud detur ex decimis, sive ex bonis aliis Ecclesiasticis vel sæcularibus; & si detur ex decimis, id est per accidens. Pirh. *loc. cit.* Vi autem Ordinis seu characteris Clericalis capaces solùm redduntur juris percipiendi decimas; si illud ipsis aliquo titulo legitimo obveniat. Pirh. *ibid.* Unde nec populus obligatur ex justitiâ religiosos quà tales sustentare, sed solùm ex gratitudine, charitate, misericordiâ vel religione. Pirh. *ibid.* secùs est, dum religiosis assignantur decimæ ratione beneficii Ecclesiastici ipsis concessi; ut si Ecclesia vel beneficium parochiale aut etiam simplex uniatur alicui monasterio, vel conferatur alicui particulari Clerico religioso; tum enim de iis, sicut de aliis beneficiatis sæcularibus loquendum: sed debentur iis decimæ vi privilegii eis concessi, licet quandoque sub obligatione exercendi ministerium aliquod spirituale. Castrop. *cit. n.* 2. quamvis & obtinere possint jus decimandi per consuetudinem, & possessionem bonâ fide continuatam (quæ tamen & ipsa esse non potest, nisi præsumatur privilegium aliquod desuper iis concessum; uti illud actu præsumitur in foro externo; ubi decimæ à tempore immemoriali ab iis exiguntur) non quidem in vi possessionis, sed tituli præsumpti seu præscripti. Castrop. *n.* 2. citans Rebuff. *q.* 13. *num.* 63. Guttier. *c.* 21, *n.* 6. Non minùs tamen debentur iis in utroque casu ex justitiâ; cùm Ecclesia, cui post factam taxationem ex justitia debentur decimæ, hoc ipsum jus, quod habet ad illas exigendas, transferat in religiosos, ficque illius juris possidendi sint capaces. Castrop. *n.* 2. ex Abb. & Suar. *suprà.* Porrò applicationem decimarum factam cuicunque loco pio vel religioso modo quocunque, si beneficiatus exinde privetur debitâ sustentatione (uti sæpe contingit parochianos abundantes solvere decimas, quæ tamen quia à Pontifice applicatæ sunt Canonicatui vel alteri alicui loco pio, vel etiam laico, Clericus eis inserviens cogitur tenui stipendio vivere, & hinc cùm docti & idonei nolint tam tenui stipendio vivere, sæpe indocti & improbi, qui aliter vivere nequeunt, cum maximo animarum damno præficiuntur) esse nullam, eò quòd Papa non sit omnium decimarum dominus, sed dispensator; foret autem iniqua decimarum dispensatio, quæ beneficiatum privans debito stipendio vellet gratis servire, docet Castrop. *nu.* 3. & 4. ex Suar. *cit. l.* 1 *c.* 15. *n.* 7. & *seq.* Adeóque non obstante tali applicatione, pensionarium v. g. seu eum, cui per modum pensionis applicatæ, teneri adhuc ex justitiâ beneficiatum congruenter sustentare. Quòd si præstare nequiret pensionarius talis, teneri Papam à pensionario avocare decimas, aut dicto beneficiato pensionem aliam aut beneficium ad sustentationem assignare, absque eo, quòd is beneficium illud tenue dimittere teneatur, etiam dum sciens ejus penuriam illud acceptâsset; cùm Ecclesia nolit quempiam obligare ad inserviendum gratis. Castrop. *n.* 4. Less. *l.* 2. *c.* 34. *num.* 164. contra Suar. *loc. cit.* censentem, in eo casu talem teneri servire gratis. Quin & absque eo, quòd dum neque dictus pensionarius, neque Papa tali beneficiato sufficiens stipendium relinquunt, neque parochiani possunt ex decimis detrahere, ut beneficiato illi tribuant, teneantur iidem parochiani isti beneficiato alias pensiones aut decimas tribuere; cùm populus pro exhibito sibi ministerio non teneatur duas vel bis solvere decimas; uti nec tenetur sustentare Vicarium, dum decimas integrè solvit parocho. Neque populus ipse gravet istum suum ministrum; sed Papa vel dicti pensionarii, subtrahentes ei congruens stipendium. Castrop. *n.* 6. citans Less. *c.* 39. *n.* 17. Suar. *c.* 15. *n.* 10. Covar. &c. Posse quoque parochianos ipsos, dum beneficiatus per Vicarios inserviens eis debitam sustentationem non tribuit (cùm tamen sub hoc onere recipiat decimas) easdem denegare beneficiato, ut vicecurato detur congrua sustentatio; cùm in hoc gerant partes ipsius curati, & adimpleant obligationem, quam ipse deberet implere. similiter in isto casu posse illos dicto tali pensionario detrahere de decimis, & applicare curato, tenet Castrop. *n* 5.

3. Respondeo igitur secundò in particulari: primò: non solùm Capitulis Ecclesiarum Cathedralium vel collegiatarum, eorúmque membris, ut sunt Præpositi, Decani, Canonici, debentur de jure communi, & ex justitiâ decimæ Ecclesiæ suæ secundùm illas portiones, quæ eorum mensis, dignitatibus, aut beneficiis sunt applicatæ in eorum

funda-

fundatione juxta *c. ex parte h. t.* sed & Clericis omnibus aliis verè beneficiatis ; hi enim omnes jure proprio spirituali ad se pertinente percipiunt decimas ; quia per se & directe competit illis jus ad portionem decimarum suo beneficio correspondentem & assignatam in beneficii fundatione pro eorum sustentatione. Pirh. *cit. n.* 8.

4. Secundò spectato jure communi, præcipuè ac primariò debentur decimæ Ecclesiarum parochialium rectoribus, seu parochis (non tamen solis, etiam post divisionem parochiarum, ut ait Barb. *de off. paroch. c.* 28. §. 2. *n.* 3. *& seq.*) ex fructibus prædiorum, quæ intra fines cujusque sita sunt. *c. contingit. c. cum in tua. h. t.* Laym. *l.* 4. *tr.* 6. *c.* 4. *num.* 2. cum communi; cùm parochis præcipuè cura & onus spiritualis ministerii incumbat, ad quod ex officio & speciali titulo tenentur. Pirh. *n.* 80. Unde & parochus loci intentionem pro se fundatam in jure habet respectu omnium decimarum intra fines parochiæ suæ existentium contra quemcunque, qui fructus percipit, videlicet dominum prædii, aut Colonum, nisi is jure specialis privilegii, aut consuetudinis præscriptæ se immunem ab iis probaverit. *c. à nobis. hoc tit.* Abb. *ibidem. n.* 2. Pirh. *cit. num.* 80. Barb. *loc. cit. n.* 8. citans Riccium *in pr. p.* 4. *resol.* 294. *n.* 1. Item contra quemcunque possessorem juris decimandi etiam Episcopum, utpotè cui in concursu parochi lex non assistit, sed potiùs resistit, & illud emolumentum decimarum defert parocho præ Episcopo, etsi hic dicatur & sit primus pastor, & omnium parochorum diœcesanorum parochus. C. de Luca *de decim. in summâ n.* 11. citans seipsum *d.* 1. *&* 18. *de decim.* (quamvis tamen etiam, ut ait Lott, *de re benef. l.* 1. *q.* 2. *n.* 76. jus illud parochi mollius procedat respectu Episcopi tanquam ab Episcopo in parochum consecutivè ad animarum curam defluens) Item contra Vicarium curatum perpetuum, (jus enim decimandi sequitur parochiam, etiamsi curam exerceant Vicarii perpetui) cùm huic sola congrua debeatur, quòd verum etiam dum cura animarum habitu est penes Capitulum. Lott. *ibid. nu.* 73. *& seq.* vel etiam penes aliam dignitatem aut beneficiatum. C. Luca *in sum. de decim.* Atque ita, ut non teneatur parochus probare jus decimandi ad se pertinere ; sed contrarium asserenti incumbat onus probandi. Laym. Pirh. Barb. *ll. cit.* juxta varias Rotæ decisiones; quamvis Barb. *n.* 15. dicat in regnis Hispaniarum, ubi Ecclesiæ Cathedrales, dignitates & nonnulla alia beneficia fundata sunt super decimas, ideo parochos ibi non posse dici habere intentionem fundatam contra hujusmodi beneficiatos, sed teneantur probare. Addit Barbos. *n.* 8. hanc juris assistentiam suffragari non tantùm ipsis parochis, sed & aliis, quos iidem ad participandum de decimis admittunt. Similiter, dum parochia incorporata est monasterio, monasterium, quantùm ad decimas ; censeri loco parochi, & tam contra parochianos ; quàm etiam contra Episcopum & Vicarium curam exercentem fundatam intentionem habere ; ait Engels *ad tit. de decimis. num.* 5. juxta decis. Rotæ apud Tamb. *de jure Abb.* Adeóque tunc possunt religiosi curam populi gerentes, & dictas parochias monasterio incorporatas administrantes decimas prædiales & personales exigere, perinde ac parochi & sæculares curati. Pirh. *n.* 55. citans Gl. *in c. ex parte. h. t.* & Abb. *in c. suggestum h. t.* Verùm hæc omnia de assistentia juris pro parocho intelligenda ait Lott. *loc. cit. n.* 97. *&*

seq. nisi dicta assistentia reddatur turbida, uti vel maximè fit, ubi limites parochiæ non sunt liquidi; ad quos etiam malè infertur ex limitibus alicujus territorii vel jurisdictionis juxta Host. *in c. super eo. de paroch. n.* 3. & *c. querimoniam. de jurep. num.* 2. cujus ratio est, quòd actio ipsa ad decimas hinc qualificatur, ut eatenus debeantur, quatenus petantur intra limites parochiæ. Lott. *loc. cit. n.* 101. Unde neque Episcopo, præterquam respectu quartæ jus defert in hac actione ; nisi vel pro decimis suæ Cathedralis, si parochialis ea sit, vel pro decimis positis in territorio nullius parochiæ. Lott. *n.* 102. *&* 103. sed neque suffragari dictam juris assistentiam parochis absque probata possessione, ad effectum obtinendi manutentionem, utpote quæ ex sola juris assistentia non datur, nisi in jurisdictionalibus; uti nec dandam parochis hanc manutenentiam in perceptione decimarum ex sola juris assistentia ; quando constat de possessione alterius, aut allegatur & justificatur ex adverso privilegium: secùs tamen ubi validitas privilegii in controversiam deducta discutitur, tenet Barbos. *n.* 16. citans plures Rotæ decis. Nihilominus in tantum suffragatur, ut licet aliàs spoliatus ante omnia ; seu antequam de causa & titulo possidendi agatur, restitui debeat, spoliatus tamen, etiam dum hic est Ecclesia alia, à parocho super decimis non restituatur, nisi plenè de jure suo docuerit; & sic justificet possessionem, vel probando immemorialem, vel proferendo titulum coloratum juxta *c.* 2. *de restit. spol. in* 6. Laym. *loc. cit. n.* 3. citans Covar. *cit. c.* 17. *n.* 6. Canis. *de decim. c.* 16. *n.* 7. Navi. &c. Lott. *l.* 1. *q.* 20. *n.* 92. *&* 93. citans Put. *l.* 1. *decis.* 361. Ægid. *decis.* 455. Addit etiam Lott. *n.* 94. eandem difficultatem subiturum Episcopum, si non tanquam Episcopus, sed nominè alterius, puta, Ecclesiæ unitæ vel aliàs concessæ sibi ageret contra parochialem, propter juris communis resistentiam in *c. ad decimas. de restit. spoliat.* nisi talis Ecclesia unita esset itidem parochialis ; in hoc enim casu tota controversia reduceretur ad factum, in statuendis videlicet limitibus parochiæ. Putat tamen Engels *n.* 4. id non procedere nisi in circumstantiis casus, de quo *cit. c.* 2. dum nimirum spoliatus modico tantùm tempore fuisset in possessione; ne aliàs detur ansa parochis, aliorum jura invadendi, excitandi lites & violentias; sitque juri consonum & regulare, verum etiam dominum non licere violenter possessionem rei suæ apud alium existentem invadere. Sed nec ex *cit. c.* 2. hanc posse à regula aliàs generali deduci exceptionem generalem: spoliatus ante omnia restituendus : nisi ubi spoliato resistit, & spoliatori assistit jus.

3. Tertiò spectato jure communi, quarta pars decimarum parochialium debetur Episcopo ordinario. *c. conquerente. de off. ordinarii. c. de quarta. de præscrip. c. cum olim de censib.* Barb. *loc. cit. num.* 16. Laym. *loc. cit. n.* 6. citans Abb. *in c. cum contingat. n.* 7. Canis. *c.* 12. Suar. *c.* 28. *n.* 9. factâ enim parochianorum divisione, applicatisque prædiorum decimis singulis parochiis, jure proprio reservata Episcopo hæc quarta portio, visa necessaria ad congruentem sustentationem, tanquam superiori Ordinario pastori fidelium; quamvis, dum in plerisque locis Episcopi ex propriis fundationibus aliisque titulis congruentem sustentationem habeant, quarta illa decimarum in pluribus diœcesibus omnino in desuetudinem abiit, ut ait Laym. *loc. cit.* Posse etiam hanc quartam, ubi adhuc est in usu, recipere augmentum ex consuetudine præscripta, dum id per

Episcopum probetur, ait Lott *l. 1. q. 20 nu. 88. & seq.* quo probato, pro ipso educitur clarum jus reale vel etiam decrementum. Card. *in sum. de decim. n. 12.* Porro licet super ista quarta Episcopus intentionem fundatam habeat in jure communi, vel saltem de consuetudine (quam tamen sententiam Glossæ in *cap. conquerente. de off. Ordinar. V. decimationem.* volentis hanc quartam Episcopo magis deberi ex consuetudine, quàm de jure, communiter damnatam esse dicat Lott. *l. c. n. 85.* citans Seraphin. *decis. 1449. n. 4.* & Bertram. *ad Gregor. decis. 519. n. 4.*) non tamen nisi probatâ quasi possessione illi debetur, aut datur manutentio. Sed neque quartam illam sibi debitam Episcopus exigere potest immediatè à laicis, sed ab ipsis parochis, nempe ex toto cumulo decimarum obvenientium parochiali Ecclesiæ. Barb. *n. 11.* citans Abb. *in c. quoniam. de decim. num. 2.* & *in c. cum contingat. n. 7.* cum communi. Quod tamen ipsum majoris solùm commoditatis gratiâ respectu Episcopi inductum esse, intelligi debere, ait Lott. *lo. cit. n. 81.* cùm non propterea, quòd parochus stante divisione parochiarum non teneatur amplius recipere decimam de manu Episcopi sicut prius, sed eam sibi proprio jure vendicet, possit etiam idem parochus, prohibente Episcopo, illam integrè auferre, & sic Episcopus debeat suam quartam ab ipso percipere; siquidem Episcopus eodem jure reali cum parocho concurrit ad dictam quartam, ratione conjunctionis & universalis curæ, quam habet in Ecclesiis sibi subjectis. Lott. *loc. cit. à n. 82.* citans Monet. *de decimis. c. 7. nu. 14.* Unde etiam Episcopum & parochum ad decimas per laicum dimissas, ait, pro sua quota concurrere æqualiter, & tanquam partarios & portionarios ad invicem juxta Host. *in c. quoniam. h. t. n. 2.* Jo. And. & Butr. *ibid.* & Rotam *decis. 520. n. 1. p. 1. recent.*

6. Quod hucusque dictum de quarta, idem dicendum de certa specie decimarum, quam Episcopus consuevisset decimarum nomine percipere, nempe eum eodem jure coæquali cum parocho ad illam concurrere (etiamsi excedat quartam, in cujus locum videtur subrogata, cùm hæc augeri possit secundum dicta) præsumitur enim Episcopus, uti proculdubio potuit, reservasse eam ab initio sibi in constitutione parochialis, censet Lott. *loc. cit. à n. 86.* qui etiam *à n. 77.* ostendit, ex eo, quòd primitus ante parochiarum divisionem Episcopus intentionem fundatam habuerit contra omnes pro consecutione decimarum, ita ut omnes decimæ essent sub ejus manu, nec ad alium pertineret earum distributio, factum esse, ut dein assignatis parochiis non propterea jus illud abdicaverit, sed solùm communicaverit, principalius decimas semper penes se retinendo, citatque pro hoc Innoc. *in c. requisivisti. de testam. n. 3.* & ait ex Archidiacon. *in c. cum contingat. n. 4.* in signum hujus rei sibi retinuisse jus novorum fructuum casu incidentium.

7. De cetero casus, in quibus adhuc hodie decimæ integrè immediatè ad Episcopum pertinere possunt jure communi sunt sequentes apud Abb. *in c. cum contingat. n. 7.* Rebuff. *q. 7. n. 7.* Suar. *c. 29. n. 1.* quos citat Laym *n. 6.* Primus, isque indubitatus, ut ait Laym. si ipsemet Episcopus sit immediatus curatus Ecclesiæ suæ Cathedralis, vel alterius parochialis, quam saltem per Vicarium administrat. Secundus, dum prædia intra ejus diœcesim nulli parochiæ assignata sunt, decimæ eorum ad mensam Episcopi spectant juxta *c. quoniam h. t.* vel etiam, ut Barbos. *num. 14.* tanquam ad proprium & immediatum parochum spectare dicuntur. Tertius, si adhuc hodie diœcesis aliqua in parochias distincta non est, sed omnis cura immediatè ad Episcopum spectat, ita tamen, ut tunc ex decimis Capellanis seu Vicariis suis congruentem sustentationem tribuere teneatur, sicut apud nos solent parochi. Vide de hoc ultimo C. de Luc. *in sum. de decimis n. 14.* citantem seipsum *ibid. d. 11. & seq.* qui etiam ait, *cit. n. 14.* sicut in hoc casu unica dicitur totius diœcesis parochialis Ecclesia Cathedralis, & Episcopus parochus universalis, ita eandem Episcopum tunc habere assistentiam, quæ factâ divisione singulis parochis competit, & ex hac Episcopi participatione Capitulum habere eandem assistentiam, utpote quod cum Episcopo Ecclesiæ Cathedralis corpus efformat. Denique cessante jure parochi particularis decimandi, utpote cujus sustentationi aliundè satis consultum est, improbam non esse consuetudinem, quæ decimas Episcopo tanquam primo parocho defert, ait C. de Luca *in sum. de decim. num. 13.* citans se *d. 6. 7. 17. de decimis.*

8. Quartò Papæ ex omnibus bonis Ecclesiasticis à Clericis omnibus, etiam Episcopis, debent solvi decimæ, dum eas exigit. D. Th. 2. 2. *q. 27. a. 4. ad 3.* Less. *cit. c. 39. nu. 28.* Bass. *to. 1. v. decima. num. 6.* citans Bonac. Fagund. &c. est enim imprimis omnium bonorum Ecclesiasticorum administrator, adeóque dum bonum Ecclesiæ postulat, potest ex omnibus partem aliquam, pro ut convenientius judicabitur, ad hunc finem applicare, neque astringitur ad unam decimam, sed potest pluries exigere. Dein est etiam supremus princeps in spiritualibus, adeóque non solùm ab Ecclesiasticis, sed etiam ab omnibus Christianis potest exigere eam contributionem, quæ necessaria est ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendum; non enim minus potestatis habet Papa in omnes Christianos ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendum, quàm sæcularis princeps ad tuendum bonum temporale sui regni, ad quem finem imponere potest tributa. Less. *loc. cit.* inquiens, non tamen solere id facilè facere Papam; sed loco decimæ quot annis pendendæ solere ex beneficiis majoribus exigere fructus unius anni pro toto vitæ tempore, quas annatas vocant.

Quæstio 481. Quid sit circa jus decimandi respectu Ecclesiarum de novo erectarum intra fines parochiæ?

1. Respondeo: attento jure communi jus decimandi, & perceptionem decimarum pertinere ad capellam, quæ assignato ei vero ac proprio parocho intra fines alterius parochiæ erigitur noviter. Barb. *cit. §. 2. n. 16.* citans Abb. *in c. cum contingat. h. t. num. 8.* & ibi DD. communiter. Legitimè tamen, hoc est, interveniente præter auctoritatem Episcopi justâ & necessariâ causâ, utpote sine qua nequit Episcopus capellæ noviter erectæ deputare certam parochiam, cum præjudicio Ecclesiæ baptismalis, cujus in hoc consensus est necessarius. Lambert. *de jurep. l. 1. q. 4. a. 8.* Rebuff. *q. 6. n. 9.* apud Barb. *loc. cit. num. 16.* quodque solùm volunt textus *c. Ecclesia.* & *c. quicunque 16. q. 1.* vetantes construi novas Ecclesias cum præjudicio Ecclesiarum antiquarum, maximè quo ad decimas, ut Barbos. *loc. cit.* quæ tamen causa justa & necessaria deputationis novæ parochiæ, reliquæque solennitates interveniisse præsumuntur, dum de iis non constat

Felin.

Felin. *in c. nemo. de consecrat. d. 1. n. 3.* intervenientе saltem diuturnitate temporis, puta 10. annorum. Barbos. *loc. cit.* citans Boerium *decis. 34. num. 2.* Secùs est, dum talis capella, ut fieri sæpe solet, erigitur cum quadam transactione inter eam & Ecclesiam antiquam, non constituendo in ea Vicarium, sed mercenarium deputandum per parochum ecclesiæ antiquæ; pertinent enim tunc decimæ ad ecclesiam matricem ejusque Rectorem, qui dein ex iis justum stipendium capellano vel cooperatori suo præbere cogitur. Laym. *loc. cit. n.* 4. Barbos. *cit. n. 16.*

2. Nihilominus decimas pertinentes ad Ecclesiam matricem non transire ipsò jure in Ecclesiam parochialem noviter erectam, sed remanere apud matricem, nisi facta prædicta dismembratione per Episcopum, is illas novo parocho ad præscriptum Concilii Tridentini *sess. 21. c. 4.* assignavit, censuisse sacram Cong. Concil. sub die 11. Martii 1617. testatur Barbos. *loc. cit. n. 19* Lott. *loc. cit. n.* 109. Quod si verò Ecclesia matrix (quæ de cetero de jure communi fundata est quo ad decimas prædiales suæ parochiæ, ut Gl. *in c. cum contingat.* Rebuff. *q. 6. num. 12.* Suar. *de relig. to. 1. l. 1. c. 28.* apud Barbos. *num. 17.* quin & cui pro titulo justo contra filialem aliàs servire potest, quod potuerit sibi decimas reservasse ab initio in signum matricitatis. Lott. *loc. cit. num.* 107. juxta decis. Rotæ *in Mediolan. decimarum de Varisio 12. Jun. 1618. coram Pirovano.* nullâque sit juris resistentia, ut novâ seu filiali ecclesiâ aliunde sufficienter provisâ; matrix jura parochialia pro suæ dignitatis conservatione retineat, adeoque etiam hæc plerumque sit quæstio facti potiùs quàm juris, non habens certam regulam. C. de Luc. *in sum. de decim. num. 16.*) consenserit assignari limitem & fundationem novæ parochiæ, censetur remisisse jus decimandi; uti & alia jura parochialia, quo ad illam portionem limitum assignatorum novæ Ecclesiæ. Barbos. *num. 18.* citans Rebuff. *num. 20.* Monet. *c. 7. num. 30,* Rotam *decis. 313. num. 6. p. 2. recentiss.* etiamsi in nova erectione id minimè cautum. Gratian. *discep. for. to. 2. c. 458. num. 14.* apud Barb. *nu. 19.* ita ut in hoc casu ecclesia noviter erecta intentionem fundatam super decimis habeat contra matricem. Barb. *n. 9.* citans Abb. *in c. cum contingat. n. 8.* & *in c. ad audientiam. de Eccl. ædif. n. 14.* Paris. *cons. 73. n. 3.* Menoch. *cons. 39. n. 20. &c.* plures; Rotæ decis. in quarum una, nempe *Mediolan. decimar. S. Julian. 16. Jan. 1615. coram Pamphil.* vult hoc procedere, ubi dismembratio facta est simpliciter, non autem, quando facta est cum clausula: *sine præjudicio alterius.*

Quæstio 482. *Cui Ecclesiæ parochiali pendendæ sint decimæ?*

REspondeo: ibi solvendæ decimæ personales jure communi, ubi quis habet domicilium, & Sacramenta percipere debet, vide de hoc dicta supra. q. 471. per totam.

Quæstio 483. *A quibus pendendæ decimæ, seu quæ personæ ad decimas solvendas obligentur debito personali?*

1. REspondeo primò: pro explicatione terminorum, supponendo cum Laym. *cit. l. 4. tr. 6. c. 3. ad initium.* Suar. *to. 1. de relig. tr. 2. l. 1. c. 17. num. 8.* apud Pirh. *nu. 33.* duobus modis posse aliquem ad hoc obligari. Primò per se & directè, seu ratione personæ, ità ut obligatio hæc immediatè oriatur ex conditione ipsiusmet personæ, nimirum ex illius subjectione, quâ ea in spiritualibus, seu quo ad percipienda divina subjecta est alicui, & ex inde in res & fructus rerum talis personæ derivetur. Unde hæc dicitur obligatio personalis seu debitum personale. Secundò per accidens & indirectè, seu ratione rei tantùm, quia nimirum persona per se seu ratione sui alioquin non obligata ad decimas possidet rem frugiferam, aut ejus fructus percipit, quibus incumbit onus decimarum; unde & hæc dicitur obligatio realis, seu debitum reale. hoc supposito

2. Respondeo secundò in genere: omnes & solæ istæ personæ obligantur ad præstationem decimarum per se, & debito propriè personali, quæ ad recipienda spiritualia & divina subjiciuntur Ecclesiæ alicui, aut proprio sacerdoti, cujus spirituali ministerio & curâ egent, cùm decimæ dictæ curæ & ministerii sint stipendium. Barbos. *de off. paroch. c. 28. §. 3. num. 1.* Laym. & Pirh. *ll. cit.* ex D. Thom. *loc. cit.* juxta *c. ex transmissa. de decim.* hinc

3. Respondeo tertiò: in specie non teneri hoc debito, Primo Judæos, aliosque infideles (aut etiam, ut addit Castrop. *de decim. p. 10. nu. 1.* catechumenos) non baptizatos; cùm quo ad personas suas Ecclesiæ legibus (qualis est illa de decimis solvendis) non subjiciantur; adeoque sacerdotes vel ministros Ecclesiæ nullos habeant, à quibus divina percipiant, aut sacrificium pro illis offeratur, quod est fundamentum seu causa dictæ obligationis solvendi decimas. Gl. *in c. de terris h. t. V. persolvendas.* Pirh. *ad tit. de decim. n. 37.* citans Azor. *p. 1. l. 7. c. 24. q. 3.* Suar. *loc. cit. n. 16. nu. 3.* Laym. *loc. cit.* citans Sotum contra Abb. *in c. de terris. n. 6.* cum communi. Licet autem Ecclesia posset istiusmodi infideles cogere, ut ministros necessarios ad docendam fidem & conferendum baptismum alerent, cum sicut ex jure naturæ & divino tenentur audire veritatem & fidem veram recipere, ita eodem jure teneantur sustentare ministros ad hoc necessarios; nunquam tamen hac potestate suâ utitur Ecclesia, sed gratis remittit, à solis baptizatis exigens dictorũ ministrorum sustentationem. Castrop. *loc. cit.* ex Suar. *c. 16. num. 12.* Sed neque ex eo, quod Ecclesiæ non desit cura de iis in conferendo baptismo aliisque Sacramentis, adeóque pertinacia illorum non sit imputanda Ecclesiæ; ut ea sic per eam defraudetur suis decimis. Nam etsi, ut dictum, teneantur recipere fidem infideles; donec tamen illam profiteantur, non tenentur nostris legibus, neque nostris Prælatis obedire; quando præceptum in illos directe dirigitur Barbos. *loc. cit. num. 5.* ex Soto *l. 4. de Just. q. 4. a. 2.* Posse tamen etiam Judæos per accidens & indirectè cogi, pro ut in quibusdam locis fit, ut in defectum personalium decimarum & oblationum, quos alioquin ministris Ecclesiæ penderent fideles inhabitantes ædes, quas modò incolunt Judæi, ad faciendam compensationem aliquam damni hujus illati, seu cessantis interesse, improbabile non esse ait Pirh. *num. 38.* argumento *c. de terris. & c. quanto. de usuris,* citans Abbat. *in c. de terris. n. 6.* & Gl. *in c. tua, de decim. V. prætextu.*

4. Secundò Papa, cùm is non habeat in terris pastorem, nemo autem per se obligetur ad decimas nisi ordinario pastori suo, cui in spiritualibus subjicitur. Laym. *loc. cit. coroll.* 2. citans Suar. *c.* 17. *nu.* 8. & Abulens. *in c.* 23. *Matt. q.* 193. contra Rebuff. *de decim. q.* 5. *n.* 26.

5. Tertiò pauperes, non solùm extremâ necessitate, in qua omnia sunt communia, sed etiam gravi paupertate pressi, ita ut solutis decimis non habeant necessaria ad se suósque congruè alendos (sed, ut Castrop. *n.* 2. debeant postmodùm mendicato illas, nempe decimas, postulare) probabiliter non tenentur ad eas solvendas, usque dum ad meliorem statũ redeant. Castrop. *ibid.* Laym. *n.* 6. Pirh. *n.* 46. citans Suar. *c.* 16. *n.* 16. contra Abb. *in c. cum homines. n.* 5. Rebuff. *n.* 34. Canis. *de decim. c.* 5. qui solam necessitatem extremam excipiunt. Non enim est credibile hoc præceptum Ecclesiæ cum tanto rigore obligare, & Ecclesiam velle tanto cum rigore à fidelibus exigi decimas, præcipuè, cùm antiquo jure pars decimarum & fructuum Ecclesiasticorum applicata sit pauperibus, & adhuc hodiedum Clerici teneantur illis ex suis reditibus subvenire, adeóque ægrè ferre non possint parochi, si, quod iis à se tribuendum, ipsi retineant. Ad hæc, loquendo generaliter, solutio debiti differri possit, dum debitor ipse aut ejus familia est in gravi necessitate. Laym. & Castrop. *loc. cit.* qui posterior etiam tenet, in gravi necessitate non secùs ac in extrema omnia esse communia; quin & non solùm differri solutionem posse, sed & debitum extingui, si durante necessitate dives tenetur facere eleemosynam, adeóque egenum uti jure suo proprio, dum rem ipsam consumit. Idem extendit Pirh. *n.* 42. ad moniales aliósque regulares, quorum reditus adeo tenues, ut de iis sustentari nequeant, sed in hunc finem mendicare debeant (intellige, si vi statuti aliàs mendicare non soleant) juxta *Extrav. declarationes, h. t.* quamvis dicat, ibi sermonem esse de decimâ Papali imposita personis Ecclesiasticis. Secùs tamen est de pressis communi paupertate, ita ut licet tenues habeant reditus, solutis tamen decimis, sufficientes ad necessariam sui suorumque sustentationem; eò quòd, licet decimæ aliique reditus Ecclesiastici, si sint superflui, in pauperes aliosve pios usus sint erogandi, distributio tamen ista relicta sit ipsis Clericis; adeóque dicti pauperes suæ priùs obligationi satisfacere debent, cùm speciale aliquod jus non habeant ad superfluos reditus Ecclesiasticos. Laym. *n.* 5. Pirh. *n.* 45. D. Th. & Suar. *ll. cit.*

6. Quartò Episcopi & parochi non tenentur ex debito personali solvere decimas, spectato jure communi Ecclesiastico. Castrop. *n.* 6. Pirh. *num.* 40. Laym. *n.* 1. *coroll.* 3. citans D. Th. & Suar. eò quòd talis obligatio neq; ex jure Canonico, neque ex consuetudine ostendi possit, decimæque hoc debito non debeantur nisi ordinario parocho vel proprio sacerdoti, à quo quis recipit Sacramenta & spiritualia, quíque ad ea ministranda tenentur ex officio, qualis non est respectu Episcopi vel parochi. Pirh. *cit. n.* 40. Et licet parochi subjecti sint Episcopo tanquam parocho parochorum, à quo dirigantur, adeóque ex hoc adsit sufficiens fundamentum solvendi decimas Episcopo, jus tamen iis istam obligationem non imposuit. unde nec Episcopi talibus decimas similiaque tributa imponere possunt parochis. Laym. Pirh. Castrop. *ll. cit.*

7. Respondeo tertiò: è contra tenentur hoc debito, primò hæretici, cùm, utpote baptizati, Ecclesiæ subjiciantur, adeóque teneantur hoc illius præcepto, & ab ejus obligatione nõ eximantur ob contumaciam suam, ne ex iniquitate sua commodum recipiant. Et licet de facto spiritualia à ministris Ecclesiæ nõ recipiant, ad hoc tamen teneantur. Pirh. *n.* 36. citans Abb. *in c. de terris. h. t. in fine.* Suar. *c.* 16. *n.* 3.

8. Secundò Clerici non curati obligantur per se & debito personali ad solvendas decimas; Clerici enim, qui parochi non sunt, tenentur recognoscere pastorem propriũ, & ab eo Sacramenta recipere, & hic ea illis ex officio ministrare, adeóque nõ minus sunt illius parochiani quàm laici, quæ est ratio, ob quam laici tenentur solvere decimas. Castrop. *nu.* 3. Laym. *n.* 2. Pirh. *n.* 41. & apud illos Suar. *l. c. c.* 17. *n.* 21. Covar. *l. c. c.* 17. *n.* 8. *&c.* juxta *c.* 2. *de decim.* ubi dicitur: *illi profectò Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Hoc ipsum autẽ intelligitur non tã de decimis merè personalibus, utpote quæ hodiedũ per consuetudinem ferè communem abrogatæ, ne quidem à laicis penduntur, quàm de prædialibus. Pirh. *n.* 42. Laym. *loc. cit.* non quidem solvendis ex prædiis & reditibus, seu fructibus Ecclesiasticis, quos possident, & percipiunt titulo merè spirituali. v. g. beneficiorum suorum Ecclesiasticorum, aut quæ lucrantur actione spirituali, seu ut Clerici sunt; voluit siquidem Ecclesia hos reditus illis sine diminutione obvenire; cùmque ea censeantur stipendium laboris seu operis spiritualis, censẽtur ea integrè, & libera ab omni onere Ecclesiastico accipere. Et de his intelligendum est *c. novum. de decim.* ubi dicitur: novum (hoc est insolitum & non ferendum) genus exactionis esse, ut Clerici à Clericis decimas exigant. & illud vulgare dictum: Clericus Clericum non decimat: AA. iidem (quamvis id limitet Pirh. *nu.* 42. *&* 43. ad bona seu prædia, ex quibus fructus ratione suorum beneficiorũ percipiunt, si ea sita sint intra eandem seu parochiam dictorum beneficiatorum seu Clericorũ propriam: eò quòd, cum Abb. *in c.* 2. *de decim. n.* 6. Suar. *cit. c.* 17 *n.* 70. Covar. *l. c. n.* 8. *&c.* contra D. Th. veriorem de jure censeat sententiam, quòd Ecclesia habens prædia in alienâ parochia, debeat alteri Ecclesiæ inde solvere decimas, Verùm tunc saltem illi Clerici de fructibus beneficiorum suorum non tenebuntur adhuc dictæ parochiæ solvere decimas ex debito personali sed reali) sed ex fructibus prædiorum sæcularium ac patrimonialium, quæ possident jure hæreditatis, emptionis, aut quovis alio titulo sæculari. Quin & spectato jure communi (cui tamen, ut dictum aliquoties, consuetudine ferè ubique derogatum) tales Clerici obligantur per se & debito personali solvere decimas personales ex lucris ac reditibus temporali titulo acquisitis; quia respectu horum bonorum seu redituum ac lucrorum temporalium per accidens est, quod talis persona sit Clericus & beneficiatus, adeóque percipit ea, non ut Clericus, sed ut civis. Barb. *cit.* §. 3. *n.* 20. *&* 21. Pirh. *num.* 42. ceteríque AA. citati. Et de horum bonorum decimis intelligenda est altera *cit. c. novum.* pars juxta probabiliorem ejus interpretationem apud Barbos. *in collectan. ibid. n.* 2. Pirh. *n.* 41.

9. Tertiò idem dicendum de religiosis, spectato nimirum jure cõmuni antiquo, & seclusis privilegiis, & contrariâ consuetudine, argumento *c. ex multiplici. c. commissum. c. ex parte. h. t.* Laym. *n.* 4. Pirh. *n.* 44. Suar. *loc. cit. n.* 25. quia etiam hujusmodi personæ, nisi privilegio vel consuetudine eximantur, subjectæ sunt parochiis. Laym. *loc. cit.*

10. De-

10. Denique quo ad laicos, etiam supremos Principes ac Reges dubium non est, eos hoc debito personali obligatos esse solvere decimas, præscindendo pariter à privilegio. Barb. *cit.* §. 3. *n.* 2.

Quæstio 484. *Quænam personæ obligantur debito tantùm reali ad solvendas decimas?*

1. RESpondeo: omnes omnino, cujuscunque ordinis, religionis, status & dignitatis fuerint, nisi vel præscriptione, consuetudine, vel Pontificiâ dispensatione seu privilegio eximantur. S. Thom. *cit. a.* 4 Abb. *in c. quanto. de Judæis. n.* 4. Laym. *n.* 5. cum communi DD. *in c. de terris*, postquam enim diœceses in parochias divisæ, prædia intra quamlibet parochiam sita obligationem acquisiverunt inferendæ decimæ partis fructuum eorundem prædiorum Ecclesiæ, intra cujus fines prædia sita sunt, eamque obligationem secum ad quemcunque possessorem deferunt; quia res transit cum suo onere. Laym. *loc. cit.*

2. Sic itaque in specie tenentur hoc debito reali, primò Papa ipse, nimirum ratione bonorum patrimonialium, vel alio titulo non spirituali propriorum, quæ jam antea erant obnoxia decimis. Licet enim sit supremus decimarum & jurium illorum dispensator, non tamen est absolutus dominus; & hinc non potest de illis pro arbitrio suo disponere. Pirh. *n.* 39. citans Suar. *c.* 17. *n.* 10. cum communi.

3. Secundo Episcopi & parochi (intellige juxta dicta ex bonis titulo sæculari acquisitis; nam quæ Episcopo vel parocho specialiter applicata sunt ad ejus sustentationem ratione ministerii & officii, quod fidelibus exhibent, decimis obnoxia non sunt) siquidem jus Ecclesiæ, quod habet in iis bonis sibi obnoxiis in ratione decimabilium lædi non debet, eò quòd ad temporale dominium Episcopi vel parochi ea prædia deveniant. Pirh. *n.* 40. Fagund. *ad præc.* 5. *l.* 1. *c.* 7, *num.* 8. Suar. *c.* 17. *num.* 16. Castrop. *num.* 6. juxta *c. si quis laicus vel Clericus.* 16. *q.* 1. ubi dicitur: *si quis laicus vel Clericus, vel utriusque sexûs persona proprietatis suæ loca, vel res alicubi dare delegaverit. decimativum proventum priori Ecclesiæ abstrahere, nullam habet potestatem; quod si facere tentaverit, talis traditio irrita prorsus dicitur &c.* Idem esse respectu bonorum sitorum in aliena parochia, donatorum Episcopo vel parocho tanquam personæ privatæ titulo spirituali, dicit Castrop. *p.* 11. *n.* 6. ut ait, cum communi. Quin etiam ex fundis & prædiis jam antecedenter obnoxiis ratione decimarum parochiali Ecclesiæ v. g. S. Petri, in qua sita, dum ea dein non donantur parocho tanquam privatæ personæ, sed obveniunt ipsi Ecclesiæ v. g. S. Joannis titulo fundationis, donationis, legati &c, ac ita fiunt quasi patrimonium illius Ecclesiæ, deberi adhuc à parocho hujus Ecclesiæ S. Joannis debito reali decimas Ecclesiæ S. Petri, docent cum communiore. Laym. *cit. c.* 3. *n.* 5. & apud illum & Castrop. Rebuff. *q.* 5. *n.* 20. Guttier. *qq. can. l.* 1. *c.* 21. *n.* 54. Covar. *l.* 1, *c.* 29. *n.* 8. Abb. *in c.* 2. *de decim.* Nihilominus contrarium, nempe ex prædiis donatis Ecclesiæ in sustentationem ministrorum illius non esse obligationem solvendi decimas alteri Ecclesiæ, in qua sita sunt, esse probabile & placere sibi, ait Castrop. *cit. n.* 6. *in fine.* citans pro hoc D. Tho. *cit. a.* 4. *ad* 1. Suar. *cit. c.* 17. *nu.* 29. & 31. Cajet. Sot. Aragon. Et licet censeat citatum supra canonem *si quis laicus:* nec esse Pontificis alicujus aut Concilii generalis approbati; hanc tamen tanquam exceptionem ab ista regula generali locum habere, nisi fortè in casu, quo grave detrimentum per hoc sequeretur Ecclesiæ isti, in qua sita prædia; tunc autem debere Episcopum impedire, ne decimæ tollerentur, ac ita sentire AA. à se citatos, favet quoque huic sententiæ Pirh. *n.* 43.

4. Tertiò religiosi tam exempti quàm non exempti ex terris & possessionibus suis acquisitis & acquirendis decimas illis Ecclesiis solvere debent, quibus eædem terræ & possessiones, priusquam ad illos pervenirent, fuerunt decimales, nisi super hoc speciali jure v. g. præscriptione vel privilegio sint muniti. Sic expressè *c. statuto. de decim. in* 6. Pirh. *nu.* 44. citans Suar. *c.* 17. *n.* 25. Less. *c.* 39. *n.* 23. *&c.*

5. Quartò Judæi (idem est de Paganis, Turcis &c. ut Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 1. Barbos. *de off paroch. c.* 28. §. 2. *n.* 2. 4. & alii apud illum) obligati sunt hoc debito reali, & cogi possunt ac debent ad solvendas decimas prædiales, (non quidem quatenus formaliter sunt decimæ, sed pro ut onus sunt annexum ipsi rei. Suar. *c.* 16. *n.* 6. apud Pirh. *num.* 37. contra Abb. *in c. de terris. num.* 5. & Oldr. *cons.* 91. apud Barb. *lo. cit.*) ministris Ecclesiæ ex iis fundis seu prædiis, quæ decimis fuerùt obnoxia, antequam ad eorum manus pervenirent. *c. de terris. h. t. c. quanto. de usuris.* Barb. Pirh. *ll. cit.* cum communi. qui tamen *n.* 38. notat, non posse Judæos cogi præcisè ad solvendas has decimas, sed alternativè vel ad illas solvendas, vel ad prædia relinquenda, ut habetur *cit. c. de terris*; cùm gravatus onere reali possit se liberare à debito, relinquendo rem oneratam. Sed & absolutè non tenentur Judæi aliique infideles solvere has decimas ex fundis ac prædiis, quæ nunquam antè fuerunt possessa à Christianis, utpote in quibus nullum unquam jus quæsitum Ecclesiæ, argumento. *c. de terris. & c. quanto.* Pirh. *n.* 38. citans Suar. *ubi ante.* & Barbos. *in collectan. ad c. de terris. num.* 2. Sed neque ad id tenentur jure divino naturali; nam licet omnes homines teneantur hoc jure Deum agnoscere & colere ut Deum; non tamen tenentur vi hujus juris ad hoc per oblationem decimarum. jus verò divinum, quo ad hoc obligabantur Judæi, abolitum sit per legem Evangelicam. Pirh. *lo. cit.* Suar. *c* 16. *n.* 11. Barbos. *num.* 4. Ac denique licet infideles injusto bello occupantes terras Christianorum, si eæ ad Ecclesiam revertantur, de rigore juris obligantur satisfacere, etiam pro decimis præteritis, quas non solverunt, quia Ecclesia nunquam fuit privata jure acquisito ad illas; neque ab infidelibus præscribi contra hoc jus potuit: Ecclesia tamen id exigere non solet, cùm onus sit intolerabile, & magnum fidei impedimentum, ad quod etiam moraliter infideles obligari non possunt. Pirh. *loc. cit.* ex Suar. *n.* 9.

Quæstio 485. *Specialiter circa dominum seu locatorem prædii, & circa colonum seu conductorem, quis eorum solvere debeat decimas?*

RESpondeo: si dominus conduxit solam operam coloni pro sola pensione pecuniaria, ita ut fructus omnes pertineant ad dominum, hic integras decimas, & non deductâ priùs pensione, quam dat colono, solvere tenetur. *c. non est & c. cum non sit. de decim.* Si colonus ipse conduxit prædium pro pensione pecuniaria seu fructuaria pendenda domino, colonus debet integras decimas solvere

vere ex omnibus fructibus, qui proveniunt, & non deducta priùs pensione dicta. *c. cum non sit.* nec in hoc nimiùm gravatur colonus, cùm propter hoc onus minorem pensionem proportionatam, nempe novem partibus fructuum, exigere debet; adeoq; nec tunc tenetur dominus ad decimas solvendas ex dicta pensione accepta; quia illa jam virtualiter decimata est hoc ipso, quòd minor fuerit imposita colono pensio intuitu istius oneris decimarum. Si dominus partem fructuum, & colonus etiam partem recipit, uterque ex parte sua absque diminutione impensarum solvere tenetur decimas juxta *c. à nobis. & c. tua. h. t.* Ita ferè Pirh. *num.* 48. citans Abb. *in c. tua. n.* 14. Azor. *loc. cit. c.* 24. *q.* 4. Suar. *c.* 35. *n.* 13.

Quæstio 486. *An dari possit exemptio ab obligatione solvendi decimas, & qualiter?*

1. Respondeo ad primum affirmativè, cùm enim hæc obligatio non sit ex jure divino naturali, vel etiam positivo, ut dictum, modò relinquatur ministris Ecclesiæ necessaria & congrua sustentatio, tolli omnino potest, multóque magis quo ad aliquos, quæ est propriè exemptio.

2. Respondeo ad secundum: hæc exemptio fieri potest tribus modis, privilegio, consuetudine, præscriptione. Castrop. *disp. unica. p.* 12. *num.* 1. Ac primò quidem per privilegium. circa quod.

Quæstio 487. *Quid in hoc possit Papa, aliúsve Prælatus inferior?*

1. Respondeo ad primum: potest Papa de potestate absoluta validè obligationem solvendi decimas omnino quo ad omnes fideles tollere & abrogare, modò ministris Ecclesiæ aliunde suppeditetur necessaria & congrua sustentatio. Azor. *loc. cit. q.* 6. Less. *l.* 2. *c.* 39. *dub.* 5. Suar. *loc. cit. c.* 14. *nu.* 10. Pirh. *n.* 51. Castrop. *loc. cit. p.* 2. *n.* 2.

2. Secundò: de facto tamen ac simpliciter id non potest licitè; cùm id cederet in grave damnum temporale & spirituale Ecclesiæ totius, esset-que dissipatio reditùum Ecclesiæ. Pirh. *loc. cit.*

3. Tertiò: potest validè & licitè per speciale privilegium quibusdam in particulari concessum obligationem solvendi decimas in totum vel in partem remittere, ac ita illos à communi aliàs obligatione ista eximere. Barbos. *de off. paroch. c.* 28. §. 3. *num.* 12. citans quamplur. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 37. *q.* 6. Castrop. Pirh. *ll. cit.* cum communi. Ratio. quia etsi de jure divino ac naturali sit, ut ministri Ecclesiæ habeant à fidelibus, quibus divina ac spiritualia ministrant, congruam sustentationem, ad summum, procedendo in hoc collectivè, ita ut in parochia aliqua parochus ab omnibus constituentibus illam collectivè sumptis habeat sustentationem suam; non tamen est de jure divino, ne quidem positivo, ut procedatur in hoc distributivè, hoc est, ut singuli parochianorum ad dictam sustentationem contribuere debeant. Barb. Pirh. *ll. cit.* sed neque per dictam exemptionem gravantur alii solventes decimas, cùm non plus solvant, quàm si nullus esset exemptus, sed solum stipendium ministri minuitur, quod ab Ecclesia sicut augeri, ita & minui potest ex justa causa, seu prout ad bonum commune expedire judicaverit. Pirh. *loc. cit.*

4. Quartò licitè id non potest Papa sine causa juxta probabiliorem; cùm sine causa à lege communi & regula omnibus præscripta aliquem eximere sit abuti potestate; quamvis dum id fit citra scandalum ac damnum notabile alterius (quale foret v. g. dum ob exemptionem unius gravarentur notabiliter magis alii) non sit nisi peccatum veniale. Castrop. *cit. p.* 2. *num.* 3. citans Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 18. *nu.* 3. de cetero præsumendum semper, principem sine legitima causa non moveri ad dispensandum in lege, præsertim dum id facit motu proprio. Suar. *de cens. to.* 5. *d.* 41. *s.* 3. Sanch. *loc. cit. d.* 17. *num.* 14. Quin & certum esse in exemptione decimarum facta personæ Ecclesiasticæ intervenire semper causam legitimam, cùm illa exemptio sit quasi applicatio debita sustentationis, eò quòd sint ministri Ecclesiæ ad communem utilitatem ordinati, ait Castrop. *loc. cit. num.* 4. Potest etiam Papa decimas non secùs ac fructus alios uni Ecclesiæ applicatos applicare alteri, prout sibi visum fuerit, absque eo, quòd ulli faciat injuriam; cùm non nisi dependenter à voluntate illius fuerint applicati. Unde per exemptionem factam regularibus Ecclesiæ parochiales allegare nequeunt factam sibi injuriam. Castrop. *loc. cit. num.* 5. Porrò duplicis generis sunt privilegia à decimis solvendis exemptiva. Quædam generalia, nimirum juti Canonico inserta, unde & à jure communi concessa dicuntur. Quædam particularia extra jus commune, sive in scriptis concessa, sive sine scripto. Pirh. *num.* 52. citans Suar. *c.* 18. *num.* 2.

5. Respondeo ad secundum; non posse ullum Prælatum Papâ inferiorem hoc privilegium exemptionis concedere; cùm non possint tales relaxare legem superioris, seu in ea dispensare aut remittere & mutare, quæ Pontifices in jure communi statuerunt, nisi in casibus ipsis concessis, cujusmodi facultas relaxandi obligationem solvendi decimas concessa Episcopis nullibi in jure repetitur. Solummodò itaque in specialibus quibusdam casibus committitur Episcopis, uti & per Trident. pluribus in locis iis conceditur, ut tanquam sedis Apostolicæ Legati disponere possint de decimis, eas vel earum partem, aut beneficia ex iis erecta ad aliqua opera vel loca pia applicare possint uniendo, dividendo, uti & ex justa causa unius Ecclesiæ decimas alteri Ecclesiæ vel personis Ecclesiasticis applicando &c. quod ipsum non est dispensare aut relaxare jus commune; sed debitè decimas administrare. *c. plures. c. statuimus, h. t.* Barbos. *num.* 49. *& seq.* Pirh. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. p.* 2. *num.* 1. Rebuff. *de decim. q.* 5. *num.* 32. Multóque minus jam poterit quis solvi ab obligatione solvendi decimas Ecclesiasticas per potestatem sæcularem juxta *c. tua. h. t.* cùm princeps sæcularis neque in specie, neque in genere disponere possit de rebus Ecclesiasticis; adeóque nec concedere immunitatem à juribus spiritualibus, quale est illud decimarum solvendarum. unde si diceret: concedimus tibi bona hæc sine omni onere reali præstando, minimè liberaret à solvendis decimis Ecclesiasticis. Pirh. *num.* 134. cum comm.

* * * * *
* * *
* *
*

Quæstio

Quæstio 488. *Quinam de facto à solvendis decimis eximantur jure communi; diversissima enim plurimorum in particulari desuper privilegia corpori juris non inserta singulariter examinare huc non spectat. Videant singuli propria sibi privilegia, & inferant, ut bene monet Castrop. p. 12. n. 3. ex generali doctrina, quæ privilegium sibi concessum comprehendat?*

1. REspondeo primò: Religiosi omnes utriusq; sexûs, tam Clerici vel Canonici Regulares, quàm monachi (qui olim, dum ad Clericatū promoveri non solebant, ex prædiis & laboribus suis decimas debebant parocho, in cujus Ecclesia divina audiebant, & sacramenta percipiebant sicut laici. Argumento *c. alia causa. c. Ecclesia. c. interdicimus.* Pirh. *nu.* 55.) in communi viventes, præterquam quòd vi desuetudinis, in qua ferè ubique venit solutio decimarum personalium, non minùs quàm laici immunes sint ab his solvendis ex lucris proprii laboris & industriæ, jure Canonico communi exempti adhuc hodiedum sunt ab obligatione tam personali quàm reali solvendi decimas prædiales ex novalibus (hoc est, de cultis de novo prædiis aut fundis, qui antequam ad illos pervenirent, ob non culturam supra hominum memoriam nullos aut exiguos fructus afferebant, ideóque vel nullis vel valdè modicis decimis Ecclesiæ obnoxii erant; unde &, consequenter præjudicium grave non infertur Ecclesiæ parochiali, si postquam ad culturam redacti nullas pendant eidem decimas: secùs est de iis, quæ postmodum à Religiosis magis exculta majores fructus ferant, dum tamen antea fructus non modicos ferrent. Pirh. *num.* 55. Laym. *cit. num.* 4.) quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt. Item de nutrimentis animalium suorum (hoc est, de animalibus, quæ ipsi nutriunt. Barbos. *num.* 46.) & de hortis suis. sic expresè *in c. ex parte. de decim.* Uti id ipsum simili ratione indultum est leprosis. *c.* 2. *de Eccl. ædif.* ubi in communi viventes permittuntur habere propriam Ecclesiam cum cæmiterio, propriúmque presbyterum. Laym. & Pirh. *ll. cit.* Barbos. *num.* 48. ubi etiam ait, hoc privilegium, cùm sit speciale, non extendendum ad hospitale commune leprosis & aliis infirmis; cùm in eo casu leprosi, etsi ab aliis infirmis separati, non constituant corpus separatum; quia talis separatio fit tantùm ad evitandum contagium. Hujus autem privilegii utilitas non tantùm in eo consistit, quòd vi illius eximantur Religiosi à solvendis decimis personalibus, utpote à quibus per consuetudinem liberi, quàm quòd vi illius liberentur à prædialibus dictorum novalium. Turrecrem. apud Castrop. *num.* 3. Laym. *num.* 4. Porrò manet hoc ipsum privilegium ab Hadriano IV. & Alexand. III. concessum Religiosis omnibus in communi viventibus, ab Innoc. III. in Concil. Later. minimè revocatum per *c. nuper*, utpote in quo nec verbo fit mentio de decimis perceptis ex novalibus, adhuc hodie in vigore suo. Pirh. *n.* 55. & 58. Laym. *n.* 4. Barb. *cit.* §. 3. *n.* 17. & supponit Castrop. *n.* 4. cum communi.

2. Limitandum tamen hoc ipsum, ut locum non habeat, ubi novalia ab istis Religiosis traduntur aliis excolenda (intellige, horum aliorum sumptibus) colonus enim tunc, cui elocata talia novalia, solvere debet decimas. Laym. *loc. cit.* Barbos. *l. cit.* citans Rebuff. *q.* 14. *num.* 17. Monet. *de decim. c.* 4. *num.* 58. Item si animalia ab iis dentur aliis nutrienda, nisi his dentur nutrienda sumptibus ipsorum Religiosorum. Pirh. *n.* 55. citans Abb. *in c. ex parte. in fine.* Barbos. *n.* 46. ubi etiam quòd datum privilegium procedat tantùm in animalibus, quæ deserviunt pro usu monasterii, citátque pro hoc Monet. *c.* 5. *n.* 17. Rebuff. &c. Item locum habeat non nisi de iis hortis, quos Religiosi colunt ad proprium usum duntaxat. Pirh. *loc. cit.* ubi addit: Si ex agro ab antiquo, & supra hominum memoriam obnoxio decimis Religiosi facerent hortum, dictum privilegium non habiturum locum; quia fraudulenter possent prædia reducere ad hortos. Ac demum ut locum non habeat, ubi pacto expresso speciali ad solvendas etiam istorum decimas tenerentur. Barb. *l. cit.* & apud eundem Monet. *c.* 4. *n.* 59. Rebuff. *loc. cit. n.* 53.

3. Privilegio quoque in jure communi expresso, nempe *cit. c. ex parte.* exempti sunt Cistercienses, Templarii & Hospitalarii à solvendis decimis, etiam ex aliis prædiis suis (hoc est, quæ jure proprietario possident, & non solùm conduxerunt, ut Castrop. *cit. n.* 3.) etsi hæc novalia non sint, dum ex propriis manibus vel sumptibus excolunt (secùs est, dum ea aliis colenda tradunt, ut dictum paulò antè de novalibus; privilegium enim exemptionis à solvendis decimis est personale, & non reale, adeoque non transit ad colonos, conductores, emptores prædiorum istorum. Barbos. *cit.* §. 3. *n.* 39. citans Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 27. *q.* 7. Suar. *de Relig. to.* 1. *tr.* 2. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 13. Tamb. *de jure Abb. tom.* 1. *d.* 15. *q.* 18. *n.* 5.) & acquisita fuerunt jam ante Concil. Lateran. sub Innoc. III. Barbos. *loc. cit. n.* 18. manétque illis adhuc hodie illæsum hoc privilegium juris communis; cùm quo ad dicta bona constitutio illa *c. nuper. h. t.* desumpta ex Concil. Later. nihil immutarit. Abb. *in cit. c. nuper. num.* 2. Pirh. *n.* 57.

4. Atque hæc sunt, præter quæ Religiosi nullam aliam exemptionem à decimis de jure communi contentam habent. Nam generale amplúmque illud privilegium concessum à Paschali II. *in c. decimas.* 16. *q.* 1. Religiosis omnibus, ut de laboribus seu nutrimentis suis propriis, adeoque etiam de prædiis, quæ propriis manibus vel sumptibus pro vitæ suæ sustentatione colunt, decimas solvere non cogantur, revocatum est ab Alex. III. *in c. ex parte*, & restrictum *ibidem* ad solos Cistercienses, Templarios & Hospitalarios. Quin & hoc ipsum quo ad hos limitatum postea ulterius ab Innoc. III. *cit. c. nuper. h. t.* ad ea solùm prædia, quæ ante istam constitutionem, seu ante Concilium illud Lateranense ab illis acquisita. Unde hodiedum tam Cistercienses quàm Regulares ceteri omnes, quantum est de jure communi, vi nimirum *cit. c. nuper.* de prædiis omnibus acquisitis post dictum Concil. Lateran. solvere tenentur decimas iis Ecclesiis, quibus jam ante, priusquam nimirum ad Religiosos pervenirent, decimæ eæ ex dictis prædiis solvebantur ab eorum Dominis, nisi aliter cum iisdem Ecclesiis componant. *cit. c. nuper.* Barb. *n.* 20. Pirh. *n.* 57. Procedítque id ipsum, etiam si ea prædia pro dote, fundatione seu sustentatione monasterii aut Ecclesiæ ejus, vel alterius Ecclesiæ sæcularis fuissent assignata, donata vel empta. Pirh. *loc. cit.* Abb. *in c. nuper.* & Fagn. *ibid. n.* 10. Quare manutenendus parochus in possessione exigendi decimas ratione prædiorum acquisitorum per Regulares, donec doceant de sufficiente privilegio,

juxta Decis. S. Congr. *in Pisaurensi 13. April.* 1630. Barb. *n.* 48.

5. Quapropter Religiosi in hac parte favore ulteriore juris communis destituti, omnes ferè hodiedum, ut ait Barb. *cit. n.* 20. per specialia privilegia à Pontificibus obtinere hanc exemptionem à solvendis decimis ex prædiis suis quibuscunque, quæ propriis manibus vel sumptibus colunt; de quorum multis videri possunt, quos ibidem citat Barbos. Mirand. *tom.2.q.49.a.12.* Suar. *cit. l.1. c.18.19.* 20. Rodriq. *qq. regul. tom.2. q.44. a.4.* Fagund. *ad præcept. 5. l. 2. c.4.* Lege & Barbos. ipsum *cit. §. 3. n.36.* de privilegiis hac in parte concessis Societati JESU à variis Pontificibus, uti & limitatis vel revocatis.

Quæstio 489. *Qualiter concessio hujusmodi specialis privilegii valeat, & extendenda vel restringenda sit?*

1. REspondeo ad primum: ut valeat, esse derogandum in eo expressè *c. nuper.* hoc enim cùm sit constitutio Concilii generalis, censetur adjunctam habere derogatoriam clausulam etiam futuris, seu sequentibus dispositionibus ob defectum intentionis ex parte concedentis, adeoque necessariò requiri expressam ejus derogationem. Barbos. *n.*37. & 38. citans Campanil. & plures Rotæ decis. Pirh. *n.* 59. citans Fagn. *in c. nuper. n. 2. & 29.* non obstante, quòd dicta constitutio *c. nuper.* relata sit in corpus juris; adeoque Papa censeatur habere plenam ejus notitiam; quia adhuc defectus intentionis concedentis adest propter clausulam derogatoriam, quam dicta Conciliaris Constitutio includit. Fagn. Pirh. *ll. cit.* Sufficienter autem ei derogatum censeretur, ubi diceretur in privilegio dato in vel à Concilio generali cum clausula: *non obstante constitutione alia Concilii alterius generalis.* Pirh. *l. cit.* ex Fagn. *n.*31.

2. Respondeo ad secundum primò: quòd Papa communicando privilegia alicujus Religionis specialiter exemptæ à solutione decimarum alteri religioni, huic eo ipso non censeatur communicata eadem exemptio; cùm hoc privilegium non soleat concedi, nisi cum magna difficultate (& ut Pirh. *n.* 62. cum cognitione causæ) idque verum, etiamsi in literis communicationis privilegiorum facta sit mentio de decimis; cùm id intelligi debeat de decimis extraordinariis, non autem de ordinariis, seu prædialibus. Barb. *n.*41. citans Felin. *in c. sedes. de rescript.* Trull. &c. Pirh. *n.*62. citans Fagnanum, *ubi ante. n.*33.

3. Secundò, quòd dum hodiedum conceditur aliquibus à Papa exemptio à decimis his similibúsve verbis: ut non solvant decimas de prædiis suis, vel ex prædiis, quæ habent, vel ex bonis possessis &c. privilegium hoc non ad sola novalia se extendat, sed & ad prædia alia possessa tempore concessi privilegii, nisi fortè deberentur ex iis decimæ Ecclesiæ alicui aut privatæ personæ particulari titulo, scilicet præscriptione, consuetudine aut privilegio: non enim censendus est Papa tali juri derogare, nisi ubi conceditur privilegium talibus verbis, quibus quodlibet jus censetur derogatum, sicuti modò Religiosis solet dari tale privilegium. Castrop. *cit. p.* 12. *nu.* 5. citans Azor. *cit. l.7. q.6.* Suar. *c.19. num.13.* Covar. *c.17. num.14. &c.* Pirh. *num.*71. eò quòd licet privilegium tale ex parte eorum, quibus datur, favorabile censeri possit, sit tamen potius absolutè odiosum, adeoque sit strictè interpretandum, verba tamen illius in rigore salvari debeant & ampliari secundùm rigorosam suam significationem, qualiter per prædia non veniunt novalia, ita ut ex eo verba illa restringenda sint tantùm ad novalia, quòd per tale privilegium derogatur juri alterius, nempe Ecclesiæ parochialis; nam Papa concedens istiusmodi exemptionem, tacitè parochiæ, cui jure communi, non autem speciali aliquo debebantur, derogat, tollítque debitum solvendi illas illi; nec opus est, ad hunc effectum aliam expressionem facere mentionem. Castrop. *l. cit.*

4. Tertiò, quòd privilegium dictis verbis concessum extendatur quoque ad prædia deinceps post illud datum acquirenda. Castrop. *l. cit. num. 6.* citans Azor. & Suar. *ubi ante.* Pirh. *n.* 60. Argumento *cap. quocirca. de privileg.* ubi dicitur, quòd qui indefinitè remisit decimas, intellexisse videtur, non tantùm de decimis bonorum istius temporis, sed & futuri, cùm nihil exceperit, potuit tamen excipere; nec debeat una eademque substantia diverso jure censeri. &c. Pirh. *loc. cit.* Nec obstat, quòd res transeat cum suo onere, cùm id intelligendum, quando persona tantùm est privilegiata, nō autem, quando ejus bonis privilegium est concessum, hoc est, quando privilegium hujusmodi onus rei impositum tollit; tunc enim non transit cum suo onere, quia illud sublatum. Castrop. *l. cit.* quamvis tamen *num.* 10. *in fine* dicat: non tam prædia Religiosorum propriè dici exempta, quàm Religiosos: unde si dicta prædia vendant aut alienent, non transferunt cum privilegio non solvendi decimas: sed dici posset tunc ea reassumere iterum hoc onus.

5. Quartò à fortiore, quòd tale privilegium conceptum dictis verbis extendat se etiam ad novalia post concessum privilegium coli cœpta; quia & veniunt propriè nomine prædiorum propriorum; adeoque comprehenduntur sub illa indefinita non solvendi decimas ex prædiis propriis. Pirh. *num.*103. citans Zoës. *de decim. num.* 54. Castrop. *num.6.* citans Azor. Suar. Rebuff. *q.* 14. *num.*29. Guttier. *c.*21. *num.*130. apud eundem Castrop.

6. Quintò: ut privilegium sub dictis verbis datum non extendatur ad bona, quæ Religiosi habent locata, conducta vel in Emphyteusin; quia agri conductitii, vel accepti in Emphyteusin non sunt proprii nec sui: & licet dicantur haberi, hoc ipsum dicitur, non nisi secundùm quid, seu ad tempus, non autem absolutè; cùm non dicat habere absolutè domum, sed usum illius ad inhabitandum: contractus etiam Emphyteuticus vix distinguatur à locato & conducto, nisi in majore vel minore tempore, privilegium autem vergens in præjudicium tertii sit strictè intelligendum salvâ verborum proprietate. Pirh. *num.* 64. & 65. citans Suar. *c.19. num.9.* Castrop. *l. cit. num.* 8. citans Abb. *in c. dilecti.* Rebuff. *quæst.* 14. *num.* 52. contra Azor. *cit. lib. 7. q.6.* sentientium contrarium, tam de conductitiis quàm habitis in Emphyteusin, & Suar. sentientem idem sub opinione probabili de habitis in Emphyteusim.

7. Sextò, dum diceretur in concessio privilegio: eximimus Religiosos & eorum prædia à solvendis decimis, &c. quin & si diceretur: eximimus Religionem aliquam à solvendis decimis prædiorum suorum; non additâ ullâ restrictione;

si illa

si illa propriis manibus vel sumptibus colant: neque etiam additâ illâ ampliatione: etiamsi per colonos excolant; neque etiam diceretur: eximimus religionem & eorum prædia: adhuc tale privilegium se extendere ad colonos, etiam talium prædiorum, ita ut & hi liberentur à solvendis decimis, ad quas aliàs de jure communi tenentur, probabilius censent Castrop. *loc. cit. num.* 10. Pirh. *nu.* 69. eò quòd probabilius sit esse privilegium reale, & non personale, & immunitas data ipsis prædiis, etsi intuitu Religiosorum, seu propter illos: privilegium autem reale eximat à debito decimarum illorum prædiorum, quæ per alios coluntur; juxta Gloss. & alios communiter *in clem. 2. de decimis*, nam & hi fiunt participes illius privilegii & liberi à decimis, non propter se, sed propter Religiosos illos. Ratio etiam est, quòd si tunc coloni deberent solvere decimas, ipsa Religio eas solveret de prædiis suis (coloni enim nunquam eximuntur à debito decimarum, etiam cùm est privilegium reale concessum Religiosis, sed solvunt explicitè vel implicitè, solvendo majorem pensionem, v. g. dictis Religiosis, quàm solverent, si deberent Ecclesiæ solvere decimas) quod est contra privilegium. Castrop. & Pirh. *ll. cit.*

8. Septimò, quòd concessum privilegium sub hac simili ve forma: *ut non solvant decimas laborum suorum* (hoc est agrorum suorum; ita enim intelligi debet, ut constat ex sequentibus verbis: *quos colunt.* cùm solùm agri & non labores colantur. Castrop. *l. cit. num.* 8.) *quos propriis manibus vel sumptibus colunt*: extendatur adhuc ad prædia, quæ aliis colenda tradunt tanquam nudis ministris seu famulis, qui ea sumptibus Domini colunt pro mercede illis constituta, sive in pecunia, sive in frumento, vel etiam pro concesso illis usu fructuum inde provenientium; non tamen extendatur ad prædia, quæ colenda tradunt aliis pro certa annua pensione pecuniaria, cùm tunc nec propriis manibus, nec propriis sumptibus ea colant Religiosi, sub qua tamen concessum est privilegium. Et hæc sit propriè locatio, vel si ultra decennium sic tradantur, sit emphyteusis, ipseque tunc conductor vel Emphyteuta solvere teneatur decimas. Idem est propter eandem rationem, si tradantur colenda aliis pro pensione fructuaria; cùm & hic contractus æquipararetur locationi, soleátque appellari locatio, etsi solùm impropriè sit locatio, & in hoc casu iterum coluntur prædia sumptibus talis coloni censualis. Item si tradantur aliis tanquam colonis partiariis colenda communibus sumptibus monasterii & coloni; cùm tunc adhuc decimæ sint solvendæ ex ea solùm parte fructuum, quam colonus percipit. ita ferè Pirh. *num* 68.

9. Octavò, quòd idem privilegium concessum pluribus, v. g. Ordinibus, dum quo ad unum revocatur, non censeatur etiam revocatum quo ad alios similiter privilegiatos. Pirh. *num.* 63. citans Abb. *in c. nuper. num.* 3. nisi tamen privilegium quibusdam sit concessum primò ac principaliter, aliis autem solùm ad instar, seu per communicationem, non tamen æquè principaliter. Pirh. *loc. cit.* citans Rodriq. *qq. regular. quæst.* 8. *num.* 5.

* * *

Quæstio 490. *Quibus modis privilegium non solvendi decimas amittatur?*

1. REspondeo sequentibus: primò, si privilegium concessum progressu temporis evaderet enormis læsio, seu abiret in grave præjudicium parochialis Ecclesiæ, vel eorum, ad quos tales decimæ aliàs secluso privilegio pertinebant, ita ut scandalum & querelæ justæ inde oriantur, v. g. dum privilegiatus plura & plura acquirit prædia; non enim est intentio concedentis immunitatem illam à decimis concedere in istis circumstantiis, dum evadit enormis læsio alterius; esset enim concessio injusta, *cap. suggestum. h. t.* & Argumento *c. penult. de Cleric. non resid.* Barbos. *cit.* §. 3. *n.* 44. citans Menoch. *cons.* 156. *num.* 9. *volum.* 3. Rebuff. *q.* 14. *num.* 55. Castrop. *p.* 13. *num.* 1. Pirh. *num.* 73. citans Suar. *c.* 20. *num.* 1. cum communi. Proinde in eo casu cessat privilegium ipso facto seu jure, nec potest privilegiatus eo ampliùs uti, dum notorium sit, & privilegiato evidenter constat, quòd privilegium cedat in enormem læsionem aliorum. Castrop. *loc. cit.* Pirh. *num.* 74. Quamvis adhuc in eo casu Ecclesia sic læsa propriâ auctoritate cogere non possit privilegiatum ad decimas solvendas, sed opus sit auctoritate Judicis compellentis, qualis esset Ordinarius, vel quilibet alius, apud quem causæ decimarum tractari solent. Castrop. *loc. cit.* citans Abbat. *in c. suggestum.* Felin. *in c. cùm accessissent. de constitut.* De cetero, dum de enormitate læsionis non constat, recurrendum est ad Pontificem, ut declaret, num privilegium factum sit graviter læsivum. Pirh. *cit. num.* 74. Castrop. *loc. cit.* cùm nullus alius præter Papam privilegium pontificium interpretari aut moderari possit, ut Castrop. nisi fortè ubi Papa id alteri, puta Rotæ, commisisset. Barbos. *nu.* 45. Porrò dum gravamen vel læsio dicta est notoria & indubitata, ita revocatur privilegium (intellige auctoritate Judicum inferiorum) ut non possit ab iis reduci ad debitam & justam moderationem, sed totum cesset. Papa autem potest illud moderari, ut per moderationem redeat iterum ad Justitiam, nec opus est, ut omnino tollat illud. Pirh. *loc. cit.* Interim suadetur in jure, nempe *c. suggestum.* ut ad vitandas lites, & ne privilegium in totum exponatur periculo, ut petitâ dictâ moderatione, desuper fiat compositio, quæ in eo casu non censetur renunciatio privilegii, cùm non fiat ex mera liberalitate, sed ob dictas causas. Castrop. *num.* 2. Atque ita per talem compositionem justam & rationabilem tolli potest, vel limitari privilegium absque eo, quòd dici possit ei renunciatum expressè. Pirh. *num.* 76.

2. Secundò, per viam tacitæ renunciationis, sive per non usum, seu potius per usum contrarium, hoc est, per solutionem decimarum factam ab exemptis. Pirh. *num.* 75. Castrop. *num.* 3. de quo etiam Hieron. Rodriq. *resol.* 50. *num.* 5. citatus à Barbos. *num.* 45. scilicet per annos 40. ut Pirh. seu tempus sufficiens, ut Ecclesia adversus Religionem præscriberet, ut Castrop. *num.* 4. Quamvis breviore tempore amitti potest, dum privilegiatus est persona privata; siquidem adversus privatas personas breviore tempore præscribitur. Castrop. *loc. cit.* De cetero privilegium illud, cùm sit in favorem Ecclesiæ, vel Religionis integræ concessum, probabilius remitti nequit per tenui-

renunciationem expressam & absolutam, saltem à privatis domibus, vel Prælatis AA. iidem. etsi tota Religio, cui datum est privilegium, illi ex justa causa expresse validè possit renunciare. ut Pirh. citans Suar. *c.* 20. *num.* 3. de quo tamen dubitat Castrop. Quin etiamsi dictum privilegium concessum privatæ personæ, hæc illi validè renunciare possit expresse. Castrop. *num.* 4.

3. Tertiò, per alienationem prædiorum, quæ ratione privilegii concessi Religiosis, v.g. exempta erant ab onere decimarum; hoc ipso namque, quòd prædium aliquod desinat esse sub dominio Religionis, vel monasterii, & transit in dominium alterius non privilegiati, desinit esse exemptum ab onere decimarum; cùm hoc privilegium directè & principaliter concessum Religiosis, & intuitu illorum, & non in commodum alterius, cui id concessum non est, adeoque non transit cum prædio vendito in emptorem. Neque etiam potest monasterium dictam immunitatem cum re alienata transferre in alium, cùm ad hoc potestatem non habeat. Pirh. *num.* 77. Suar. *cit. c.* 20. *nu.* 6. Quòd si tamen monasterium habens privilegium non solvendi decimas prædium suum cum alio commutaret, vel venderet, ut pecuniâ istâ emeret aliud, prædium illud emptum statim ac transit in dominium monasterii, foret quoque exemptum, juxta tenorem privilegii; cùm sit subrogatum prædii exempti, cujus proinde naturam & conditiones sequitur, non obstante Concilio Lateran. per textum *cit. c. nuper.* vetantis privilegia transire ad prædia deinceps acquirenda. cùmque tale prædium emptum seu commutatum pro alio non sit prædium simpliciter de novo acquisitum, sed subrogatum loco alterius; neque per hoc notabiliter crescant bona talis Ecclesiæ cum gravamine alterius, ob quæ emanavit principaliter dicta constitutio. Pirh. & Suar. *ll. cit.*

Quæstio 491. *An, & qualiter obligati ad decimas, ab illis solvendis liberari possint per consuetudinem?*

1. Respondeo ad primum: obligationem solvendi decimas, sive reales sive personales per contrariam consuetudinem communitatis alicujus tolli & abrogari posse tam à laicis, iisque etiam parochianis, non solùm ut hoc vel illo modo solvantur; vel non nisi petitæ à parocho; Item ut non solùm ex parte, ut nimirum solvatur, v. g. tantum vigesima, vel alia pars quæcumque minor, vel solvatur ex certis tantùm fructibus, v. g. ligno, fœno, &c. & non ex aliis; sed & in totum, ita ut nihil nomine decimarum pendatur modò ministris Ecclesiæ aliunde quàm ex decimis, v. g. ex reditibus, fundis Ecclesiæ, oblationibus, piis Legatis provisum sit de congrua sustentatione; tunc enim iis solvendæ sunt decimæ, non nisi ex lege Ecclesiastica, quæ per consuetudinem legitimè inductam & præscriptam omnino tolli potest. Barbos. *de off. paroch. c.* 28. §. 2. *num.* 64. citans pro singulis hujus responsionis partibus quamplurimos. Pirh. *ad tit. de decim. num.* 126. citans Navar. *l.* 3. *cons.* 2. *de decim.* Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 26. *q.* 4. Suar. *l.* 1. *c.* 12. *num.* 8. Less. *l.* 2. *c.* 39. *num.* 25. Canis. *de decim. c.* 17. *num.* 8. *&c.* Castrop. *p.* 2. *num.* 3. contra Covar. *c.* 17. *num.* 10. Guttier. *c.* 21. *num.* 35. Aragon. 1. 2. *q.* 78. *c.* 1. apud Laym. *Theol. moral. l.* 4. *tr.* 6. *c.* 6. *num.* 10. censentes, quòd licèt lex decimarum sit Ecclesiastica, in totum tamen non possit abrogari per consuetudinem, sed tantùm secundùm aliquotam. Verùm ut bene Pirh. si potest tolli quo ad aliquotam, quia lex est humana, etiam in totum potest tolli: quare Auctores illos Laym. intelligendos censet sub hac conditione; si ministri aliunde non habeant sustentationem. Sed neque consuetudo illa irrationabilis est ex eo etiam, quòd vix sic videantur ministri Ecclesiæ communitati inservire gratis; nam dum reliquus populus non magis inde gravatur, dictique ministri sufficientem sustentationem & ornatum habeant, etsi non tantæ æstimationis, cùm etiam quandoque convenientius sit experiri paupertatem aliquam, consuetudo hæc aliunde satis honestatur, & vel ex hoc, quòd populi ac civitates minus graventur solutione decimarum, præsertim ubi multi sunt carentes prædiis & animalibus. Sed neque gratis per hoc serviunt ministri, cum illis ab aliis satis provideatur de sustentatione; quam & non plus exigere possunt ex rigore. Castrop. *loc. cit. nu.* 5. Neque argumentatio valet à tributo, à cujus solutione Regi facienda eximere nequit consuetudo, juxta *l. comperimus. c. de præscrip.* 30. *annor.* cùm Pontifex noluerit vires aufferre consuetudini respectu decimarum etiam sibi solvendarum, sicut Princeps abstulit respectum tributi sibi pendendi. præterquam, quòd juxta Felin. & Abb. *in c. ad audientiam. de præscrip.* tributa dentur immediatè in recognitionem Regiæ Dignitatis, & secundariò in Regis sustentationem; decimæ verò primariò in sustentationem ministrorum, & secundariò in recognitionem divinæ Excellentiæ. Castrop. *l. cit.*

2. Respondeo ad secundum: ut tota communitas aliqua eximat se ab obligatione solvendi decimas per consuetudinem inductâ contra legem decimarum, sciente & tolerante Papâ non solutionem decimarum (quamvis in hoc casu abrogetur lex decimarum non tam à communitate viâ consuetudinis præscriptæ, quam viâ conniventiæ, seu per tacitam revocationem Legislatoris, accedente præterea consensu illorum, quorum interest solvi decimas, & eas tamen non exigunt, censentur eas remittere) non requirit certum tempus, sed sufficiunt tot actus legi contrarii, ex quibus præsumi possit tacitus consensus Legislatoris, & quòd actus illi vel omissiones actuum pervenerint ad ejus notitiam. Laym. *loc. cit. num.* 11. & ex eo Pirh. *n.* 131. Ut verò eximat à dicta obligatione, dum non solutionem ignoravit Papa, sufficit per se quidem loquendo tempus 40. annorum (imò secundùm aliquos, quorum sententiam probabilem censet Castrop. minùs probabilem & juri consonam, indicat Pirh. annorum decem) quo populus fuit in possessione immunitatis à solvendis decimis cum bona fide continuata, etiam sine alio titulo (secùs est de præscriptione, utpote quæ titulum requirit, præcipuè dum jus resistit. Castrop. *loc. cit.*) reipsa tamen requiritur tempus longius, eò quòd cùm populus ab initio non solvendo decimas, dum sciret se ad hoc teneri, peccarit, immediati illius successores non potuerint inchoare consuetudinem bonâ fide, sed prius illi successores, qui jam scientes ab antecessoribus suis per longissimum tempus non fuisse solutas decimas, ac proinde putare possunt, ipsos justam habuisse causam non solvendi, vel propter privilegium, vel tacitam legislatoris

revoca-

revocationem, similémve causam ipsis incognitam; adeoque revera populus reipsa legem decimarum abrogare non potest per consuetudinem, pontifice ignorante, sine titulo, nisi decimas non solverit immemoriali tempore, quod ipsum tribuit præsumptionem juris. Pirh. *n.* 132. ex Suar. Quâ tamen consuetudine immemoriali non obstante, manet Pontifici integra potestas (utpote, quæ cùm sit divina, & necessaria ad bonam gubernationem Ecclesiæ, per nullam consuetudinem tolli aut minui potest. Suar. *cit. c.* 12. *num.* 20. Pirh. *cit. num.* 132.) præcipiendi, ut decimæ iterum integrè solvantur. Idque non tantùm ob egentiam ministrorum Ecclesiæ, sed & ob alias causas concernentes bonum Ecclesiæ AA. iidem.

Quæstio 492. *An, & qualiter per præscriptionem (intellige, propriè talem, hoc est, quæ fit à particularibus personis, vel respectu particularium prædiorum, cujusmodi præscriptione lex decimarum non simpliciter abrogatur; quia lex est commune præceptum universim obligans, sed interdum aliquæ personæ particulares liberentur à dicta legis obligatione) detur exemptio à solvendis decimis?*

1. REspondeo ad primum: posse quoque aliquos eximi præscriptione (ad quam requiritur possessio saltem civilis, titulus probabilis, verus seu præsumptus, bona fides continuata toto tempore ad præscribendum requisito, & hoc ipsum tempus, quod pro varietate rerum, quæ præscribuntur, varium est, ut compendio videre est apud Castrop. *l. cit. p.* 5. *num.* 1. ubi &, in quo differat à consuetudine præscriptio) à solvendis decimis. Castrop. *ibid.* Laym. *n.* 11. cum communi. Ratio ferè est eadem, quæ de consuetudine.

2. Respondeo ad secundum: ad hanc præscriptionem requiruntur anni 40. cum titulo, vel tempus immemoriale sine titulo, juxta *c.* 1. *de præscript.* cùm jus commune resistat præscribenti decimas. Pirh. *n.* 129. citans Molin.... *d.* 25. *n.* 5. Suar. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 1. Less. *loc. cit. n.* 26. Castrop. *loc. cit. n.* 2. intercedente enim tempore immemoriali credendum non est, antecessores justum aliquod privilegium secutos non fuisse, vel pacto aliquo hanc obligationem non redemisse; dum è contra deficiente hoc tempore immemoriali semper præsumatur mala fides, quamdiu titulus non ostenditur, cùm jus semper resistat præscriptioni. Castrop. *loc. cit.* Jam verò præscriptio multò magis vim habet circa decimarum circumstantias, ut dictum de consuetudine, v. g. ut solvantur ex his rebus, & non ex aliis, hâc mensurâ, hoc tempore, huic Ecclesiæ, & non illi, &c. Castrop. *loc. cit.*

3. Denique præscriptio non solvendi decimas se non extendit ad prædia acquirenda; cùm præscriptio requirat possessionem; unde de solis illis prædiis potest eximere, de quibus est legitimè præscripta possessio, secùs ac privilegium, quòd cùm non requirat possessionem, ad omnia etiam in futurum possidenda potest extendere.

Castrop. *p.* 12. *in fine.*

* * * *
* *

Quæstio 493. *An transactione, commutatione, similive pacto eximi quis possit à decimis?*

REspondet affirmativè Pirh. *num.* 133. Castrop. *loc. cit. num.* 4. Fagund. *ad præcept.* 5. *l.* 3. *c.* 2. *num.* 2. *&c.* modò tamen similia pacta muniantur sufficiente auctoritate, hoc est, pontificiâ, dum inter Clericos & laicos facienda compositio de futuris decimis in perpetuum, vel ad longum tempus; Episcopali tamen auctoritate sufficiente, dum inter unam & aliam Ecclesiam facienda compositio, Argumento *c. ex multiplici, h. t.* AA. iidem. Et licet auctoritate Episcopi fieri nequeat, ut Clericus paciscatur cum laico, sic, ut hic ab omni decimarum debito solvatur, ita ut hæc pactio sit perpetua, transeátque ad successores; fieri tamen hâc auctoritate potest pactio, ut decimæ solvantur, ex talibus rebus, in hac mensura, in hoc loco, non integrè; concessa siquidem est ob utilitatem Ecclesiæ hæc potestas Episcopis, hujusmodi pacta, dum hæc ad circumstantias decimarum pertinere videntur, quin & in tantùm relaxandi jus commune solvendi integrè decimas, si partes inter se consentiant. Castrop. *n.* 5. citans Hostiens. *in c. statuimus.* 2. *de transact.* & Suar. *ubi ante. n.* 15. Porrò dum compositio fit, non super jure decimandi, sed super fructibus, quos vel Rector Ecclesiæ percipere debet, validè & licitè fit, etiam pro tota vita Rectoris absque consensu superioris; cùm tunc non alienentur bona Ecclesiæ, sed propria. *c. veniens. de transact.* Abb. *ibid.* Fagund. *l. cit. num.* 18. Castrop. *cit. num.* 4. Unde jam consequens est, posse sic fieri à quolibet particulari compositionem de decimis jam debitis pro aliis fructibus; quemadmodum ea à tali remitti possunt ex rationabili causa. Bonac *d. ult. de præc. Eccl. q. unica. p.* 5. *num.* 3. apud Castrop. *l. cit.* Idem vult Pirh. *cit. num.* 133. ex Suar. dum ait: decimæ ab Ecclesiasticis omninò remitti possunt illis, qui ad illas solvendas tenentur, non solùm ratione paupertatis; sed etiam divitibus concordiæ vel scandali vitandi gratiâ, vel ob aliam justam causam.

Quæstio 494. *Quæ jure communi pœnæ statutæ non solventibus, aut solvi impedientibus, aut aliquo modo usurpantibus decimas?*

1. REspondeo primò, excommunicari possunt ac debent, qui decimas integras non solvunt iis, quibus debent. *c. statuimus.* 16. *q.* 1. *c. pervenit. c. ad hæc. c. ex parte h. t.* Barbos. *cit. c.* 28. §. 4. *n.* 15. Castrop. *cit. p.* 15. *n.* 1. Pirh. *num.* 165. cum communi. Hanc pœnam confirmat Trid. *sess.* 25. *c.* 12. his verbis: *qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur.* Intelligendum autem hoc est, monitione præviâ. Pirh. *l. cit.* Barb. *l. cit.* citans Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 17. Suar. Riccium, &c.

2. Secundò addit Trid. negationem absolutionis hisce verbis: *neque ab hoc crimine nisi plenâ restitutione secutâ, solvantur.* Quod tamen limitandum, nisi ob impotentiam commodè restituere nequeant decimas. Pirh. *loc. cit.* citans Sanch *l.* 2. *mor. c.* 20. *n.* 19. Barb. *n.* 16. citans Nav. *in man. c.* 17. *num.* 59. Castrop. *l. cit.* citans Bonac. Molin. &c. Et addit sufficere ad obtinendam absolutionem, si promittat & juret, se soluturum, dum potest; vel nisi remissæ sint decimæ ab eo, cui debentur. Barbos.

Castrop.

Castrop. Pirh. *ll. cit.* ex Fagund. *l. 3. de 5. præcep. c. 6. num. 4.*

3. Tertiò in Bulla cænæ excommunicatio lata adversus exigentes, occupantes, sequestrantes decimas, dum nimirum id faciunt, quasi sibi debentur, ut Suar. Tolet. Nav. apud Castrop. *loc. cit. n. 3.* qui etiam addit, hanc excommunicationem incurrere eos magistratus, qui in gravi necessitate populi decimas ex fructibus beneficiorum sequestrant in sustentationem populi, nisi priùs tentaverint subvenire huic necessitati auctoritate Judicis Ecclesiastici, qui ubi in hoc negligens, posse magistratum, ne populus pereat, illa bona, quæ Clericis necessaria non sunt, sequestrare, citat pro hoc Guttier. & Martienzo.

4. Quartò non solvens aut restituens decimas privari debet sepulturâ Ecclesiasticâ, juxta *c. prohibemus. h. t.* Barbos. *n. 19.* citans Rebuff. *q. ult. n. 16.* Monet. *c. 8. num. 74.* Lavor. *var. lucubrat. to. 1. tit. 2. c. 12. q. 48. &c.*

5. Quinto *clem. religiosi. h. t.* specialiter fertur excommunicatio adversus religiosos (eò quòd illi eo tempore, nempe Cõcilii Viennensi, magis graviter & frequenter delinquebant contra præceptum decimarum Pirh. *n. 166.* juxta Gl. *hic v. religiosi*) quoscunque (etiam fœminas Gl. *hic*) non habentes beneficium aut administrationem; adversus autem eos, qui beneficium, officium, vel administrationem habent, suspensio ab officiis, administrationibus, beneficiis ipso jure incurrenda, qui decimas Ecclesiæ debitas absque justo titulo sibi vendicant, aut malis artibus & fraudibus sibi usurpare præsumunt vel prohibent, aut non permittunt solvi decimas ex animalibus suarum familiarum, vel pastorum, quæ propriis gregibus permiscent; vel ex animalibus, quæ in fraudem Ecclesiarum emunt, & tradunt venditoribus, ut ea custodiant. Item ex terris, quas ipsi servis & colonis colendas tradunt. Circa quam pœnam

6. Notandum primò, non extendi eam ad Clericos sæculares, vel etiam laicos Gl. *hic v. religiosi* Pirh. *cit. n. 166.* Secundò non incurri hanc pœnam à religiosis, dum decimæ non Ecclesiis, sed particularibus personis debentur. Castrop. *loc. cit. n. 2.* citans Suar. Tolet. &c. Tertiò, hanc pœnam incurri, si post monitionem, quæ una sufficit facta ab iis, quorum interest, nempe à Prælatis vel ministris Ecclesiarum, quibus debentur decimæ, intra mensem, nempe à prohibitione, fraudulenta emptione, immistione & traditione animalium non satisfaciunt solvendo decimas. Castrop. & Pirh. *ll. cit.* aut nisi intra duos menses non satisfecerint, aut restituerint læsis Ecclesiis ablatas, aut injustè usurpatas decimas Pirh. juxta *cit. clem. religiosi.* Quartò à dictis pœnis eos absolvi non posse, nisi condignè satisfecerint, non obstantibus privilegiis quibuscumque, per quæ scilicet prædictæ sententiæ possent impediri. Pirh. *ibid.* quamvis hæc excommunicatio jure communi nulli sit reservata. Azor. *c. 26. q. ult.* apud Pirh. denique *c. discretioni. de decimis in 6.* mandatur & severè prohibetur FF. Minoribus & Prædicatoribus, ne in suis sermonibus ad populum vel alibi (nempe in privatis collationibus, disputationibus, vel confessionibus audiendis, ut Gl. *hic v. vel aliter* apud Pirh. *num. 167.*) talia proponant, quæ Auditores à decimarum aliarumve rerum Ecclesiis debitarum (puta primitiarum, oblationum, portionum funeralium, ut Gl. *hic, v. aliarum rerum.*) Solutione retrahant. Quod ipsum decretum renovatum in *clem. cupientes. 3. de pœnis.* & extensum ad omnes religiosos, etiam non mendicantes, cujuscunque Ordinis (non tamen ad Clericos sæculares. Gl. *ibid. v. religiosos*) adjectâ excommunicatione juxta Angelum & Tolet. apud Castrop. debent hæc dici ex pravo isto animo, & in præsentia illorum, qui decimas solvere debent. Item in dicta constitutione *cupientes* præcipitur religiosis, ut certis festis ibi nominatis, si ad hoc requisiti fuerint à Rectoribus Ecclesiarum, informare studeant Auditores de solvendis decimis. Item in confessionibus movere iis conscientiam, qui decimas solvere intermittunt, ita ut si id scienter omittant, & postmodum, cum possunt, id pœnitentiâ non expiant, pergentes concionari, incurrant excommunicationem. Castrop. *loc. cit. n. 168.* vide de hoc Suar. *de cens. d. 23. s. 5. n. 37.* Barbos. *cit. c. 28. §. 4. à n. 21.*

Quæstio 495. Qualiter injustè non solventes vel detinentes decimas compellendi sint ad earum solutionem?

1. Respondeo primò: possunt ac debent compelli per intentatam excommunicationem. Trid. *sess. 25. c. 12.* nisi fortè obstet scandalum publicum, majoraque mala nascantur ex tali coactione; tunc enim dissimulari poterit, cùm vel sic bona nulla immobilia alienantur; sed quidam reditus, qui ex certa causa remitti possunt. Castrop. *p. 15. n. 1.* citans Abb. *in c. cum homines. h. t. n. 7.* Gl. *in c. ut super. de reb. Eccl. non alien.* Suar. *cit. l. 1. c. 28. n. 3. & seq.*

2. Secundò potest Ecclesia recuperare decimas actione non solùm personali, sed & reali per rei vendicationem ab iniquis detentoribus ob dominium utile, quod habet in decimas, etiam antequam à cumulo separentur. Castrop. *loc. cit. num. 2.* Quin & juxta sententiam probabilem Abbatis *in c. cum homines. h. t. n. 6.* Host. *in c. pastoralis. h. t. n. 5.* Gl. *in c. tua.* apud Castrop. agere contra eos, quibus vendita sunt prædia, aut donata, legata &c. ut decimas præteritas non solutas solvant; eò quòd videantur prædia obligata per modum hypothecæ ad solvendas decimas quascunque; sicut bona Mariti dicuntur esse obligata pro dote uxoris. Quam tamen rationem ipse *n. 3.* cum Suar. *cit. c. 38 n. 11.* probabilius negat; cùm neque fideles sua prædia taliter obligaverint, neque lex ulla sit, quæ id expressè affirmet, aut unde id colligatur.

3. Tertiò: non potest parochus à domino prædii vel colono per vim accipere decimas non solutas. Castrop. *n. 4.* citans Rebuff. *q. 9. n. 20.* Pirh. *n. 96.* cum communi; cùm enim debitor, & in præsente parochianus antequàm solvat decimas, sit dominus fructuum suorum, non potest creditor auctoritate propriâ occupare bona debitoris sui, privaréque eum eorum dominio, possessione & usu, ut debitum suum recipiat. Pirh. & Castrop. *loc. cit.* Sed neque potest parochus cogere ad hoc parochianum, denegando ei, tanquam propter hoc indigno Sacramenta, nisi ubi hoc delictum foret publicum & notorium evidentiâ facti (necessariò, ut Castrop. *n. 4.* declaratum per sententiam) cùm negatio publica Sacramenti necessariò requirat, delictũ esse evidens evidentiâ juris vel facti, & semper aliàs allegare possent jus aliquod vel excusationem, ob quam non solverent decimas. Pirh. *cit. n. 96.* Castrop. *n. 5.* citans Suar. *c. 38. n. 2.* Fagund. *l. 4. c. 1. n. 8.* Covar. *c. 17. n. 3.* Recurrendum proinde

erit

erit ad Episcopum aliumve Judicem competentem, de quo, quis sit, paulò pòst, ut is compellat solvi, vel restitui decimas.

Quæstio 496. Quâ actione Ecclesia, aut ejus loco parochus vel Episcopus exigere possit decimas sibi debitas?

1. REspondeo primò: si quæstio sit super ipso jure decimandi, ad quem pertineat, Ecclesia instituere potest actionem confessoriam utilem, per quam petitur à Judice declarari, hoc jus sibi competere; sicut enim rei vindicatio actio est realis, & competit Domino pro rebus corporalibus obtinendis, ita dicta actio confessoria realis conceditur Domino pro juribus in corporalibus consequendis. Pirh. *ad tit. de decim. n.* 156. citans Gl. & Abb. *in c. tua. h. t.* Suar. *c.* 36. *n.* 9.

2. Secundò: si quæstio est de ipsis decimis, seu fructibus decimalibus nondum separatis à fundo, vel reliquis fructibus injustè detentis, agere potest Ecclesia ad separationem & solutionem, non quidem strictè dictâ vindicatione, utpote quæ soli Domino competit, sed condictione ex lege seu canone; vel si decimæ debeantur ex consuetudine, condictione ex lege consuetudinaria approbata per legem Canonicam. quæ licet sit actio personalis, est tamen simul etiam in rem scripta, seu rei persecutoria, ita ut contra quemvis fructuum non decimatorum possessorem institui possit (unde etiam, non quidem directa, sed utilis rei vindicatio appellari potest, quæ datur quasi Domino, sive utile dominium in re habenti. Suar. *loc. cit.*) Pirh. *n.* 157. juxta *c. pastoralis, h. t.* & Gl. *in c. moderamine. v. sibi vendicant.* Portò hæc conditio ex canone competit quoque Ecclesiæ contra illum, qui fructus, sive adhuc hærentes solo, & à reliquis fructibus nondum separatos, sive jam separatos & decimatos, per dolum vel notabilem culpam seu negligentiam destruxit; cùm tunc agi possit ad æstimationem fructuum decimalium, nempe ad id, quòd spectatis aliis annis Ecclesia solebat ac poterat percipere. Pirh. *num.* 158. citans Innoc. *in c. commissum. h. t.* D. Tho. 2. 2. *q.* 87. *a.* 2. *ad* 4. Quin & contra Dominum prædii decimis obnoxii, dum is illud vendit vel elocat colono tali pacto, ut Ecclesia ab emptore, vel conductore consequi nequeat decimas, ut dictus Dominus damnum Ecclesiæ illatum resarciat, & solvat æstimationem decimarum. Pirh. *n.* 159. & 160. citans D. Thom. *ubi ante.* Suar. *c.* 36. *nu.* 15. cùm dominus prædii teneatur id tali modo vendere, vel locare, ut Ecclesia decimis ex ea debitis non fraudetur. *c. in aliquibus h. t.* Ecclesiâ, ut ex *cit. c.* collegitur, Abb. *ibid. n.* 3. habente veluti jus quoddam in ipso fundo ratione decimarum, ob quod compellere possit dominum fundi, ut talibus colonis locet illum, qui fideliter & utiliter eum colant, ne decimis fraudetur. Pirh. *loc. cit.* Unde & patet hanc condictionem rei prosecutoriam esse utiliorem Ecclesiæ, quam directa & propria rei vindicatio.

3. Probabilius tamen videtur, non posse conveniri emptorem, seu novum possessorem prædii, & ab eo exigi decimas præteriti temporis, non solutas ab ejus domino seu venditore; eò quòd obligatio per se non inhæreat fundo, ex quo solvuntur decimæ (secùs ac tributa, quæ per se ex speciali juris dispositione ipsos fundos afficiunt, & ad novum possessorem transeunt, etiam cum obligatione præterita tributa non soluta solvendi) sed solùm respectivè, seu in ordine ad fructus, quibus per se & immediatè inest onus decimarum. Sed neque, ut dictum paulò supra, fundi sint jure pignoris obligati; adeoque antiquus possessor, seu venditor convenire possit & debeat, utpote qui fructus fundi præteritis annis percepit; non verò emptor, utpote ad quem dicti fructus non pervenerunt. Quibus si qui textus obstare videntur, intelligendi hi sunt, & loquuntur de onere præstandi decimas ex fructibus in futurum percipiendis, ad quos obligabitur emptor seu possessor novus, ad quem fundus pervenit. Pirh. *n.* 161. citans Suar. *c.* 38. *n.* 9. Laym. *Theol. mor. l.* 4. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 5. Canis. *de decim. c.* 4. *num.* 3. *contra* Abb. *in c. cum homines. h. t. num.* 6. Gigas *de pens. q.* 39. *num.* 12. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 2. Rebuff. *q.* 9. *n.* 9. Monet. *de decim. c.* 6. *n.* 18. Tiraq. Cenedo, & plures alios, quos citat & sequitur Barbos. *cit. c.* 28. §. 4. *à. nu.* 11. censentes in optione esse Ecclesiæ, quem velit convenire, novum, an antiquum prædii possessorem; eò quòd onus solvendi decimas sit reale, & quòd pro decimis tacitè fundus sit hypothecatus.

Quæstio 497. Quis sit Iudex competens in causa decimarum?

1. REspondeo: si causa decimarum est facti, & non juris; eò quòd non agatur, an decimæ debeantur, sed an decimæ debitæ solutæ sint, an non, potest Ecclesia, prout maluerit, tam coram Judice Ecclesiastico, quàm laico debitorem laicum, non verò Ecclesiasticum convenire; cùm hæc causa sit fori mixti. Castrop. *cit. num.* 5. citans Suar. *de relig. tom.* 1. *tr.* 2. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 16. Fagund. *ad* 5. *præcept. l.* 3. *c.* 5. *n.* 2. Covar. *qq. pract. c.* 35. *n.* 1. Barb. *cit. c.* 28. §. 4. *n.* 1. citans quamplur. contra Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 36. *q.* 5. & Homobon. de Bonis. *de exam. p.* 2. *tr.* 8. *c.* 8. *q.* 24. (in quorum sententiam inclinat Pirh. *n.* 162. etsi probabiliorem dicat responsionem nostram) existimantes & tunc solum Ecclesiasticum esse Judicem competentem, eò quòd quæstio facti decimarum ex quæstione juris decimarum, quæ spiritualis est, videatur inseparabiliter dependere, ita ut qui de ista, etiam de hac cognoscere debeat, quod solùm Judici ecclesiastico competit. quod ipsum tamen rectè negat Barbos. *n.* 2. cùm constet, harum quæstionum unam ab altera distinctâ esse, solúmque controvertitur, an solverit, aut perceperit decimas; non autem an sint solvendæ.

2. Secundò, si causa seu quæstio est juris, quia tractatur nimirum de jure, quo decimæ debentur, de expensis, quibus solvendæ, de loco, quantitate, qualitate, &c. solus Judex Ecclesiasticus est competens; eò quòd causa illa sit spiritualis. A A. iidem.

3. Tertiò, causa decimarum datarum in feudum laicis cognoscenda & discutienda est coram Judice ecclesiastico; eò quòd licet dominium hujusmodi decimarum, seu potius fructuum decimalium spectet ad laicos, & feudum censeatur sæculare, oriatur tamen & dependeat à jure spirituali & ecclesiastico, ut Pirh. *n.* 163. & Barb. *n.* 2. cum hac tamen limitatione, dum nimirum non in perpetuum, sed limitato tempore, vel limitatis personis feudum concessum esset, ex eo, quòd tunc Ecclesia non videatur rem integrè alienasse, & quasi profanam fecisse. Azor. *l. cit. c.* 39 *q.* 3. Fagund *l. cit. n.* 5. Castrop. *n.* 6. Barb. *cit. n.* 2. Dum verò hoc decimarum

marum feudum à Pontifice concessum esset alicui ejúsque hæredibus & successoribus in perpetuum, causa decimarum agitari & cognosci à Judice sæculari potest; eò quòd causa illa ob dictam concessionem perpetuam factam laicis jam desinat esse spiritualis, & fit temporalis, & tanquam temporalis transmittitur & alienatur inconsulto Ordinario. Castrop. ceteriqúe AA. *ll. cit.* & plurimi alii, quos citat Barb. *loc. cit.* Posse quoque laicos adire Judices sæculares, ut hi eos defendant, dum Ecclesia ab eis exigit decimas non solutas, eò quòd existimet, eos non habere privilegium vel præscriptionem, censet Covar. *cit. c. 35. num. 2.* Guttier. *pract. qq. l. 1. c. 14. num. 5.* quorum sententiam sanè probabilem judicat Castrop. *num. 7.* eò quòd, dum solùm tractatur, an privilegium habeant, vel præscripserint, an non, sit quæstio facti, non juris, cùm habere privilegium, aut præscripsisse ad factum spectet, non ad jus. Secùs tamen esse ait, si Ecclesia prætendat à laicis decimas; eò quòd judicet præscriptionem non esse legitimam, vel privilegium non esse validum; eò quòd jam non sit quæstio facti, sed juris, eaque de re spirituali, vel annexa spirituali.

4. Quartò in causa possessoria decimarum, seu dum controversia est de causa possessionis, seu de jure possidendi decimas, dum lis agitatur contra laicum, is conveniendus est, & lis agitanda coram solo Judice Ecclesiastico juxta probabiliorem; eò quòd possessio sumpta non pro nuda detentione rei, sed pro jure possidendi seu detinendi in jure spirituali sit spiritualis. Pirh. *cit. nu. 163.* Castrop. *n. 8.* citans Covar. *ubi ante. n. 1.* Barb. remittens ad quamplurimos à se citatos, & pro probatione adducens, quòd possessio rei spiritualis licet sit merè temporalis & laicalis, judex tamen ecclesiasticus de sola possessione non minùs cognoscat, quàm de proprietate; cùm qualitas spiritualis qualitatem temporalem absorbeat, & ad se trahat, pro hoc ipso citans Monachum, Covar. &c.

Ad beneficium ſimplex unum tantùm cum illegitimo diſpenſare poteſt Epiſcopus. 269
Beneficii ſimplicis nomine hìc non venit dignitas aut perſonatus carens curâ. 270. 1
Venit tamen canonicatus, etiam cathedralis, habens etiam annexum ſacrum Ordinem. 270. 2
Item venit beneficium ſimplex, cui acceſſoriè unitum aliud curatum, modò beneficiatus non poſſit per ſe annexam ſuo beneficio curam illam exercere. 270. 3
Ad beneficium ſimplex ex ſtatuto jurato vel confirmato requirens legitimitatem, cum illegitimis diſpenſare nequit Epiſcopus. 270. 4
Beneficium in eadem Eccleſia obtinere nequit illegitimus, in qua ejus pater beneficium habet aut habuit, aut ex officio miniſtravit. 272
Multóque minùs idem beneficium patris, etiam in commendam temporalem, aut etiamſi tertius aliquis intermedius poſſediſſet illud. 272
Beneficium avi habere poteſt nepos natus patre illegitimo. 273. 2
Beneficium avunculi aut patrui habere poteſt illegitimus. 273. 3
Beneficium illegitimi habere poteſt pater ejus. 273. 4
Beneficii & beneficii ejuſdem paterni, quod habere nequit filius ejus illegitimus, nomine quid veniat. 275
Beneficium acceſſoriè unitum beneficio patris an habere poſſit filius ejus illegitimus. 275. 2
Per *beneficium obtinere* quid intelligatur in ordine, an beneficium patris obtinere poſſit filius ejus illegitimus. 275. 3
Beneficium habere poteſt pater in Eccleſia, in qua filius ejus illegitimus beneficium habuit. 279. 1
Beneficium tamen idem habere non poteſt, quod habuit filius ejus illegitimus. 279. 2
Beneficium habere non poteſt pater in Eccleſia, in qua filius ejus illegitimus actu habet beneficium. 280
Beneficium in eadem Eccleſia habere poteſt filius legitimus cum patre. 281. 1
In beneficio tamen eodem patri ſuccedere nequit, niſi mediatè. 281. 1. & 2
Beneficium tamen, cujus tantùm titulum, non verò poſſeſſionem habuit pater, immediatè poſt illum habere poteſt filius. 282. 2
Beneficium patris mutatum v. g. de portione in canonicatum, immediatè poſt patrem habere poteſt filius. 282. 2
Beneficia patris & filii, dum tenuia ſunt, mortuo patre, unita inter ſe habere poteſt filius. 282. 2
Ad beneficia & officia promoveri nequeunt infideles non baptizati. 289
Ad ea tamen, ne quidem jure humano communi, impromovibiles ſunt infideles converſi. 290
Sed neque deſcendentes ex Judæis, Saracenis, idololatris, impromovibiles ſunt, niſi jure ſpeciali quarundam Eccleſiarum & ordinum. 291
Ad beneficia qualiter impromovibiles ſint hæretici, eorum fautores filii &c. 293. & ſeq. vide V. *hæreticus.*
Beneficium habitum ante paternam hæreſin poſt illam permutare nequeunt hæreticorum filii. 258. 2

Ad

Ad beneficia habenda & conferenda inhabilis per se & directè est schismaticus purus. 301
Ad beneficium quodcunque Ecclesiasticum requiritur Clericatus. 302. vide V. *prima tonsura, clericus, laicus.*
Beneficium à Papa collatum laico mansuro laico efficitur quid temporale. 304
Beneficium obtinere nequit clericus conjugatus. 307
Neque etiam, cui clericatus collatus nulliter quo ad executionem. 307. 2
Beneficium habens annexum Ordinem sacrum, quando eum requirat habitum tempore promotionis, quando non. 311
Beneficium, an habeat annexum Ordinem actu, an solùm obligationem illum suscipiendi intra tempus statutum, unde dignoscatur. 311
Beneficium sacerdotale quando dicendum. 312. 5. & 313. vide V. *Sacerdos, sacerdotium.*
Beneficia & dignitates omnes, quibus cura animarum incumbit, requirunt sacerdotium saltem habitu. 316
Beneficium simplex non habens annexum Ordinem recipiens animo fruendi per annos aliquot ejus fructibus, & postea relinquendi non peccat. 320. 3
Beneficium simplex habens annexum Ordinem cum animo non suscipiendi illum Ordinem recipiens, non tenetur ad restituendos fructus: secùs, si est beneficium parochiale. 320. 2
Beneficium recipere pro seipso cum animo resignandi illud alteri, an prohibeatur sub excommunicatione. 320. 3
Beneficio ob non susceptum intra annum sacerdotium semel privatus, etiam cum dispensatione Episcopi illud beneficium denuo obtinere non potest. 320. 4
Beneficia habentes in cathedralibus & collegiatis (secùs est de aliis Ecclesiis) quibus annexus Ordo, si hunc intra annum non suscipiant, privandi sunt dimidiâ parte distributionum quotidianarum. 320. 5
Ad beneficia quæcunque inhabilis est excommunicatus excommunicatione majore, etiam toleratus & occultus, ita ut ejus promotio sit ipso jure nulla. 325. vide V. *Excommunicatio.*
Ad beneficia non simplicia est impromovibilis excommunicatus excommunicatione minore, ejusque promotio est irritanda, non ipso jure irrita. 330. 1. & 2
Non tamen est impromovibilis ad beneficia simplicia. 330. 3
Ad beneficia qualiter impromovibilis suspensus. 331. & 332.
Ad beneficia qualiter impromovibilis interdictus. 333. & 334
Ad omnia beneficia inhabilis est irregularis. 335. & 336.
Ad beneficia requiritur morum probitas & honestas. 337
Ad beneficia qualiter inhabilis infamis. 340. & seq. vide V. *infamia.*
Ad beneficia inhabiles sunt bigami. 355
Ad beneficia inhabiles sunt servi & manicipia. 359
Beneficia curata habentes tenentur residere personaliter. 366. vide V. *residere.*

Beneficiatus.

Beneficiatus est solùm administrator bonorum, ex quibus ratione beneficii percipit fructus. 5. 1
Beneficiatus minùs aptè comparatur usufructuario. 5. 2
Beneficiatus fundum beneficialem curare potest tanquam suum. 5. 2
Beneficiatus majus jus habet, quàm usuarius. 5. 2
Beneficiatus ex patrimonio suo dives, jure divino exigere potest ex rebus Ecclesiæ portionem fructuum, ut alimentum & stipendium operæ. 12. 1
Beneficiatus non potest sibi designare successorem in beneficio. 30. 2
Beneficiatus, cui à collatore laico amovibiliter collatum beneficium sæculare, ab eodem auctoritate propriâ amoveri nequit. 71
Potest tamen eundem amovere talis collator operâ Ordinarii. 71
Beneficiatus, seu habens beneficium manuale, potest sine causa removeri validè, nec potest conqueri contra removentem. 72. 1
Non potest tamen sine causa removeri licitè. 72. 2
Potest adhuc removeri validè à Prælato, cui tale beneficium pleno jure subest, etsi is promisisset se illum non revocaturum. 73
Et hoc quidem, etsi talis promissio firmata juramento. 73
Beneficiatum talè amovendi quæ censeatur causa justa. 74
Beneficiatum talem amovens an teneatur manifestare & probare causam amotionis, amoto vel amovendo recurrente ad superiorem. 75
Beneficiatum talem amoventis quando constet aut præsumatur malitia. 76
Beneficiatum contra talem, si fieret accusatio vel inquisitio, & is eâ pendente amoveretur, præsumitur malitia. 76. 1
Item si is contra receptam consuetudinem, ne beneficiatus intra certum tempus moveatur, absque culpa moveretur. 76. 2
Item, dum ad instantiam beneficiati fieret inquisitio adversus Prælatum, penes quem est potestas amovendi, & is eâ inquisitione pendente illum amoveret. 76. 3
An beneficiato tali manuali negante causam amotionis in ipso articulo amotionis expressam, debeat dicta causa justificari, & interim suspendi amotio. 77
Beneficiatus talis an adhuc amoveri possit, dum facta ei collatio beneficii manualis à Papa esset confirmata. 78
Beneficiatus talis adhuc amoveri posset, dum Papa jure devoluto contulisset ei beneficium manuale. 79. 1
Limitatur tamen idipsum. 79. 1
Beneficiatus talis adhuc amoveri posset, dum Papa simpliciter ei contulisset beneficium nomine proprio, & jure concursus. 79. 2
Si tamen, sciens illius naturam, conferret illud nomine proprio simpliciter sæculari, censebitur ei contulisse pro tota ejus vita. 79. 3
Beneficiatus habens onus legendi missas in certa Ecclesia, sacello, altari, peccat mortaliter legendo eas alibi. 104. 1
In beneficiato magis requiritur morum honestas quam literatura. 337
Beneficiato, ubi agitur interesse Ecclesiæ ipsius, permissum est agere per seipsum, & consequenter abesse pro negotio vel lite Ecclesiæ; non autem pro lite ipsi mota super beneficio ipso, sed tantùm super juribus & bonis beneficii, de cujus residentia agitur. 382. 2.

Bigamia.

Bigamia inducit irregularitatem non ex culpa. 351. 1
Bigamia quid sit & quotuplex. 351
Bigamia in conscientia non inducitur sine per fectione copulæ; secùs est de foro externo. 352. 1
Bigamia non contrahitur per hoc, quod quis plures cognoverit concubinas. 352. 1
Bigamia vera quid sit? 352. 1
Bigamia interpretativa quid sit, & quot modis contrahatur. 353. 1
Bigamia interpretativa, cur potiùs incurratur ab eo, qui ducit corruptam, quàm eo, qui corruptus sine affectu maritali cum pluribus, ducit virginem, remissivè. 353. 1
Bigamia similitudinaria quid sit? 354
Bigami, tam interpretativè & similitudinariè, quam verè tales sunt impromovibiles ad beneficia. 355
Item prohibentur suscipere Ordines, & in susceptis ministrare, intelligendumq; hoc ipsum etiam de clericatu. 355
Bigami non tantùm verè, sed & interpretativè tales ipso facto nullâ obstante consuetudine contrariâ, carent omni privilegio Clericali, prohibentur deferre habitum clericalem sub anathemate, subjecti jurisdictioni fori sæcularis, & immunnes ab excommunicatione eos percutientes. 355
Quod ipsum tamen intelligendum de constitutis tantùm in minoribus, in sacris enim constituti gaudent privilegio clericali, donec degradentur. 355
Bigamiâ similitudinariâ non amittuntur privilegia clericalia, etiam respectu constitutorum in minoribus tantùm. 355
In bigamia, etiam quo ad minores Ordines tantum, dispensare nequit Episcopus, dum vera est vel interpretativa. 357. 1
Neque in bigamia similitudinaria orta ex delicto. 357. 1
Potest tamen id in alia bigamia similitudinaria, etiam quo ad Ordines sacros. 357. 2
In bigamia tamen hac dispensare nequit cum Clerico sæculari post susceptos Ordines, vel etiam religioso ducente invalidè & cognoscente viduam. 357. 2
In bigamia vera & interpretativa etiam quo ad Ordines minores dispensare cum suis nequeunt Prælati regulares, etiam exempti. 357. 2
Possunt id tamen in bigamia similitudinaria, dum in suos jurisdictionem quasi Episcopalem habent. 357. 2.

Bona.

Bona immobilia, ex quibus percipiuntur beneficiorum reditus, debent esse intra bona sæcularia. 6
Bona eadem pertinent ad particulares quasque Ecclesias, suntque communitatis, eorum tantummodò administratione existente penes Ecclesiarum Rectores. 6
Bona hæc debent esse res certa & stabilis. 7
Bona hæc sunt dos beneficii. 7
Bona hæc, ut transeant in dominium Ecclesiæ, non requiritur. 8
Bona, super quibus fundatæ capellaniæ non collativæ, manent & reputantur laicalia, subjecta potestati sæcularium magistratuum. 56. 1
Bonorum Ecclesiæ, etiam mobilium inventarium facere tenentur parochi, ejusque copiam tradere Ordinario. 446. 1
Bona & res istiusmodi mobiles Ecclesiæ vel domûs Ecclesiæ à prædecessoribus acquisita nullatenus sine licentia Ordinarii distrahere, alióque deferre potest Rector Ecclesiæ vel beneficii. quod ipsum limitatur. 446. 2
Bona immobilia Ecclesiæ sub excommunicatione aliisque pœnis nullo pacto sine auctoritate Apostolica alienare, aut ultra triennium elocare potest ejus Rector. 446. 3
Bonorum Ecclesiæ elocatio cum anticipatis solutionibus prohibita à Tridentino. 446. 4

Canonicatus.

CAnonicatus omnes, ubi in Ecclesia annexum habent sacrum Ordinem absque determinatione, quod uni hic alteri alius Ordo annexus, provisus de uno illorum debet ad minimum esse subdiaconus. 312. 7
Canonicatibus omnibus in cathedralibus annexum esse sacrum Ordinem, voluit Tridentinum. 317. 7
Sine canonicatu nequit esse præbenda. 312. 7
Canonicatus est, & considerari potest tanquam diversum quid à præbenda. 312. 6
Canonicatus cathedralis non comprehenditur in facultate concessa alicui, ut provideatur de primo vacaturo. 34. 3
Canonicatus cathedrales non comprehenduntur in dispensatione, nisi dispensatio ut facta motu proprio. 34. 4
Canonicatus, cui citra factam unionem parochialis incumbit cura, conferendus est per concursum. 206. 7
Canonicatus conferendi non sunt per concursum, dum in collegiata aliqua cura nulli in particulari imposita exercetur per canonicos illos hebdomadatim. 206. 9
Canonici tamen illi examinandi & approbandi ab Episcopo. 206. 9
Canonicatus cathedralis, etsi nullus ei annexus Ordo, requirit ætatem saltem illam, ut provisus intra annum promoveri possit ad subdiaconatum. 213. 2
In Germania tamen assumuntur passim, qui 14. annum attigerunt, quin & quandoque qui 12. annum non excedunt. 213. 2
Canonicatus subdiaconalis requirit 21. annos. 215
Canonicatus diaconalis 22. annos. 215
Non requiruntur illi anni completi tempore promotionis sed ita inchoati, ut intra tempus, quo ordo suscipiendus compleri possint. 215
Canonicatus, cui annexus Pœnitentiariatus in cathedrali, requirit doctoratum. 252. 5
Canonicatuum dimidia saltem pars in cathedralibus & collegiatis, ut conferatur graduatis, hortatur Tridentinum. 252. 5
Canonicatus, etiam cathedralis, etiam cui accessoriè unitum curatum aliud, venit adhuc nomine beneficii simplicis, ad quod cum illegitimo dispensare potest Episcopus. 270. 2
Canonicatus & præbenda quando & qualiter sit sacerdotalis. 312. 5
Canonicatus cathedralium & collegiatarum Ordinem nullum sacrum, præscindendo à Tridentino, annexum habent. 318
De canonicatûs substantia non est habere suffragium in electionibus aliisque actibus capitularibus. 318
Canonicatus, præbendas, portiones, officia habentes in cathedrali, quibus annexus Ordo, si hunc intra annum non receperint, præterquam quod privari possint beneficiis, privandi sunt per Episcopum dimidia parte distributionum quotidianarum. 320. 5
Canonicatum & monasterium curâ & conventu carens habens tenetur residere in canonicatu. 397. 4
Canonicatus duos habens tenetur residere in digniore, vel, si æquales sunt, in quo maluerit. 357. 5
Canonicatus, etiam dum accessoriè in perpetuum annexus est dignitati, habens illam dignitatem per se debet obire officia incumbentia illi canonicatui. 419. 1
Multóque magis, dum æquè principaliter annexus est, vel etiam præbenda canonicatui, per seipsum obire debet illa officia. 419. 2

Canonicus.

Canonici & clerici regulares habere non possunt in titulum beneficia sæcularia curata. 55. 1
Canonicus non subdiaconus suffragium habere nequit in electionibus, aliisque actibus capitularibus, nec de concessione capituli, nec ex dispensatione Episcopi. 318
Potest tamen omnia alia extra capitulum, habere stallum in choro, Turnarius esse & conferre, optare præbendas &c. 318
Canonici & præbendati cathedralium & collegiatarum residere tenentur, nec ultra trimestre singulis annis abesse possunt. 397. 1
Canonici nequeunt facere gratiam eximendo aliquem à servitio, & ut in absentia participet, estque talis consuetudo abusus. 398. 5
Canonicorum collegium ipsum remittere potest residentiam, dum ea solum est ex eorum statuto. 398. 4
Canonici an turâ conscientiâ abesse possint, & non residere ultra tempus à concilio concessum, amittendo distributiones & omnes fructus. 399
Canonici an vi consuetudinis in absentia percipere possint fructus. 400
Canonicus pro anno, quo est in novitiatu non lucratur fructus. 403
Canonicus aliúsque beneficiatus tempore divinorum officiorum celebrans in cathedrali vel collegiata lucratur distributiones. 404. 8
Canonici vel habentes dignitatem exercentes curam animarum incumbentem de jure vel consuetudine suis canonicatibus, pro tempore, quo in Ecclesia curata residunt & ministrant, habentur pro præsentibus in cathedrali vel collegiata. 404. 10
Canonici vel dignitatem habentes & simul parochialem annexam canonicatui vel dignitati in parochialibus residentes, non lucrantur quotidianas distributiones, nec optare possunt domus aliaque similia. 404. 10
Canonici infirmi qualiter lucrentur distributiones. 407. 1
Canonici duo existentes in obsequio sui Episcopi percipiunt fructus suorum canonicatuum, non verò distributiones. 405. 1
Procedit id etiam de canonicis doctorali & magistrali. 405. 2
Item probabiliter in canonicis collegiatarum. 405. 3
Canonici servientes Episcopo lucrantur distributiones quotidianas, dum canonicatus consistunt in meris distributionibus. 406. 4
Canonici ex sua institutione & jure communi tenentur canere in choro. 418. 1
Nec sufficit ad lucrandas distributiones integrè, quantum est de jure communi, ut horas privatim & submissè recitent. 418. 2
Canonici & præbendati tenentur per seipsos, & non per substitutos officia divina suo canonicatui incumbentia obire. 419. 1
Canonicus habens insuper dignitatem, præbendam vel portionem tanquam duo beneficia separata, debet utriusque officia per seipsum obire, nisi fortè occurrentia eodem tempore obiri ab eadem persona nequeant. 419. 2
Canonicus non potest licitè ordinarie abesse à capitulis & congregationibus capitularibus. 420. 1
Canonici officium versatur quoque in administratione & gubernatione rerum Ecclesiæ & capituli, spiritualium & temporalium. 420. 1
Canonicus quando, & qua de causa licitè abesse possit a capitulis. 420. 2. & seq.

Capella, Capellania, Cappellanus.

Capellæ nomen unde desumptum. 85. 1
Capellæ nomine ad jus canonicũ translato quid veniat. 85. 1
Capellani quinam dicantur. 85. 3
Capella à capellania qualiter differat. 85. 2
Capellæ noviter erectæ intra fines parochiæ, assignato ei proprio parocho, de jure debentur decimæ. 481. 1

Capellæ

Capellæ noviter erectæ nequit Episcopus sine justa causa deputare certam parochiam in præjudicium Ecclesiæ baptismalis. 481. 1

Capellæ, etiam existentes in Ecclesia, quo ad cæmenta & ornamenta, ipsumque situm materialem sunt in hæreditate & commercio profano, 96. 2

Capellaniæ sæculares manuales nullum titulum beneficialem præbentes esse possunt in Ecclesiis regularium. 44

Capellaniæ fundatæ in Ecclesiis vel monasteriis regularium non sunt eo ipso regulares. 45. 1

Si tamen non constet fundatas pro sæcularibus, præsumuntur regulares. 45. 2

Capellanias jurispatronatûs expedit potiùs esse manuales quàm perpetuas. 63

Capellaniæ manualitati obnoxiæ, dum rationem beneficii non habent, per administratores v. g. Ecclesiæ, aut pias Congregationes aliquas sub mercede conducti pro missis celebrandis aliisque peragendis, ad nutum more famulorum, sine causa & superioris auctoritate sunt amovibiles. 72. 1

Idem est de iis, qui ab Episcopo, capitulo, monasterio deputantur tanquam Vicarii ad exercitium curæ, vel servitium Ecclesiæ unitæ capitulo, dignitati &c. 72. 1

Capellania ex dispositione fundatoris conferibilis & amovibilis ad nutum patroni laici sine legitima causa, non est beneficium nisi æquivocè. 84

Capellania erecta & dotata auctoritate Episcopi est verum beneficium. 86. 1

Capellania ad nutum amovibilis, ut judicari debeat verum beneficium, sufficit, illam semel iterúmque collatam per Ordinarium. 86. 1

Capellania, quotiescúnque erecta non fuit auctoritate Episcopi, non est beneficium Ecclesiasticum. 86. 2

Idque verum, etiamsi ex ordinatione fundatoris esset inamovibilis, haberetque pro dote bona stabilia. 86. 2

Item, etiamsi ejus titulo sacris Ordinibus initiarentur illius possessores. 86. 2

Item, etiamsi ipse Episcopus eam fundasset tanquam laicus ex bonis propriis. 86. 2

Capellanias esse beneficia præcisè non præsumitur ex onere celebrandi, vel faciendi celebrari missas, vel ex denominatione capellæ. 87

Capella fundata ad serviendum in ea deo, licet non appareat de approbatione Episcopi, præsumitur beneficium Ecclesiasticum. 87

Capella ad nutum amovibilis, etiamsi collativa sit & beneficium, nequit esse titulus ordinationis. 88. 1

Nisi talis capellania ad nutum amovibilis habeatur in capella Papæ. 88. 1

Vel nisi per accidens hic & nunc in hac persona ordinanda foret perpetua, eò quòd, ad quos pertinet amovere, permittant talem ordinari. 88. 1

Capellania perpetua præbet titulum ordinationis. 88. 2

Idque etiamsi non esset collativa nec beneficium. 88. 2

Capellania ex non collativa seu ex non beneficio fieri potest collativa & beneficium. 89. 1

Dum nimirum ex primæva sua fundatione ob non accedentem auctoritatem Ordinarii non habebat nisi rationem Legari Pii, superveniente deinceps auctoritate Ordinarii erigitur in beneficium, non reluctante voluntate fundatoris. 89. 1

Quæ voluntas tunc censetur non reluctari, ubi fundator in fundatione nihil addidit, per quod ratio collativæ & beneficialis excludatur seu prohibeatur. 89. 1

In quo casu non mutabitur voluntas fundatoris, sed dicetur per talem adjectionem solùm alterari. 89. 1

Vult tamen Garcias; hæc solùm procedere, ubi capellania instituta in ultima voluntate; non in capellania instituta inter vivos, & itaeim effectuata per positionem capellani. 89. 2

Capellaniam, dum fundator noluit collativam, Ordinarius deinceps, accedente consensu patroni, non potest erigere in beneficium. 90

Capellania, quam fundator noluit esse beneficium, ad hoc, ut habeatur pro beneficio, sufficit, per annos 40. collatam ut beneficium. 91

Capellania perpetua, dum erecta est auctoritate Ordinarii in beneficium, non tenet prohibitio illa fundatoris, quòd Ordinarius non debeat se intromittere in illius provisione, sed ea spectet ad solos laicos. 92

Idque etiamsi Episcopus ipse in ejus erectione in beneficium consenserit in talem conditionem. 92

Tenet tamen talis conditio, & est servanda, ubi Episcopi authoritas in ejus institutione non intervenerit. 92.

Capellaniæ, in quibus non intervenit auctoritas Episcopi non possunt impetrari in titulum beneficii. 93

Nec possunt permutari cum beneficio. 93

Capellania erecta in beneficium, tenet, quòd fundator ab ejus administratione, cura, & visitatione excludat Ordinarium, saltem excepto casu negligentiæ. 94

A qua tamen visitatione non excluditur per hoc præcisè Ordinarius, quòd fundator alteri simpliciter commiserit visitationem. 94

Capellaniæ non collativæ bona manent sæcularia & subjecta potestati sæculari. 96. 1

Capellaniæ privatâ auctoritate institutæ tanquam profanæ jure sanguinis aut hæreditario devolvuntur in Hispania more fideicommissorum & majoratuum. 69. 1

Capellaniis talibus non collativis non potest imponi subsidium bonis & reditibus Ecclesiasticis imponi solitum. 96. 1

Capellaniæ tales venire possunt in pactum citra auctoritatem Papæ sine simonia. 96. 2

Capellaniæ institutæ sine auctoritate Ordinarii, etsi de cetero sub nomine beneficii fundentur, obvenire possunt laicis, etiam infantibus ac fœminis, nisi aliter caverit fundator. 97. 1

Neque requirunt ætatem certam, nisi indirectè quandoque, dum v. g. fundator voluit, ut obtinens tale legatum vel capellaniam sit clericus. 97. 1

Capellania erecta in titulum beneficii requirit clericatum. 97. 2

Nihilominùs ex fundatione dari potest puero ante primam tonsuram titulo sæculari. 97. 2

Capellania obligat ad horas, dum est beneficium, non alias. 98.

Capellaniæ duæ fundatæ super eodem altari, & sub iisdem oneribus ab uno haberi non possunt. 99. 1

Capellaniæ duæ fundatæ in ejusdem Ecclesiæ diversis capellis, vel etiam in ejusdem capellæ diversis altaribus, vel etiam in eodè altari, ad diversos tamen fines, & cum diversis oneribus non sunt incompatibiles. 99. 2

Capellania cum diversi nominis & instituti beneficio in eadem Ecclesia non est incompatibilis. 99. 3

Capellania requirens residentiam est incompatibilis cum quocunque alio beneficio pariter residentiam requirente in loco alio. 99. 4

Capellaniæ beneficiales non habentes annexam curam, præscindendo à fundatoris ordinatione, statuto & consuetudine, non requirit residentiam. 100. 1

Idque si ultra onus celebrationis missarum haberet impositum servitium cantandi in choro, dixissetque fundator: *obtinens capellam eamet & serviat.* 100. 1

Secus tamen est, ubi fundator dixisset: *interfit, & assistat in choro.* 100. 1

Quamvis & hæc verba adhuc non importare nisi residentiam tantùm causativam seu impropriam dicat C. de Luca. 100. 1

Capellania beneficialis residentialis ab onere residendi liberatur ob fructus ad insufficientiam diminutos. 100. 2

Capellania nullos fructus habens in absentia, omnibus inter præsentes distribui solitis, videtur requirere residentiam personalem & præcisam. 100. 3

Capellani alicujus Ecclesiæ collegiatæ, an habeant jus interessendi capitulo. 100

Capitulum.

Capitulum cathedrale constituit idem corpus cum Episcopo. 447. 2

Capitulo ante hac, attentâ primâ origine, omnes, etiam regulares, erant subjecti, adeóque ab ejus jurisdictione modò regulares quidam non nisi privilegialiter eximuntur. 447. 3

Capitulum cathedrale in omnibus locis & Ecclesiis intra diœcesin, etiam exemptis habet jus reverentiale & eminentiale, etiam sede plenâ. 447. 3

Capitulo cathedrali solenniter & capitulariter interveniente in exequiis in Ecclesia regulari, an jus peragendi officium spectet ad Prælatum regularem. 447. 3

Capitulo cathedrali solenniter interveniente in Ecclesia regulari vel sæculari exempta, an Prælatus illius, cui aliàs concessum pontificaliter celebrare, id possit prætendere. 447. 3

Capitula tam collegiatarum quàm cathedralium semper & ubique præcedere debent Ecclesias inferiores. 448. 2

In

In capitulo habere vocem, & esse de capitulo sunt diversa. 405. 4
Capitulum sine consensu Episcopi statuere potest circa particularia capituli negotia. 415
Capitulum an, & qualiter circa distributiones certo modo inter canonicos distribuendas statuere possit. 415
Capitulum an statuere possit, ut certis tantùm horis assignentur & fiant distributiones. 416
A capitulo an ordinariè abesse possint canonici. 420. 1
A capitulo quando, & cur licitè abesse possint canonici. 420. 2. & seq.
Capitula tempore divinorum officiorum haberi non debent. 420. 4
In capitulo gesta tempore divinorum etsi valeant, non tamen valerent, si duæ partes capitularium essent absentes, quia in choro occupati. 420. 4
Capitulo non convocato legitimè, vel insolito tempore & incongruo, absentes excusantur. 420. 5
Capituli consensus non est necessarius, sed sufficit Episcopi, ut decimæ acceptæ legitimè ab Ecclesia donentur à laico alteri Ecclesiæ vel loco pio. 475. 1
Capitulum cathedrale non potest immutare naturam & institutionem beneficiorum. 31
Capitulum dare non potest præbendatis & canonicis licentiam absentiæ, & habere illos pro præsentibus ultra tres illos menses, etiam ad breve tempus, & ex justa causa. 398. 3
Nec valet in contrarium ejus statutum, nisi à Papa ex certâ scientiâ, & in specifica forma confirmatum. 398. 3
Estque talis consuetudo dandi talem licentiam abusus. 398. 3
Capitulum tamen videtur posse dare licentiam ad breve tempus ex causis in jure expressis. 398. 3
Capitulum sede vacante potest remittere obligationem residendi præcisè, dum obligatio hæc solùm est ex statuto aliquo synodali aut diœcesano. 398. 4
Capitulum sede vacante vacantes parochias conferre nequit. 171. 1
An in iis statuere possit œconomum, vel eas ad sex menses commendare. 171. 2
Capitulum sede vacante habere potest concursum, etiam post annum à celebrata synodo ultima, modò supersint sex Examinatores. 188. 1
Capitulum sede vacante post elapsum ab ultima synodo annum habere non tenetur synodum. 188. 1
Capitulum sede vacante habet potestatem celebrandi synodum. 188. 2
Capitulum sede vacante, si elapso anno ab ultima synodo non supersint sex Examinatores, non potest habere concursum, nisi priùs in synodo ad hoc congregata sex constituerit Examinatores. 188. 2
Capitulum sede vacante, ut teneatur habere synodum, causa sola sufficiens est, deputandi hìc & nunc Examinatores necessarios. 188. 2
Capitulum sede vacante dispensare potest in defectu natalium quo ad ordines minores, & beneficia simplicia. 268. 2
Capitulum sede vacante ex gravi causa cùm curato dispensare potest, ut ad breve tempus non resideat. 374. 4

Cardinalatus, Cardinalis.

Cardinalatus quo jure constituti. 12. 2
Ad Cardinalatum promoveri nequeunt legitimati per subsequens matrimonium. 261
Ad Cardinalatum dispensatus non censetur, cum quo dispensatum ad quascunque dignitates. 269
Cardinales Episcopi existentes in curia sine concursu conferre possunt parochiales suæ diœcesis. 206. 18
Cardinalis creandus esse debet in ætate requisita ad ordinem sacrum Cardinalatui annexum. 221
Cardinales tamen etiam creari in minore ætate nil obstat. 221
Cardinales jure communi residere tenentur apud Ecclesias suas, quibus ut pastores præficiuntur. 386. 2
Cardinales, dum eorum opere eget Papa excusantur à residendo. 386. 2
Cardinalatus non est sufficiens causa, præscindendo ab illa Papæ vel boni communis egentia, ut commoretur in curia Romana, dum simul est Episcopus Ecclesiæ distantis ab Urbe. 386. 2
In Cardinalis obsequio existentes duo canonici sui tituli lucrantur fructus, non distributiones. 405. 5
Cardinalium etiam familiares, universaliter loquendo, non percipiunt in absentia fructus, nec excusantur à residendo. 405. 5

Censura.

Censura non suspenditur per appellationem post eam interpositam. 329. 3
Censuram in suos citra speciale privilegium ferre non possunt parochi. 444
Censuram ferre spectat ad jurisdictionem fori externi. 444.

Citatio.

Citatio per edictum operatur eundem effectum, quem citatio personalis. 392
Citatio ab Ecclesiis & beneficiis suis absentium an, & qualiter fieri debeat. Vide V. *Abesse.*

Clausula.

Clausula: *ex motu proprio*: suppler solùm subreptionem ex causis extrinsecis, non verò eam, quæ provenit ex personæ inhabilitate, & intrinseca beneficii qualitate. 37. 1
Clausula decreti irritantis inducit formam, & actum contra illud factum reddit nullum. 198
Clausula: *non obstantibus*: adjici solita in provisione Papali, non derogat dispositioni fundatoris; derogat tamen qualitati requisitæ ex speciali statuto alicujus Ecclesiæ. 313
Clausula: *te à quibusvis* &c. poni solita in literis Apostolicis, operatur valorem impetrationis factæ ab excommunicato, ita tamen, ut si provisio facta in forma commissaria, & forma *dignum*, impetrans, ut validè obtineat beneficium, priusquam fiat collatio debet absolvi à commissario. 329. 4
Vi dictæ clausulæ absolvitur impetrans ab excommunicatione Bullæ cœnæ, non tamen ab incursa ob hæresin. 329. 4
Dicta clausula non favet insordescentibus. 329. 4
Vi dictæ clausulæ positæ in literis legatorum & Episcoporum non absolvitur impetrans nisi ab excommunicatione, à qua illi possunt absolvere. 329. 4
Clausula: *ex certâ scientiâ*: inserta confirmationi, an operetur, ut confirmatio sit ex certa scientia. 397, 8

Clericatus, Clericus,

Vide *Tonsura prima.*

Clericatûs privilegia constitutorum in minoribus tantùm amittuntur per bigamiam veram & interpretativam, non per similitudinariam. 355
Clericatûs qualitas positivè hodiedum debet exprimi in impetratione beneficii, ita ut literæ sine hac narrativa tanquam contra stylum extortæ habeantur suspectæ de fallo. 309
Clericatus perperam collatus ab alieno Episcopo ratificari potest à proprio Episcopo. 307. 2
Clericatus requiritur ad obtinendam pensionem Ecclesiasticam. 308
Clericatus per se non requiritur in superiore regulari. 310
Clericorum nomine in odiosis non veniunt Episcopus & Regulares. 152
Clerici conjugati non secùs ac laici incapaces sunt obtinere beneficia. 307. 1
Clericus conjugatus reputatur in omnibus tanquam laicus. 307. 1
Cum clerico conjugato ne quidem ad simplex beneficium dispensare potest Episcopus. 307. 1
Clericus carens executione clericatûs, seu cui collatus clericatus nulliter quo ad executionem incapax est beneficii. 307. 2
Dicta tamen inhabilitas tolli potest per ratificationem talis clericatûs factam à proprio Episcopo; ita tamen, ut collationem beneficii præcedat ratificatio illa. 307. 2
Clerici nomen deductum à κλῆρος, quod sortem significat. 309
Clerici nomen generalissimè acceptum capit mancipatos Ecclesiæ servitio, etiam citra susceptam primam tonsuram, adeóque capit omnes personas Ecclesiasticas. 309.
Clerici largo modo sunt laici conversi & milites Hierosolymitani. 309.

Clerici nomen sumptum in genere subalterno pro electo quidem in sortem domini, sed ordinato, non capit simplices monachos ac conversos : capit tamen omnes species ordinatorum, hoc est, initiatorum, sive primâ tonsurâ, sive minoribus, sive sacris Ordinibus. 309
Clericus notoriè concubinarius vel adulter post peractam sufficienter pœnitentiam & vitæ emendationem sine dispensatione celebrare potest, aliaque præstare. 344
Clericis non nisi habentibus beneficium propriè tale debentur decimæ jure communi ex Justitia. 480. 2
Clericis verò aliis debentur quidem ex Justitia, non tamen jure communi, sed v. g. vi privilegii. 480. 2
Clerici non curati obligantur per se & debito personali ad solvendas decimas, intellige, prædiales. 483. 8
Clerici, qui parochi non sunt, tenentur agnoscere proprium pastorem, & ab eo sacramenta percipere. 483 8
Clericus clericum non decimat ; qualiter intelligendum. 483. 8.

Coadjutor.

Coadjutor & coadjutus simul abesse non possunt, etiam in illo trimestri concesso canonicis, dignitatibus &c. 401. 6
Coadjutor debet habere eandem ætatem quam principalis. 217. 2
Coadjutores dantur Episcopis & parochis ægrotis. 238

Collatio, Collator.

Collatio aliavé provisio beneficii curati ante annum 24. completum est nulla. 217. 3
Collatio beneficii vacantis in mense Papali, Papâ adhuc vivente, quod mansit improvisum ob mortem Papæ, non spectat ad Ordinarium. 174. 2
Collatio parochialium vacantium in mensibus aliàs Papæ reservatis, sede papali vacante, spectat ad collatores ordinarios. 174. 2
Idem est de ceteris beneficiis. 174. 2
Collatio parochialium vacantium sede Episcopali vacante non spectat ad capitulum. 171. 1
Collatio parochialium reservatarum Papæ vacantium, sede Papali vacante, spectat ad Ordinarium, etiam inferiorem, collatorem. 172. 1. & 2
Secùs est de Ecclesiis aliis curatis non parochialibus, & de parochialibus collegiatis, vel habitu tantùm parochialibus. 172. 3
Collatio beneficiorum neque est jurisdictionis, neque Ordinis Episcopalis. 166. 2
Collatio speciali aliquo jure spectare potest ad monasterium. 166. 2
Hoc tamen jus conferendi incorporationem aut unionem factam monasterio non infert. 166. 2
In collationibus parochialium per concursum adhuc est locus præventioni inter Ordinarium & alium quempiam collatorem inferiorem. 205. 8
Collatio aliàque provisio facta non clerico tempore provisionis est ipso jure nulla. 303
Collatio est nulla, dum provisus priùs post expeditionem literarum Apostolicarum fit clericus. 303
Collatio à Papa facta destinato solùm ad clericatum est nulla, nisi in rescripto hujus tantum destinationis ad clericatum fiat mentio. 303
Collator laicus, eum, cui beneficium amovibiliter contulit, non potest auctoritate propriâ ab eo removere. 71
Collator ex eo præcisè, quòd contulerit beneficium, non potest eundem admittere ad ejusdem beneficii resignationem. 71
Collatores inferiores non habent potestatem habendi concursum, nec ullam licet eis attingere hujus officii partem. 205. 8
Collator inferior Episcopo sine concursu conferre potest parochialem alteri, dum in concursu præelectus intra quadrimestre à die vacationis non exhibuit dicto collatori testimonium de sua præelectione. 206. 6
Collator potens absolvere excommunicatum, dum ei confert beneficium, censetur eum absolvere, & sic validè promovere. 326
Idem est de confirmatore & institutore potente absolvere, & sine electione conferre beneficium. 326

Collegiata.

Collegiata, in qua exercetur cura per illius canonicos aut hebdomadarios, eò quòd nulli in particulari commissa, etsi sit simul parochialis, non tamen dicetur curata aut parochialis. 206. 9
Collegiata insignis quæ. 252. 5

Compromissum.

Per compromissum jus decimarum transire potest de uno in alium. 457. 2
In compromisso tali necesse est intervenire consensum superioris, aliásque solennitates ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitas. 477. 2

Concilium.

Concilium Tridentinum quas pœnas statuerit Episcopis non residentibus. 389. 1
Quas pœnas statuerit aliis curatis. 389. 2
Concilii Tridentini dispositio de residendo quo ad canonicos non est ubique recepta. 397. 13
Concilium Tridentinum quibus statutis & consuetudinibus non residendi deroget. 397. 6. & seq.

Concubinarius, Concubinatus.

Concubinarius notoriè, vel etiam adulter post peractam sufficientem pœnitentiam & vitæ emendationem, sine dispensatione celebrare, aliàque præstare potest. 344
Concubinatus est signum majoris incontinentiæ quam matrimonium. 351. 1

Concursus,

Vide *Examinatores, Appellatio, Episcopus.*

Concursu opus non est in provisione Vicariarum perpetuarum parochialium. 120. 2
Neque in deputatione Vicarii parochialis, usque dum ei vacanti de Rectore provideatur. 120. 1
Concursu tamen opus est dum cura tota, sive actualis & habitualis avocata à Rectore principali translata in Vicarium. 120. 3
Concursu opus non est, ubi Ecclesia parochialis vel cura annexa dignitati vel canonicatui stanti de per se, etiamsi ipsum quoque exercitium curæ sit penes possessorem dignitatis, canonicatus. 120. 3
Concursu opus est in provisione Vicariæ de per se existentis, ubi nullus apparet Rector. 120. 3
Concursus an pro forma, & ad valorem sui requirat ad examen vocari plures. 180
Concursus an pro forma requirat per edictum fieri vocationem omnium examinari volentium. 181
Ad concursum pro parochialibus vacantibus per resignationem factam in manibus Episcopi, is admittere nequit consanguineos affines vel familiares tam suos aliorúmque collatorum, quàm resignantis. 182. 1
Ad concursum pro parochia vacante admitti potest habens jam beneficium curatum. 182. 2
Concursus locum non habet, dum parochialis est juris-patronatûs laicalis, nisi fortè juspatronatûs laicale sit ex mero privilegio, vel sint plures æqualiter præsentati. 206. 10
Concursui locus non est, dum parochialis est juris-patronatus mixti, ubi mixtura est æqualis. 206. 11
Concursus habendus dum parochialis est juris-patronatus merè Ecclesiastici. 206. 13
In quo casu is, quem patronus inter approbatos digniorem judicabit, ab eodem præsentari debebit Episcopo instituendus, dum institutio spectat ad Episcopum. 206. 11
Si verò institutio spectet ad alium, Episcopus digniorem eligit, quem patronus præsentabit habenti instituere. 206. 11
Concursus habendus in provisione parochialis juris-patronatûs Ecclesiastici, etiamsi institutio spectet ad Abbates aliosque exemptos. 206. 11
Item, etiamsi institutio spectet ad Papam, dum nimirum in mense Papali vacavit talis parochialis; in quo casu Ordinarius nullâ habitâ ratione patronorum, habere debet concursum, dignioremque à se electum mittere Romam instituendum. 206. 11
Concursus tamen non habendus, si sic cavit fundator Ecclesiasticus. 206. 11
Concursus habendus in provisione canonicatûs, cui citra factam unionem parochialis annexa est cura. 206. 7
Idem est de dignitate, in quam cura de cetero incumbens toti capitulo translata est ab Episcopo. 206. 7

Concur-

Concursus habendus in provisione simplicis beneficii habentis de per se exercitium curæ in aliquo loco parochialis. 206. 7
Concursu opus non est in provisione dignitatum habentium curam animarum in Ecclesiis collegiatis. 206. 8
Concursu opus non est in provisione canonicatuum, dum in collegiata aliqua cura in particulari nulli imposita, exercetur per canonicos illos hebdomadatim. 206. 9
Examinandi tamen sunt tales canonici, & nequaquam absque approbatione sua Episcopus iis permittere debet exercere curam. 206. 9
Concursus cessat in parochiis litigiosis vacantibus, nisi tamen uterque collitigans obierit. 206. 12
Concursus non habet locum in parochialibus regularibus. 206. 13
Ad concursum admitti potest comparens elapso termino edicti, examine nondum habito. 182. 3
Idque, etiamsi de novo comparens docere nequeat de impedimento & ignorantia. 182. 3
Item, etiamsi descripti jam ab Episcopo contradicant. 182. 3
Concursus habendi terminus semel statutus ultra 20. dies prorogari nequit ab Episcopo. 183. 1
Terminum hunc, etsi Episcopus non teneatur, potest tamen prorogare, etiam pluries, donec isti 20. dies compleantur. 182. 1
Intra præfixum terminum, nemine comparente, potest edicta renovare toties, quoties ei videbitur, durantibus 6. mensibus competentibus ei ad conferendum. 183. 2
Concursus est nullus, ubi elapso nondum termino illo fieret examen. 183. 4
Concursus examen, quot diebus ab elapso termino in edicto proposito necesse sit fieri examen, determinatum non est à Tridentino. 184
Ad concursum, dum intra præfixum terminum nemo comparet, potest Episcopus liberè conferre parochiam; vel, dum collatio spectat ad inferiorem collatorem, eligere aliquem, ab illo collatore providendum. 185. 1. & 4
Ad concursum, dum unus solus comparet, is examinatus, si repertus fuerit idoneus, providendus de parochia. 185. 2
Concursus subsistit, si ex adscriptis aliqui tantùm comparentes præscripto examini die examinentur. 185. 3
Quid faciendum, ubi ex omnibus examinatis nemo repertus idoneus. 185. 4
Concursus pro valore sui requirit, ut 6. ad minimùm Examinatores sint constituti, etsi ab eorum tribus aut quatuor haberi possit examen. 186
Concursus est nullus, dum anno elapso à celebrata synodo, senario illo numero deficiente, substituuntur extra synodum Examinatores. 187. 1
Concursum habere potest capitulum sede vacante, etiam post elapsum annum ab ultima synodo, modò tunc remaneant 6. Examinatores. 188. 1. & 205. 3
De concursûs forma est, ut Examinatores præstiterint juramentum cum attactu Evangeliorum, se munus suum fideliter executuros. 189. 1. & 3
Juramentum hoc præstari debet publice in synodo, mox ut electi Examinatores. 189. 2
Juramentum hoc semel præstitum sufficit, nec requiritur, ut præstetur in quolibet concursu. 189. 4
Concursus pro forma & valore requirit, ut Episcopus aut ejus Vicarius interfit examini. 190
Concursus tamen haberi potest coram & à Vicario solo, Episcopo etiam non impedito. 190
Non potest tamen Vicarius sine speciali mandato ipsam collationem parochialis facere indicato & electo magis idoneo. 190
Concursus haberi potest coram præsidente ad hoc specialiter ab Episcopo deputato. 190
Concursu novo opus non est, dum magis idoneus ex Examinatis desistit ab aspirando ad parochiam ante electionem factam ab Episcopo de magis idoneo; secùs si id fiat post illam electionem. 199
Concursum indicere & habere est Episcopi ejus diœcesis, cujus sunt parochiæ, pro quibus instituitur concursus. 205. 1
Concursum habendi, & ex approbatis eligendi digniorem, est etiam penes Vicarium generalem Episcopi, & quidem regulariter ex generali commissione. 205. 2
Concursum habendi potestatem habent Abbates habentes proprium territorium, omnemque in eo jurisdictionem quasi Episcopalem, & usum cogendi synodum. 205. 4
Concursum habere spectat quoque ad eum, qui lite pendente inter Episcopum & alium Prælatum talem inferiorem super hac ipsa jurisdictione, subrogatur tantisper à Papa. 205. 5
Concursum habebit Episcopus vicinior, dum parochia nullius est diœcesis. 205. 6
Concursum habendi potestas non est penes Patriarchas respectu parochialium existentium in diœcesi Episcopi provinciæ suæ, etiam dum eorum collatio spectat ad patriarcham. 205. 7
Concursum habendi potestas non competit Abbati, multóque minùs alteri collatori inferiori, nec illis ullam hujus officii partem licet attingere. 205. 8
Concursu opus non est, dum parochia resignatur in favorem alicujus; sufficit enim tunc resignatarium probari idoneum ab Examinatoribus synodalibus. 206. 1
Concursu opus est, dum parochia resignatur simpliciter. 206. 1
Sine concursu tamen ex stylo datariæ, dum parochialis vacat apud Sedem, sive per obitum, sive per resignationem simplicem aut cessionem, ea confertur prævio solùm examine de sufficientia. 206. 1
Concursus haberi debet factâ resignatione parochialis in manibus collatoris inferioris Papâ, in quo, si resignatarius non inveniatur saltem minùs aptus, fieri ei non debet collatio. 206. 1
Concursu opus non est, dum per Papam Romæ præsenti providetur de parochia vacante in partibus Papæ reservata; sed sufficit, examinatum ab Examinatoribus in Urbe deputatis repertum idoneum. 206. 2
Concursu opus non est, dum beneficia parochialia, etiam inæqualia, vel etiam dum unum est simplex permutantur. 206. 2
Concursu opus non est, dum parochialis ab immemoriali tempore consuevit optari. 206. 4
Concursu opus non est in provisione parochialis, in cujus priore provisione servata non fuit forma Tridentini. 206. 5
In concursu approbato & prælecto ab Episcopo non potest fieri collatio, si intra quadrimestre à die vacationis non exhibuerit Papæ aut alteri, ad quem spectat collatio, testimonium Ordinarii de sua prælectione. 206. 6
Et in hoc casu sine concursu alteri tunc fieri potest collatio, etiam ab inferiore illo collatore. 206. 6
Concursu opus non est in provisione dignitatis, cui perpetuò accessoriè unita parochialis. 206. 7
Secus, ubi parochialis unita æquè principaliter. 206. 7
Concursui locus non est, dum parochialis acquiritur per regressum, si tamen regrediens eam ante possederit. 206. 15
Sine concursu providetur parochialis tantùm habitualis, ubi tamen ea redierit ad actum, deinceps opus concursu. 206. 16
Sine concursu Cardinales Episcopi existentes in curia conferre possunt parochiales suæ diœcesis, modò collatarius examinetur ab Examinatoribus deputatis à Papa. 206. 18
Concursus ubi per accidens haberi nequit, debet adhuc approbatio fieri prævio examine Examinatorum synodalium. 208

Confessio.

Confessio delinquentium contra illos, non contra tertium valet, nisi adminiculata externis indiciis. 265. 3

Congrua.

Congrua portio ex fructibus beneficii assignanda Vicario, etiam temporali. 123
In congruæ hujus deputatione habendus respectus præcipuè ad conditionem personæ, Ecclesiæ situm, regionis consuetudinem, Ecclesiæ facultates. 123
Congruam hanc assignare, vel potiùs arbitrari de ejus sufficientia, dum assignatur Vicario à Rectore principali, est Episcopi. 124. 1
Ad congruam hanc præstandam Episcopus cogere potest monasterium. 124. 1
Congrua hæc præstanda à percipiente decimas, aliáque emolumenta parochialia, etiamsi non haberet curam habitualem. 125
Non tenetur Vicario dare ultra id, quod percipit à parochia, & emolumentis parochialibus. 125
In quo casu tenetur supplere, & ad hoc compellendus populus. 125

Modus extorquendi illud ſupplementum à parochianis eſt, ſi ab Epiſcopo nonnihil augeantur emolumenta parochialia. 125
Congrua hæc quanta eſſe debeat, nihil ſtatuit quo ad hæc Tridentinum; ſed reliquit Ordinarii arbitrio pro facti & onerum qualitate. 126
Congruam Vicarii ſeu œconomi, donec Eccleſiæ vacanti de Rectore provideatur, S. Congregatio taxavit ad 2. aureos ſingulis menſibus. 126. 1
Pro congrua tali Vicario aſſignari non poſſunt omnes fructus, niſi fortè omnes conjunctim non excedant congruam. 126. 1
Pro congrua Vicariis aliis Pius V. conſtituit ſummam non majorem centum, nec minorem 50. ſcutorum annuorum, computatis omnibus etiam incertis emolumentis. 126. 2
Quid veniat nomine illorum incertorum. 127
Pro congrua tamen quandóque 300. & 400. ſcuta aſſignantur. 126. 2
Congrua ſemel conſtituta contentus eſſe debet Vicarius. 128
Distributiones, qui propter absentiam à divinis non lucrantur, percipere nequeunt, & retinere, dum eas ceteri præsentes, quibus aliàs accrevissent, expressè vel tacitè remittunt, seu donant. 421
Distributiones tamen hæ, quæ præsentibus accreverunt ex aliorum absentia, si datæ jam sint præsentibus, hi eas, nullo pacto præcedente vel vi aut metu, donare possunt absentibus, & hi eas licitè recipere. 421. 2.
Distributiones quotidianæ amissæ per non interessentes, ad quem spectent. 422
Distributiones securè transmittuntur ad hæredes, ut alia bona patrimonialia Clericorum. 423

Doctoratus. Doctor.

Vide *Gradus.*

Doctori Theologiæ, vel juris Canonici in publica Universitate promoto, etsi cum plausu diu legerit, conferri nequit parochialis sine examine per concursum. 207
Ad Doctoratum consequendum sufficit scientia mediocris. 409.
Per Doctoratûs assumptionem non exspirat licentia abessendi data ratione studiorum. 409

Dos.

Dos beneficii quid significet. 21
Doris assignatio in erectione beneficii necessariò præcedere debet. 22
Doris hujus constitutio nuncupatim hoc nomine fieri debet, & non nomine stipendii vel salarii pro Capellano 22.
Ad dotem insufficientem collatam complendam compelli potest fundator. 25
Dos beneficii quæ censenda sit congrua. 25. 1
Dos hæc, ubi taxata non est à jure, quid considerandum pro dijudicanda ejus sufficientia. 25. 1
Dos beneficii debet esse libera, uti & fundus, in quo ea consistit, à tributo quocunque. 27. 1
Dos beneficii constitui potest in fundo emphyteutico, seu feudali. 27. 2
Dos hæc, si constituatur in fundo feudali, requiritur consensus Domini directi. 27. 2
Dos parochialis noviter erectæ cum dismembratione antiquæ unde constituenda. 159. 1
Dos parochialis Ecclesiæ debet esse tanta, ut ex ea unus presbyter cum altero Clerico ministro commodè sustentari possit. 159. 2

Dubium.

In dubio sumenda conjectura, quæ delictum excludit. 265. 1.
In dubio sumere conjecturam in præjudicium innocentis ab eo, quod verisimilius est, & plerumque fit, non licet. 265. 1.

Ecclesia.

Ecclesia inhabilitare potest sæculares sibi inobedientes ad officia sæcularia. 298. 3
Ecclesia an fiat compatrona Capellæ in ea constructæ, ratione concessi situs. 107
Ecclesia quando res malè alienatas possit repetere. 26. 1
Ecclesia spoliata, etiam facto sui Rectoris, restituitur. 26. 1
Ecclesiarum Conventualium seu Regularium erectio cujus auctoritatem requirat. 43
Ecclesia Collegiata, cui parochialis pleno jure subjecta, non tenetur eam administrare per Vicarium perpetuum; secus, si ea sit subjecta titulo tantùm simplicis unionis. 114
Ecclesiæ ejusdem, in qua habere beneficium patris prohibetur illegitimus, nomine quid veniat. 274
Quid veniat per ministrare in eadem Ecclesia. 270
Ecclesia fruitur jure minorum. 445. 2
Ecclesiæ prodesse possunt acquirendo, non obesse alienando absque superioris auctoritate, illius Rectores & Administratores. 445. 2
Ecclesiæ redituum ac bonorum inventarium facere tenetur parochus, ejusque copiam tradere Ordinario. 446. 1
Ecclesiæ bona immobilia sine auctoritate Apostolica ultra triennium elocare, aut alio modo alienare nequeunt ejusdem Rectores. 446. 3
Ecclesiæ intra parochiæ alicujus limites fundatæ non sunt hoc ipso subditæ parochiæ, aut ab illa ullam dependentiam habent. 447. 1
Ecclesiam exemptam sitam intra fines parochiæ ingrediens parochus, dicitur esse extra territorium proprium, & in loco, in quo nullam habet jurisdictionem, vel jus reverentiale, seu eminentiale. 447. 2
Ecclesia seu Conventus Regularium situs intra limites parochiæ non tantùm exemptus est à jurisdictione Ordinarii, sed & dicitur habere territorium separatum. 447. 2
In Ecclesiis Regularium qualiter nihilominus adhuc adesse dicatur jurisdictio Ordinarii & parochi in concernentibus curam animarum. 447. 2
Ecclesia quænam jus sepeliendi habeat. 452. 2
Ecclesia, in qua est sepultura majorum, acquisivit jus ad sepulturam, ubi quis alibi eam non elegit. 452. 3
Ecclesiæ, cui debentur decimæ, modò baptismales, modò parochiales dicuntur. 471
Ecclesia una contra aliam qualiter præscribat decimas. 472. 3
Ecclesiæ præcisè, ad quam spectant decimæ, restituendæ, & applicari non possunt, etiam cum consensu Episcopi, alteri Ecclesiæ, etiam Regulari, quas laicus injustè obtinet post Concilium Lateranense. 474. 6

Electio, Eligi.

Eligi per se in superiorem regularem potest non Clericus. 310.
Eligi nequit in Prælatum mente captus, etiamsi in una tantùm

sum materia deliret, aut habeat lucida intervalla, aut semel tantùm fuit fatuus ex causa habituali. 232.
Eligi poterit talis, si probetur perfectè sanatus, etiam sine dispensatione, si ante fatuitatem fuit in Ordine. quem Prælatura requirit? si verò ante non fuit in isto Ordine, sine dispensatione Papæ ordinari nequit, & sic indirectè est ineligibilis. 232
Electio amentis perpetuò, vel etiam amentis pro tempore electionis est jure naturæ irrita. 233
Electio amentis habentis lucida intervalla facta pro tempore talis intervalli, vel etiam amentis jam sanati, jure novo Tridentini probabiliter est non tantùm irritanda, sed ipso jure irrita. 233
Elegi non potest in Prælatum, qui frequenter solet inebriari. 234
Eligi non potest in Prælatum dæmoniacus, etsi liberatus, dum antecedenter non fuit in Ordine, quem Prælatura requirit. 235
Electus talis, si fiat contra ejus liberationem oppositio, debet eam probare, & prius non confirmari. 235
Eligi quando possint vel non possint epileptici. 236
Electio epilepticorum & similium infirmorum est de jure reprobanda, non verò ipso jure nulla. 237
Electio carentis debitâ scientiâ, an & quo jure sit ipso jure irrita, vel irritanda. 249
Electio irregularis an sit ipso jure irrita. 249. 2
Electio illegitimi ad beneficia sine dispensatione, an sit ipso jure nulla. 288
Electio aliâque promotio infidelium non baptizatorum jure divino ipso facto est irrita. 289
Electio aliâque promotio hæretici ad officia & beneficia ecclesiastica est ipso jure humano nulla, uti & eorum confirmatio facta ab eo, qui in hoc jure dispensare nequit. 293. 3. & 4.
Electio hæretici purè mentalis & per se occulti ne quidem jure humano est irrita, sed confirmata valet. 294. 2
Electio actu non Clerici est ipso jure nulla. 306
Eligi in Abbatem ut quis possit, an sufficiat habere Ordines minores, vel primam tonsuram. 316
Eligi in Episcopum ut quis possit, an & quis Ordo sacer requiratur. 314
In electione nec de concessione Capituli, nec ex dispensatione Episcopi, suffragium habere potest Canonicus non Subdiaconus. 318
Eligi, ut quis possit in Prælatum vel Superiorem Regularem, requititur professio expressa in eadem Religione. 323.
Eligi in Abbatissam aut Priorissam ut quæ possit, requiruntur ad minimum anni 5. à professione. 324
Eligi in Abbatem quis potest statim à professione. 324
Electi tamen in Prælatum Religionis mox à professione electio non esset jure irrita, sed irritanda, ubi non foret sufficienter instructus in observantiis sui Ordinis. 324
Electio excommunicati excommunicatione majore, etiam tolerati & occulti est ipso jure nulla. 325
Electio talis excommunicati à parte rei injustè à scientibus facta, etsi cassanda, non tamen ipso jure irrita; & facta bonâ fide ab ignorantibus excommunicationem, dum postea detegeretur excommunicati innocentia, non foret cassanda. 325
Eligi ad beneficia qualiter non possit suspensus. 331
Electio suspensi simpliciter ab officio & beneficio est ipso jure irrita, suspensi tantum ab officio est jure tantùm irritanda. 332. 2
Eligi ad officia & beneficia qualiter nequeat interdictus aut interdictum violans. 333
Electio violatoris interdicti est irrita ipso jure. 333. 3
Hoc postremum qualiter limitandum. 334.
Electio irregularis non est ipso jure nulla, irritanda tamen ad instantiam partis. 336
Electio criminosi an irrita ipso jure. 338
Electio infamis infamiâ facti non est ipso jure nulla. 340. 2 & 350. 2
Eligi non debent infames infamiâ facti, electio tamen eorum non est irrita ipso jure, licet sit cassanda. 350. 3
Idem est de infamibus infamiâ juris, si non sunt declarati per sententiam; & si confirmetur talis electus, antequam decernatur infamis, confirmatio valet, licet delinquens postea puniri possit, & juxta qualitatem delicti etiam privari dignitate. 350. 3
Electio infamis infamiâ juris latæ sententiæ ipso jure est nulla, toleratur tamen ab Ecclesia ante declarationem criminis, quâ subsecutâ ruit prorsus electio & confirmatio, omniaque electi acta privata sunt irrita. 350. 3
Electio alicujus facta post sententiam declaratoriam criminis, cui annexa est infamia, ipso jure est prorsus nulla, non tolerata, carens omni effectu. 350. 3

Enuntiativa.

Enuntiativæ antiquæ sæpius repetitæ & continuatæ probant statum beneficii. 35
Enunciativæ tales antiquæ & multæ habent vim famæ & privilegii. 35

Episcopatus.

Episcopatus quo jure constituti. 12. 2
Episcopatus dicitur beneficium, non tamen in Canonibus strictæ interpretationis. 32. 5
Episcopatus citra dispensationem haberi potest à Regulari. 49
Episcopatus quantam scientiam requirat. 247
Ad Episcopatum promoveri possunt legitimati per subsequens matrimonium. 261
Ad Episcopatum non censetur dispensatus, cum quo dispensatum ad quascunque dignitates. 269
Episcopatui an quis Ordo sacer actu sit annexus. 314
Episcopatui an sacerdotii, & intra quod tempus suscipiendi obligatio annectatur.

Episcopus,

Vide *Ordinarius.*

Episcopus per censuras compellere potest subditos, ut Christianam doctrinam discant, & parochos, ut eam doceant. 440
Episcopus potest beneficio vacanti onus aliquod novum imponere. 32
Episcopus statum beneficii quando immutare possit. 37. 4
Episcopi consensus requiritur ad hoc, ut Regulares ædificent Ecclesias & Monasteria. 43
Episcopus potest privare Vicarium perpetuum constitutum à Rectore principali in causa sicut alium quemlibet beneficiatum suo beneficio. 122. 2
Episcopi est assignare, vel potiùs arbitrari de congrua præstanda Vicario à Rectore principali. 124. 2
Episcopus potest compellere monasterium ad illam præstandam. 124. 2
Episcopus dicitur parochus propriè ac directè respectu suæ Cathedralis Ecclesiæ. 143. 2
Episcopus dicitur parochus universalis, & tota diœcesis unica ejus parochia, dum in diœcesi parochiæ distinctæ non sunt, nullúsque parochus proprius in titulum 143. 2
Episcopus pro se obtinere nequit parochiam aliquam in titulum diversum à titulo sui Episcopatûs. 143. 5
Episcopus non potest dici parochus totius diœcesis, ubi parochiæ distinctæ quælibet suum proprium parochum habet. 143. 5
Episcopus tamen potest se ingerere in cura cujuslibet parochiæ, & in ea pro libitu se occupare. 143. 9
Episcopus Ecclesiam parochialem, seu beneficium curatum non potest reducere ad simplicem Ecclesiam, aut etiam unire simplici beneficio; vel etiam ex parte minore fructuum parochialis constituere beneficium simplex. 158. 2
Potest tamen ex causa Ecclesiam simplicem jam constitutam erigere in parochialem. 158. 2
Neque etiam ab Ecclesiis parochialibus beneficia simplicia, seu oratoria iis unita separare potest. 158. 2
Episcopus olim poterat cum consensu Capituli loco alicui pio donare jura & reditus Ecclesiarum parochialium. 164. 2
Nunc autem id ei prohibitum per Tridentinum. 164. 2
Episcopus potest loco sui deputare alium, qui examini pro concursu præsideat. 190
Ad Episcopum vel ejus Vicarium spectat, non solùm ex examinatis eligere magis idoneum, sed & arbitrari, quis sit magis idoneus. 191. 1
Episcopus, ubi non constat, quis ex examinatis sit magis idoneus, se super hoc informare debet ab Examinatoribus. 191. 1
Episcopus ejúsve Vicarius voto suo accedere potest ad Examinatores, habétque vorum decisivum. 195. 1
Episcopi ejúsve Vicarii accessio hæc fieri debet in ipso examine, seu coram Examinatoribus simul congregatis. 195. 2

Episcopus præelectionem ex approbatis facere potest separatim, intra 6. menses tamen datos ad conferendum. 195. 2.

Episcopi solius ejúsve Vicarii est ex judicatis idoneis eligere unum. 156. 1

Episcopus non ex majore numero suffragiorum, sed ex suo judicio, seu eum, qui sibi magis idoneus videtur, debet præeligere. 196. 2

Episcopus ex idoneis nequit præeligere, quem maluerit, sed quem magis idoneum reputabit. 196. 3

Episcopus quid in hac præelectione spectare debeat. 197

Episcopus in promovendis debet præferre morum gravitatem & honestatem nobilitati generis & literaturæ, modò hæc suam mensuram habeat. 197

Episcopus innocentem, & qui talem maculam non habet, præferre debet etiam ei, qui per sententiam tanquam innocens absolutus est; multóque magis ei, qui accusatus inquisitúsque composuit se cum Fisco. 197

Item innocentem in hoc puncto prælationis in concursu præ criminoso pœnitente præeligere debet. 197

Episcopo præeligente minus idoneum ex approbatis præterito magis idoneo, electio hæc, & inde secuta provisio non est ipso jure nulla. 148

Episcopus potest ex ceteris magis idoneum eligere sine novo concursu, dum magis idoneus desistit, & ad parochiam, pro qua concursus institutus non amplius aspirat, si desistat ante factam ab Episcopo electionem de magis idoneo; si verò post eam electionem desistat, opus est novo concursu. 199

Ab Episcopo factâ præelectione, major in præelecto præsumitur idoneitas vi hujus electionis; neque hæc præsumptio cessat per appellationem & sententiam Metropolitani revocantis dictam præelectionem. 201 1 &2

Episcopus vicinior habet concursum, dum parochia nullius est diœcesis. 205. 6

Episcopi non secùs ac alii curatores animarum tenentur ad personaliter residendum. 366. 1

Episcopis indulgetur trimestre absentiæ, modò non absint in Adventu, Nativitate Christi, Quadragesima, Paschate, Pentecoste, Corporis Christi. 371. 2

Episcopi tribus illis mensibus abesse possunt absque approbatione superioris. 371. 2

Episcopi ultra dictum trimestre abfuturi debent Papæ aut Metropolitano exponere causam, ejúsque approbationem obtinere in scripto; quod ipsum limitatur. 373

Episcopus simul Princeps Imperii, abfuturus ratione Comitiorum, non tenetur hanc approbationem petere. 373

Episcopi quatenus dare curatis possint licentiam ex justa causa non residendi ad tempus. 374. 2

Episcopi à Papa habent facultatem (non nisi tamen ex gravi causa) dispensandi cum curatis ad non residendum ad breve tempus. 372

Episcopus, an dispensare possit cum curatis, ut intra annum non fiant sacerdotes, & absint ad quinquennij studiorum gratiâ. 380. 1. & 2

Episcopus ad Curiam vocatus, ut sit Camerarius, Vice-Cancellarius, Pœnitentiarius, Auditor Rotæ, Datarius, à secretis vel confessionibus Papæ, abesse licitè potest à sua Ecclesia, dum non sunt alii æquè idonei. 384. 1

Episcopo ex Papæ, non verò ex Principis sæcularis indulgentia, abesse licet, ut fungatur officio Pro-Regis. Inquisitoris, Confessarii. 386. 1

Episcopus excusatur à residendo, & percipit fructus accersitus ad breve tempus à Papa pro illius aut universalis Ecclesiæ servitio. 386. 1

Secus est, dum Episcopus studiosè ambit tale servitium. 386. 1

Episcopus peccat non puniendo non residentem. 424. 7

Episcopus non potest remittere staturam pœnam non residentibus non curatis quò ad privationem fructuum. 424. 6

Episcopus potest concedere licentiam non curatis abessendi studiorum gratiâ, eámque concedere debet. 408. 2

Episcopus ad quantum tempus hanc licentiam ex hac causa iis concedere possit. 408. 2

Episcopus non potest nisi duos gaudentes privilegio in absentia percipiendi fructus habere in suo vel diœcesis servitio. 405. 4

Episcopus non potest nisi unum gaudentem privilegio in absentia percipiendi distributiones suo nomine mittere ad visitanda limina Apostolorum. 406. 3

Episcopus non potest Canonicis dare licentiam abessendi ultra tempus à Concilio concessum, nisi in causis in jure expressis. 398. 2

Episcopis non residentibus quæ pœna statuta jure novo Tridentini. 389. 1

Episcopus pœnam amissionis fructuum ob non residentiam curatis remittere nequit. 389. 10

Episcopus nequit parochum aliúmve curatum abstrahere à sua Ecclesia, & occupare in suo vel Ecclesiæ Cathedralis servitio ultra bimestre. 386. 4

Episcopus nequit curato dare licentiam ultra bimestre illi aliàs concessum abessendi ob peregrinationem etiam ex voto. 387.

Episcopis non residentibus nullibi jure antiquo statuta privatio Episcopatûs ipso jure incurrenda, sed opus erat sententiâ privatoriâ. 388. 1

Episcopus remittere nequit pœnam privationis beneficii curatis, dum eorum factum absentiæ, & voluntas non residendi est liquidum. 388. 8

Episcopus constituere nequit, ut parochiani non nisi in parochiali audiant missam; nec Regularibus prohibere, ne eam celebrent, aut campanam pulsent ad eam, priusquam ea celebrata in parochiali. 418. 2

Episcopi cogere nequeunt parochianos, ut in festis etiam solennioribus in parochia audiant conciones. 439

Episcopi impedire nequeunt Parochos, quò minùs, si velint ac possint, ipsi concionentur. 442, 3

Episcopus, si scienter ordinavit servum in Diaconum, vel Subdiaconum domino ignorante vel contradicente, debet domino duos servos æquè bonos, vel duplum pretium solvere. 360. 3

Episcopus propriè dispensare nequit in infamia facti, potest tamen arbitrari, num ea talis sit, quæ reddat inhabilem ad beneficia, vel num sufficienter sublata per pœnitentiam. 341

Episcopus dispensare nequit, etiam quo ad primam tonsuram & beneficium simplex, cum bigamis veris & interpretativis. 357

Episcopus dispensare non potest in decreto Concilii generalis, vel juris Canonici, nisi in casibus in jure expressis. 357.

Episcopus dispensare nequit cum bigamo, ut in susceptis Ordinibus minoribus ministret, etiam mortuâ uxore. 357. 1

Episcopus dispensans cum bigamo ad primam tonsuram suspendendus à collatione Ordinum. 357. 1

Id tamen probabiliter poterit, dum gravis est necessitas, & Papa adiri nequit. 357. 1

Episcopus in bigamia quoque similitudinaria consurgente ex delicto dispensare nequit. 357 1

Potest tamen dispensare in hac bigamia, etiam cum Religioso, & quo ad Ordines majores. 357. 2

Dispensare tamen nec in hac bigamia potest cum Clerico sæculari post susceptos Ordines, vel cum Religioso ducente invalidè, & cognoscente viduam. 357. 2

Episcopus qualiter dispensare possit cum excommunicato nulliter electo jam absoluto, ut prælaturam retinere valeat. 328.

Episcopus an dispensare possit cum parocho studiorum gratiâ, ut intra annum fieri non teneatur Sacerdos. 322

Episcopus dispensare nequit, ut privatus beneficio ob non susceptum intra annum sacerdotium illud denuò obtineat. 310. 4

Episcopus dispensare nequit, ut Canonicus, non Subdiaconus habeat suffragium in electione 318

Episcopus schismaticus inhabilis est ad conferenda beneficia. 301

Episcopus ne quidem ad beneficium simplex dispensare potest cum Clerico conjugato. 307. 1

Episcopus proprius ratificare potest Clericatum perperam collatum ab alieno Episcopo sine dimissoriis. 307. 2

Episcopus ne quidem pro una vice dispensare potest, etiam cum consensu patroni, dum fundator requisivit sacerdotium actu. 313

Episcopus quas parochiales & loca visitare possit, vel non possit. 209

Episcopus potest semel approbatos, etiam per concursum, denuò subjicere examini & suspendere. 210. 1. & 2

Id tamen non potest ad effectum omnimodæ reprobationis cum privatione beneficii, nisi ubi justificata talis imperitia, ut etiam cessaret probabilis spes addiscendi, seu reminiscendi necessaria. 210. 2

Neque etiam in actu visitationis procedere posset ad dictum examen, si nulla urgeret suspicio imperitiæ. 210 2

Episcopus dispensare nequit in ætate requisita ad beneficia per se curata. 217. 4. & 228 1

Episcopus esse debet 30. annorum completorum. 210

Episcopus probabiliter dispensare potest in ætate ex gravi causa, ubi ætas non directè & per se, sed solùm ratione annexi Ordinis requiritur. 228. 1
Episcopus, dum ex statuto Ecclesiæ requiritur certa ætas, ut intra annum sacrum Ordinem suscipere queant, dispensare potest cum consensu Capituli. 228. 2
Episcopis ægrotis dantur coadjutores. 228
Episcopus an debeat esse Doctor. 252. 1
Episcopus, quamvis directè dispensare nequeat in defectu scientiæ de jure Canonico requisitæ, potest tamen ex justa causa conferre beneficium ei, qui parum scit, creditur tamen in brevi profuturus. 257. 1
Episcopus dispensare potest cum omni illegitimo ad Ordines minores & beneficia simplicia; secùs est quo ad Ordines majores & beneficia curata, etiamsi essent occultè illegitimi, & urgeret necessitas. 267. 1. & 2
Episcopus cum illegitimo dispensare potest, nisi ad unicum tantùm beneficium simplex. 269
Nomine simplicis beneficii hic non venit dignitas vel personatus sine cura, venit tamen Canonicatus, etiam cathedralis, ubi & aliud beneficium simplex, cui accessoriè annexa cura. 270
Episcopus ad beneficium simplex ex statuto jurato vel confirmato à Papa requirens legitimitatem, non potest dispensare cum illegitimo. 270. 4
Episcopus dispensare nequit, ut filius legitimus immediatè succedat patri in beneficio. 283
Episcopus, dum scienter illegitimo contulit beneficium in Ecclesia, in qua pater ejus ministravit aut habuit beneficium, illumque ordinavit, non debet illum à beneficio removere, & si eum amovit, debet illud ei restituere. 284. 1
Si verò id fecit ignoranter, nec tunc debet illum amovere, donec de alio beneficio ei provideric. 284. 1
Episcopus nequit neophytum per congruum tempus non probatum, etsi excellentium sit qualitatum, & penuria ministrorum, promovere ad Ordines 292
Episcopi tamen est, consideratis neophyti prudentiâ, fide, humilitate, bonâ conversatione &c. arbitrari, num ordinari possit, & statum neophytorum exire. 292
Quo ad Episcopatus tamen hoc arbitrium relinquendum Papæ. 292
Episcopo debentur oblationes factæ imagini positæ extra omnem parochiam: secùs est de factis imagini positæ intra fines parochiæ. 463. 5
Episcopus non potest imagines hujusmodi transferre ad aliam Ecclesiam contradicente parocho. 463. 5
Episcopus an in feudum perpetuum concedere possit decimas laico. 474. 6
Ex Episcopi consensu decimæ, quas laicus sine justo titulo acquisivit post Concilium Lateranense, applicari non possunt aliis Ecclesiis, sed præcisè restituendæ Ecclesiæ, ad quam spectant. 474. 6
Episcopus potest jus decimarum, quas nunquam possedit, post earum recuperationem alteri Ecclesiæ concedere. 478. 2
Non tamen potest decimas, quas aliquando habuit, si revertantur ad mensam Episcopalem, transferre in personam, quæ nunquam moritur. 478. 2
Episcopo quo ad jus decimandi in concursu parochi lex resistit, & illud defert parocho. 480. 4
Episcopo de jure communi competit quarta pars decimarum parochialium; sed hoc ipsum in plerisque diœcesibus abiit in desuetudinem. 480. 5
Episcopus dictam quartam partem, ubi adhuc est in usu, immediatè à laicis exigere nequit, sed ab ipsis parochis. 480. 5
Episcopus eodem jure reali cum parocho concurrit ad illam quartam partem. 480. 5
Ad Episcopum decimæ adhuc hodie integræ & immediatè in quibus casibus pertinere possint. 480. 7
Episcopus nequit sine causa capellæ noviter erectæ deputare certam parochiam cum præjudicio Ecclesiæ baptismalis. 481
Episcopus spectato jure communi ex debito personali non tenetur solvere decimas. 483. 6
Episcopi decimas solvendas non possunt imponere parochis. 483. 6
Episcopus ex debito reali solvere tenetur decimas ex bonis titulo non spirituali acquisitis. 484. 3
Episcopi relaxare non possunt obligationem solvendi decimas; commissum tamen iis in quibusdam casibus tanquam sedis Apostolicæ delegatis de iis disponere. 487. 5

Eucharistia.

Eucharistiam ministrare suis qualiter teneatur parochus. 425. 6
Eucharistiam citra necessitatem sine concessione Papæ, Episcopi vel parochi sacerdos alius non administrat licitè. 435. 5
Eucharistiam qualiter administrare queant regulares. 435. 5. Vide V. *Regulares.*

Examen.

Sine examine per concursum conferri nequit parochialis Doctori Theologiæ vel juris canonici, neque ipsi Vicario generali aut Archidiacono, Pœnitentiario alterivè in dignitate constituto. 207
Neque ei, de cujus idoneitate quo ad omnia constat omnibus; vel etiam qui de sua idoneitate quo ad omnia scriptum habet testimonium Episcopi. 207
Neque ei, qui eam priùs per concursum habitam, & laudabiliter administratam resignavit. 207
Examine Examinatorum synodalium præcisè adhuc fieri debet approbatio in omnibus casibus, in quibus per accidens haberi nequit concursus. 208
Examine tali vel simpliciter ab examine & visitatione Episcopi non liberat exemptio, quâ gaudent monasteria vel collegia habentia sibi unitas parochiales. 209
Examine solùm mediante probatur scientia promovendi ad beneficium. 251. 4
Ad examen illud devenire debet Executor, etiam nullo contradictore petente. 251. 4
Examen illud ab Executore potest alteri subdelegari. 251. 4
Examen hoc fieri potest extra territorium. 251. 4
In examine hoc Examinatores non debent esse nimis scrupulosi, si promovendus ad beneficium aliquod simplex prævio examine jam ad Ordines receptus esset. 251. 4
Examine illo peracto, si Executor pronunciaret provisum non idoneum, vel hac de causa literas non esse exequibiles, gratia evanescit, nec potest revalidari, aut obtineri alia citra subreptionis vitium. 251. 4.

Examinatores.

Examinatores synodales quot esse debeant. 186
Examinatores hi ad minimùm esse debent 6. etsi plures constitui possint, & examen haberi à tribus vel quatuor. 186.
Examinatores hos singulis annis deputari in synodo non requiritur, modò post annum 6. remaneant. 186
Examinatorum horum si moriantur aliqui, ita ut non remaneant 6. ceterorum quoque superstitum munus expirat. 186
In hoc proinde casu non solùm in synodo alii loco mortuorum eligendi, sed & ceteri denuò eligendi, vel alii eorum loco. 186
Examinatores hi, si intra annum à celebrata synodo mortui, vel aliò commigrarint tot, ut non remaneant 6. potest Episcopus per se sine celebratione synodi cum consensu Capituli deputare alios non pauciores quam sex. 187. 1
Examinatores semel in synodo deputati, quamdiu eorum adhuc 6. manent, pergere possunt exercere munus suum, etsi synodus nova intra annos aliquot non celebretur. 187. 1
Examinatores, dum anno elapso à celebrata synodo, deficiente eorum numero senario, substituuntur extra synodum alii, concursus est nullus. 187. 1
Examinatores in necessitate, nempe dum parochia vacaret intra annum à celebrata synodo, deputandi ab Episcopo extra synodum desumi debent ex antiquis, seu qui aliquando fuerunt Examinatores synodales, si superstites sint. 187. 1
Examinatorum illorum sex, si aliqui mortui, aut aliàs absentes sint, tota facultas examinandi spectat ad superstites eo anno durante, etsi tantùm unicus supereresset. 187. 2
Examinatores peracto examine simpliciter referre debent, qui ex examinatis sint idonei; non verò, quis sit magis idoneus. 191. 1
Examinatores tamen possunt privatim, præsertim Episcopo petente, renunciare magis idoneum. 191. 1
Ab Examinatoribus debebit seipsum informare Episcopus quisnam sit magis idoneus, si de eo illi non constet. 191. 1
Examinatores omnes debent facere relationem. 191. 3

Examinatores debent collegialiter in eodem ipso loco & actu mox à peracto examine proferre sua vota scripto, vel voce. 191. 4.
Magis expedit eos proferre sua vota palam quàm secretò. 191. 5.
Debent facere relationem de omnibus repertis idoneis, & non de eo tantùm, qui ipsis videtur magis idoneus. 192. 2
Disquirere debent non tantùm de doctrina, sed & de aliis qualitatibus, puta moribus, prudentia &c. 192. 1
Examinatorum tamen officium est, impensius agere de literatura. 192. 1
Referre debent non tantùm de scientia, sed etiam de moribus, aliisque ad Ecclesiam vacantem gubernandam opportunis. 192. 2
Examinatorum quot vota referre debeat quis, ut approbatus vel reprobatus censeatur. 193
Examinatorum hoc munus omnino gratuitum esse debet; omnéque emolumentum sub quovis prætextu simoniacum reputatur. 194. 1
Ab Examinatoribus commissa hæc turpitudo non nocet concurrentibus aliàs idoneis, & non participibus. 194. 2
Ad Examinatores voto suo accedere potest Episcopus, ejúsve Vicarius; habet quoque votum decisivum, dum Examinatores sunt 4. vel 6. vel singularia. 195. 1
Examinatoribus simul cum Ordinario congregatis debet fieri approbatio, vel reprobatio Examinatorum. 195. 2
Examinatorum relatio, quo minus executionem habeat, nulla devolutio aut appellatio, etiam ad sedem Apostolicam, interposita, impedit aut suspendit. 202. 1
Ab Examinatorum tamen relatione & reprobatione in beneficiis simplicibus relinquitur locus appellationi suspensivæ. 202. 2
Ab Examinatorum reprobatione, etiam in parochialibus jurispatronatûs laici conceditur appellatio suspensiva præsentatis, contrarium tenente Lotterio. 202. 3
Examinatorum secundæ instantiæ vota si sint paria, v.g. duo judicent appellantem esse magis idoneum: duo alii appellatum esse magis idoneum: vel si omnes judicent utrumque æquè idoneum: vel si vota sint singularia, an Judex appellationis accedere possit, quibus magis videbitur. 203. 5.
Ab Examinatorum secundæ instantiæ relatione datur appellatio, etiam suspensiva in effectu. 203. 7
Ab Examinatoribus in Urbe Romana deputatis examinatus debet haberi tanquam examinatus & approbatus per consensum. 206. 2

Excommunicatio, Excommunicatus.

Excommunicatus excommunicatione majore, sive lata ab homine, sive à jure, sive generaliter sive particulariter, sive denunciatus, sive toleratus, etiam occultus, & putatus absolutus est impromovibilis quâcunque viâ ad omnes dignitates & beneficia, ejusque promotio, etiam facta à Papa motu proprio, est ipso jure nulla. 325
Excommunicatus talis tenetur obtentas dignitates, pensiones, beneficia dimittere in conscientia. 325.
Excommunicatio lata, delicto non satis probato, non tantum est injusta, sed etiam invalida. 325
Excommunicatio in foro externo habenda pro valida, dum delictum non est verum, sufficienter tamen probatum. 325.
Excommunicatio talis etsi à parte rei injusta, ritè tamen lata inducit dictam inhabilitatem, ita tamen, ut detectâ innocentiâ excommunicati, electio ejus facta bona fide ab ignorantibus excommunicationem non esset irrita. 325.
Excommunicati hac excommunicatione tempore electionis, postulationis, præsentationis, & dein absoluti confirmatio & institutio est ipso jure nulla, etiam facta ab ignorante excommunicationem. 326
Ex excommunicati parte permutario est nulla, etsi valeat ex parte alterius, cum quo permutat. 326
Excommunicato facta collatio est nulla, etsi is tempore resignationis & acceptationis illius non fuisset excommunicatus. 326
Ab excommunicatione potens absolvere collator, dum excommunicato scienter confert beneficium, censetur eum absolvere, & sic validè promovere. 326
Idem est de Confirmatore potente absolvere ab excommunicatione, dum is sine electione potest conferre Prælaturam. 326
Excommunicatus talis manifestus tenetur omnino non consentire electioni, & Prælaturam non recipere; occultus; si potest sine scandalo & infamia, tenetur resistere; secùs si id nequit sine scandalo, vel gravi infamia; etsi teneatur quamprimùm petere absolutionem & dispensationem. 327.
Dispensatio hæc petenda ab eo, qui non tantùm potest absolvere ab excommunicatione, sed & nullitates antecedentes sanare, & Prælaturam immediatè conferre independenter ab electione, præsentatione, &c. 328
Excommunicatio superveniens electioni, vel collationi non vitiabit illam; nec irritat acceptationem Bullarum, & sumptionem possessionis. 329. 2
Excommunicatus optare potest validè, si optio fiat sine novi tituli acquisitione. 329. 2
Excommunicatus qualiter peccet acceptando & sumendo possessionem, etiam, dum per eam jus novum non acquiritur. 329. 2
Excommunicatio lata post legitimam appellationem non impedit valorem electionis & promotionis ad beneficium: secùs, si post excommunicationem ante electionem appellarum. 329. 3
Excommunicatus excommunicatione minore est impromovibilis ad beneficia non simplicia. 330. 1
Excommunicati talis promotio est irritanda, non irrita ipso jure, 330. 2
Excommunicatus excommunicatione minore non prohibetur administrare Sacramenta. 330. 2
Excommunicatus excommunicatione minore non est impromovibilis ad simplicia beneficia. 330. 3
Excommunicationem minorem ignorantibus tam electo quàm electoribus, electio facta ad beneficia non simplicia, non est irritanda; secùs, si vel eligendus vel electores sciverint excommunicationem. 330. 4
Excommunicato injustè nihil dandum ex fructibus beneficii, quamdiu non constat de injustitia. 382. 2
Excommunicatio est pœna gravissima, & in spiritualibus plus quàm ordinaria, majorque, quàm in temporalibus est plecti capite, adeoque requirit citationem personalem. 389. 8
Excommunicatus vitandus parochus non potest dare alteri sacerdoti licentiam audiendi confessiones suorum. 455. 4
Excommunicatus parochus potest alteri sacerdoti etiam excommunicato validè dare licentiam assistendi matrimoniis suorum parochianorum. 435. 7
Excommunicationem incurrunt Regulares administrantes sæculari extremam unctionem sine licentia Episcopi, vel parochi. 435. 6
Excommunicationem reservatam Papæ ipso facto incurrunt Regulares citra necessitatem & licentiam Papæ, Episcopi, aut parochi administrantes sæcularibus Eucharistiam. 435. 5
Idem est, dum id faciunt de licentia parochi excommunicati. 435. 5
Sub excommunicatione bona Ecclesiæ immobilia alienare, vel etiam ultra triennium elocare sine auctoritate Apostolica prohibentur ejusdem Rectores. 446. 3
Ab excommunicato an, & qualiter admittendæ oblationes. 462. 2.
Excommunicatio non incurritur ob non solutas decimas, nisi hæ petitæ, & qui eas debet, sit monitus. 470. 2
Excommunicationem qualiter incurrant non solventes, solvi impedientes, usurpantes, administrantes decimas. 494. 1. & 2.
Excommunicationem qualiter specialiter propterea incurrant Religiosi. 494. 5

Executio.

Executio alia est juris, alia facti. 388. 6

Exemptio, Exemptus.

Exemptio à decimis solvendis fieri potest, privilegio, præscriptione, consuetudine. 485. 2. 486. 3. & 4
Exempti etiam Religiosi, præciso privilegio deluper speciali vel consuetudine tenentur ad decimas ex bonis antecedenter decimabilibus. 484. 4

Fama.

FAmæ dominium amiserunt delinquentes, etiam occultissimè, quibus pœna infamiæ juris ipso facto incurrenda est statuta, v. g sodomitæ occulti. 319. 2

Famam tamen tales adhuc possident, à qua deturbari sine injuria à privato non possunt. 339. 2
Famam ob delictum ita notorium, ut nullâ tergiversatione celari possit, amisit quis quasi naturaliter, ad libitum tamen per pœnitentiam recuperabiliter. 349.
Famâ irrecuperabiliter privat infamia legalis. 349

Feudum.

In feudum habitas legitimè decimas potest laicus sine consensu Episcopi restituere Ecclesiæ, ad quam spectabant; non verò alteri loco pio. 475 1. & 2
In feudum quoque eas dare potest alteri laico cum consensu Episcopi & Ecclesiæ, à qua acceptæ. 475. 2
In feudum perpetuum à Papa concedi laico possunt decimæ. 474. 5
Non tamen id possunt alii sine Papæ auctoritate, præscindendo à consuetudine. 474. 6
Feudum decimarum dum à Papa concessum laicis in perpetuum, causa decimarum agitari & cognosci potest à Judice laico. 497. 3
Secus est, & requiritur Judex ecclesiasticus, ubi feudum hoc ad tempus solùm, & limitatis personis concessum. 497. 5

Filius.

Filii familias puberes sine consensu patris liberè eligere sibi possunt sepulturam. 452. 2
Filio impuberi quis eligere possit sepulturam. 452. 2
Filius electione sepulturæ non factâ, debet sepeliri adhuc in sepulchro avorum & ascendentium, patre ejus contra voluntatem suam sepulto alibi; aliàs apud patrem, dum is elegit diversum à majoribus sepulchrum. 452. 2
Filius sequitur domicilium parentum, & non aliorum ascendentium. 452. 3
Filius naturalis sepeliri debet apud patrem, nisi hic in dignitate constitutus fuerit. Spurius apud matrem, nisi hæc sit illustris. 452. 3
Ut filius, etiam legitimus, succedat immediatè in beneficio patris, dispensare cum suis nequeunt Regulares, etsi aliàs habeant privilegium dispensandi super defectu natalium. 285.
Filius illegitimus, dum actu sine dispensatione cum patre suo habet beneficium in eadem Ecclesia, debet suum resignare intra tres menses. 284. 2
Filius legitimus, patri ut in eodem beneficio immediatè succedat, dispensare nequit Episcopus. 283
Filio immediatè in eodem beneficio succedere potest pater, etiamsi filius sit illegitimus. 282. 3
Filius legitimus unà cum patre in eadem Ecclesia habere poterit beneficium omnino simile. 282. 4
Filiorum nomine solùm in favorabilibus veniunt nepotes. 283. 2
Filius illegitimus an habere possit beneficium patris sui; aut aliud in Ecclesia, in qua habet aut habuit beneficium pater ejus. 272. & seq.
Filius adoptivus succedit patri Sacerdoti tam ex testamento, quàm ab intestato. 282. 1
In filium sibi adoptare potest Sacerdos, quem vult. 282. 1
Filius legitimus succedere potest patri in eodem beneficio mediatè. 282. 2
Filius institui potest Vicarius perpetuus, dum Rectoriam principalem obtinuit ejus pater. 282. 2
In filium Cajum resignare potest Titius beneficium suum, quod ei fuerat resignatum à patre Caji, idque; etiamsi in eo nunquam ministrasset Titius. 282. 2
Filius immediatè post patrem nequit habere Vicariam, quam habuit ejus pater, aut etiam illius parochialis, in qua immediatè antè pater ejus fuit Rector principalis. 282. 2.
Filius potest immediatè succedere in beneficio patris, postquam illud mutatum, v. g. ex portione factum Canonicatus; uti & postquam illud mortuo patre unitum beneficio filii. 282. 2
Filius statim mortuo patre Canonico nullo mediante habere potest Canonicatum in Ecclesia non habente præbendas distinctas. 282. 2
Filii hæreticorum non sunt infames, nec propriè irregulares. 299
Filii hæreticorum an & qualiter inhabiles ad beneficia. 295
Vide v. *hæreticus.*

Fructus.

Fructus perceptos beneficii non tenetur restituere, qui conscius suæ illiteraturæ ad id necessariæ promotus est, uti nec ejus promotor. 250
Secus est, ubi non est titulus beneficii, sed merum salarium, ut in Cathedris & officiis. 250
Fructus restituere tenetur, qui animo non suscipiendi sacerdotii, etiam dubio (secus est, si animo conditionato) parochiam recepit, vel contulit, sciens providendum non velle fieri sacerdotem. 320. 2
Fructus tamen restituere non tenetur, qui animo suscipiendi sacerdotium recepit parochialem, & dein mutato animo non fit sacerdos. 320. 2
Fructus restituere non tenetur, qui animo non suscipiendi sacerdotium recepit parochialem, & dein mutatâ hac mente, fit sacerdos in fine anni. 320. 2
Fructus restituere saltem ante sententiam non tenetur, qui beneficium non parochiale, cui annexum sacerdotium recipit cum animo illud non suscipiendi, etsi peccet mortaliter. 320. 2
Fructus restituere non tenetur, nec peccat, qui parochialem recipit cum animo suscipiendi sacerdotium, si eam retineat, habens interim animum eam resignandi. 320. 3
Fructibus perceptis beneficii à tempore commissi criminis; uti & ipso beneficio privatus censetur infamis infamiâ juris latæ sententiæ, etiam occultus, etsi diu pòst priùs superveniat sententia declaratoria criminis. 342. 2
Fructus an teneatur restituere parochus præsens, curam tamen totam exercens per alios. 371. 2
Fructus percipiendi in absentia studiorum gratiâ indulta & gratiæ non valent sine consensu Ordinarii. 375. 2
Fructus in absentia ratione Doctionis Theologiæ percipere jus ipsum permittit sine licentia Ordinarii Canonicis, aliisque non curatis. Curati verò ad hoc hodiedum egent indulto papali & licentiâ Ordinarii. 379. 1. & 2
Fructus hodiedum in absentia studiorum gratiâ percipere nequeunt curati sine speciali indulto Papæ, & licentia Ordinarii. 280. 2, & 3
Fructus qualiter restituere teneantur Episcopi ob non residentiam. 389. 1. & seq.
Fructuum amissio quomodo incurratur à curatis ob absentiam. 389. 9
Fructus ob non residentiam restituendi sunt integrè, ita ut nullum locum habeat compositio. 389. 10
In fructibus his restituendis dispensare nequit Episcopus. 389. 10.
Fructus hi à parochis restituendi fabricæ aut pauperibus Ecclesiæ parochialis. 389. 11
Fructus suos non faciunt absentes in vim à Capitulo obtentæ licentiæ. 398. 3
Fructus an in absentia percipere possint Canonici & habentes dignitates in Cathedrali vel Collegiata vi consuetudinis, absque eo, quòd constituant, qui loco suo deserviant. 400
Fructus omnes, si consistant in distributionibus, vel hæ deductæ, si fuerint aliàs ex proventibus Capituli, eas lucrari potest absens pro trimestri illo, ubi sic habet consuetudo. 402
Fructus lucrari pro rata absentiæ num faciat justa causa excusans à residentia. 403
Fructus non lucrifiunt in absentia, nisi ex causis in jure expressis. 403
Fructus non lucratur Canonicus pro anno, quo est in noviciatu. 403
Fructus lucratur utrinsque Canonicatus habens duos ex dispensatione, etsi non resideat nisi in uno. 405
Fructus aliorum beneficiorum lucratur habens parochialem; residendo in ea. 405
Fructus non lucratur dispensatus à residendo, nisi super hoc ipso specialiter dispensatus. 403
Fructus & distributiones lucrantur absentes ob negotium propriæ vel universalis Ecclesiæ, non alienæ. 404. 1
Fructus Canonicatuum, non distributiones, jure antiquo lucrabantur duo Canonici existentes in obsequio Episcopi sui, neque huic juri derogatum per Tridentinum. 405. 1
Fructus in absentia percipit Vicarius Generalis Episcopi. 405. 1.
Fructus beneficiorum suorum percipiunt alii Clerici non Canonici adstricti ad residendum, occupati in servitio Episcopi, urgente necessitate Episcopi dispensantis. 405. 4
Fructus, non distributiones lucrantur duo etiam Collegiatæ Canonici, imò & Clerici non Canonici existentes in obsequio proprii Episcopi. 405. 1. & seq.

Idem est de existentibus in obsequio Cardinalis, dum sunt Canonici ejus tituli. Item de existentibus in obsequio Legati respectu Canonicorum suæ provinciæ; Item de existentibus in obsequio Archiepiscopi respectu Clericorum suæ, non suffraganeorum suorum diœcesis. 405. 5 & seq.
Idem est de existentibus in obsequio Papæ; quod limitatur. 405. 8
Fructus non percipiunt, nec excusantur à residentia existentes in servitio Regum & Principum citra speciale privilegium. 405. 10
Fructus non percipiunt in absentia universaliter loquendo familiares Cardinalium. 405. 5
Fructus non lucrantur, nec à residentia excusantur existentes in aulis & curiis Principum. 405. 10
Fructus tamen non lucrantur, nisi duo tantùm existentes in servitio Episcopi sui. 405. 4
Fructus non percipiunt missi ad visitanda limina Apostolorum ab alio Episcopo, quàm cui subest beneficium, cui correspondent fructus. 406. 3
Fructus absentes ratione studiorum percipere possunt Canonici, aliique non curati. 408. 1
Ut hi fruantur hoc privilegio, ubi, quibus studiis, & qualiter vacare debeant. 408. 1
Fructus an, & qualiter percipere possint Canonici, aliique non curati absentes ratione doctionis. 410
Fructus non lucrantur absentes ratione peregrinationis non curati; nec valet contraria ulla consuetudo. 411
Fructus beneficii adhuc lucrantur absentes plerumque à divinis, dum commorantur in loco beneficii. 413
Fructus, ut anno proximè sequente à morte defuncti percipiant hæredes, valet consuetudo. 414. 4
Fructus nec recipere, nec retinere possunt non residentes, dum ceteri residentes, quibus illi accrevissent, illos iis remittunt, aut donant. 420. 1, & 2
Fructus amissi à non residentibus ad quem spectent. 422
Fructus, quos absens jam suos fecerat, & quibus privandus ob absentiam, non tenetur in conscientia restituere, quamdiu Episcopus dissimulat, & eum non privat. 424. 8
Fructus dum nullos in absentia Canonicarus habet, qui nunquam resedisset pro primo & secundo anno, & sic nullos fructus fecisset suos, quibus privari posset, puniendus pœnâ arbitrariâ. 424. 9
Fructibus, ut privari possint non residentes, opus non est monitione, ut deserviant. 424. 4
Fructus sumuntur dupliciter, naturaliter & civiliter. 469. 2
Fructus ipsi realiter obligati sunt ad decimas. 470. 2
Fructus ac collecti, statim debentur decimæ. 470. 1
Ex fructibus integris solvendæ decimæ prædiales. 470. 3
Fructus indecimati tritici, vini & similium non sunt mittendi in horrea propria, & aliis miscendi sine consensu illorum, quibus debentur decimæ. 472. 4
Fructuum decimalium dominus est ante solutionem decimæ, qui eam debet. 495. 3
In fructibus decimalibus quale jus habeat Ecclesia. 498. Vide *v. decimæ.*

Fundatio, Fundator.

Fundatio aliqua, dum dubitatur, an sit beneficium nec ne, habenda pro beneficio, si reperiatur collatum in titulum beneficii. 15
Fundator constructâ Ecclesiâ negligens eam dotare, ad hoc compelli potest. 23
Fundator, qui priùs ritè dotavit Ecclesiam, deficiente dein dote, liberatur ab onere redotandi, cedendo juri suo. 26. 2.
Fundator potest adjicere conditionem, ut fundus assignatus in dotem tranleat unà cum oneribus, quibus subjectus erat, ad Ecclesiam. 27. 3
Fundator constituere potest leges beneficii, quas maluerit. 28. 2.
Fundatorum ordinationes contrariæ semper præservantur in dispositione juris novi inductiva. 30. 1
Fundatoris lex mandans puerum institui in beneficio est servanda 30. 2, & 214
Fundator patronus probabiliter alterare potest conditiones beneficii à se in limine fundationis appositas. 31
Fundator ubi requisivit residentiam, beneficiatus non gaudet privilegio abessendi ratione studiorum. 408. 1
Fundator laicus fundans parochialem non potest disponere, ut in ea constituatur parochus ad nutum amovibilis. 66. & 177.
Fundator potest excludere Episcopum ab administratione, cura, & visione beneficii à se fundati. 94
Non tamen per hoc eum exclusisse censetur, quod visitationem beneficii commiserit alteri. 94
Fundator ordinate non potest, ut Ordinarius non ingerat se in provisione beneficii, sed ea spectet ad solos laicos. 92
Fundator ordinare potest, ut Capellania erecta in beneficium detur puero ante primam tonsuram titulo sæculari. 97. 2.
Fundans, ædificans & dotans parochialem, non hoc ipsò acquirit curam aut reditus talis Ecclesiæ, etiamsi sit ecclesiasticus, v. g. monasterium. 167. 1
Fundatoris dispositio in dubio regulatur cum dispositione legis. 214
Fundator invalidè disponit, ut Capellania erecta in beneficium conferatur puero ante primam tonsuram in titulum beneficialem, seu titulo beneficiali. 303.

Fundus.

Fundus, in quo constituitur dos beneficii, debet esse liber ab omni tributo. 27. 1
Fundus contribuabilis evadit penitus liber, si assignetur in dotem beneficii, aut simpliciter donetur Ecclesiæ 27. 3
Nisi fundator vel donans adjecerit conditionem, ut onera ista quoque transeant ad Ecclesiam. 27. 3

Funus, Funeralia.

Funerales portiones non veniunt nomine distributionum; æquiparantur tamen iis, ac gaudent eodem jure ac privilegio. 417
In funerum associatione non præcedit parochus Canonicos Cathedrales, nec Collegiatarum; sed tunc tantùm, quando ab eo fit officium in Ecclesia sua. 448. 1, & 2
Circa funera, quod sit jus parochi. 451
Funeribus interveniendi jus de jure communi habet parochus. 453. 1
Funeribus etiam invitus intervenire debet, & parochiani etiam inviti eum vocare tenentur. 453. 1.
vide v. *Regulares.*
Sine parocho funus regulares peragere nequeunt extra suas Ecclesias. 453. 1
Funus regulares, etiam in propriis Ecclesiis peragere & sepelire nequeunt sine interventu & consensu parochi, etiam dum cadaver clam sine illorum interventu ad eorum Ecclesias delatum fuisset. 453
Funus ad sepulturam defunctorum intra sua clausura casu ibi degentium sæcularium sine parochi peragere nequeunt Regulares. 453. 1
Funus suorum extra clausura defunctorum, parocho inconsulto, ad suas Ecclesias deferre possunt Regulares. 453. 1
Funus suorum intra septa sua defunctorum per plateas parochiæ deducere sine parocho nequeunt Regulares. 453. 1
Funus levare domo irrequisito parocho non licet Regularibus, neque aliis presbyteris sæcularibus. 453. 2
Funus accipere aliàque peragere, cum cruce processionaliter ingrediendo parochiam, non possunt Regulares, etiam dum apud illos sepulturam elegit defunctus. 453. 2
Funus tamen levare de domo defuncti, & recto tramite deducere ad suas Ecclesias possunt Regulares invito parocho, ubi is requisitus venire noluit. 453. 2
Funus defuncti in Hospitali, eligentis sepeliri alibi, dum deportandum, ingerere se nequeunt extra sua sepra, sed subintrat proprius parochus defuncti. 453. 3
Ad funus associandum vocati Regulares, quò & unde debeant accedere. 453. 3
Funus, per quam viam deducendum, & quinam convocandi, declarare, ad quem spectet. 403. 3
Super funus jam delatum in Ecclesiam officium facere, ad quem spectet. 453. 7
Funeralis quarta portio canonica quæ sit. vide *v. portio.*

Gradus.

Gradus Doctoralis non est propriè dignitas. 264. 2
Gradus Doctoralis non probat scientiam promovendi ad beneficium, sed solùm præsumptionem aliquâ illius facit. 251. 3
Gradus Doctoralis olim ad nullum beneficium requirebatur. 252
Gradus Doctoralis vel Licentiæ in Theologia aut jure Canonico, ad quæ hodiedum beneficia requiratur. 252.
Gradum Doctoralem an requirat Scholasteria. 252. 2
Gradum Doctoratûs an requirat Episcopatus. 252. 1

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gradum Doctoratûs an requirat Archidiaconatus. 252. 3
Gradum Doctoratûs an requirat Archipresbyteratus. 252. 4
Gradus Magisterii, Doctoratûs vel Licentiatûs sine scientia, si fuit extortus per fraudem, non sufficit. 252. 5
Gradus talis exigitur ad decorem Ecclesiæ. 252. 5
Gradus reipsa collatus, nisi concurrat in promovendo ad dignitates eum requirentes, non sufficit quæcunque etiam scientia in Theologia, vel jure canonico. 252. 5
Gradus hic requisitus ad dignitatem, necesse est, ut sit obtentus in Universitate aliqua publica studii universalis. 253.
Gradus obtentus sine competente scientia sufficit, ut adeptio beneficii, vel dignitatis eum requirentis sit valida. 254. 1.
Graduatum non esse, & esse graduatum nulliter, sunt idem. 254. 2.
Gradus susceptus contra statuta Universitatis, si sit ipso jure nullus, nulla est promotio ad beneficium illum requirens, vel ipsofacto, vel irritanda, prout statutum voluit, promotionem sine gradu esse nullam ipso facto, vel solùm irritandam. 254. 2
Gradus narratus justificari debet, ad quod sufficit, ut probetur obtentus in universitate publica. 255. 1
Gradum sufficientem conferre censenda est quælibet Universitas. 255. 1
Gradus narratus pro obtinendo faciliùs beneficio, pro quo non est necessarius, justificari debet. 255. 2
Gradus Magisterii in artibus ex statuto quarundam Collegiatarum requiritur ad earundem præbendas. 256.
Gradus Magisterii in artibus, aut alius quàm in Theologia vel jure Canonico non habetur in consideratione respectu potissimùm dignitatum. 256.

Gratia.

Gratia Principis juri communi non derogat. 54. 2
Gratia est obreptitia, dum in impetratione parochialis habitu talis, quàm probabile est recuperaturam actum per reversionem parochianorum, facta non est mentio curæ. 175. 3.
Gratia non est obreptitia, dum in impetratione parochialis habitu tantùm talis narratum, esse sine cura; quin & si dictum, esse simplex beneficium. 175. 2
Gratia evanescit, nec revalidari potest, aut obtineri alia citra virium subreptionis, ubi Executor peracto examine provisum pronunciat inidoneum, & literas ideo non exequibiles. 251. 4

Hæresis, Hæreticus.

Hæresis abjuratio solennis est pœna. 300
Hæresis tamen abjuratio facta à sponte comparente non est pœna. 300
Hæretici sunt infames. 293. 1
Hæretici sunt impromovibiles ad beneficia, officia, & Prælaturas Ecclesiasticas indirectè; quia excommunicati. 293. 1.
Item directè, & per se præscindendo ab omni censura. 293. 2.
Hæretici promotio ipso facto jure canonico est nulla; non tamen jure divino, sed solùm irritanda. 293. 2. & seq.
Hæreticus, ex quo characterem baptismalem habet, capax est spiritualis potestatis, tam Ordinis, quàm jurisdictionis, validèque hæreticus sacerdos in casu extremæ necessitatis absolvit. 293. 4
Hæreticus publicus, etiam post reconciliationem cum Ecclesia, manet inhabilis ad beneficia. 294. 1
Hæreticus occultus per se irregularis est, & inhabilis ad beneficia & officia Ecclesiastica. 294. 1
Hæreticus ab illa irregularitate & inhabilitate non liberatur vi præcisè absolutionis. 294. 1
Hæretici purè mentalis per se occulti electio ne quidem jure Canonico est irrita. 294. 2
Hæreticus occultus, dum hæresis prodit extra mentem, etiam antecedenter electus & confirmatus, jure antiquo privatus erat omni jurisdictione; non modò. 294. 2
In hæretico tali occulto per accidens toleratur potestas jurisdictionis, ac proinde validè absolvit, non secùs ac excommunicatus, non denunciatus. 294. 2
De hæretico, quæ dicta sunt quo ad irregularitatem, impromovibilitatem &c extenduntur quoque ad credentes, receptatores & fautores hæreticorum, horum & illorum filios, nepotes. 295
Hæreticorum credentes dicuntur, qui in confuso eorum errores credunt, quatenus credunt, eos esse viros bonos, ac habere bonam fidem. 296. 1
Hæreticorum fautores & receptatores ad distinctionem credentium dicuntur ii, qui favent hæreticis, quà talibus, seu quà talem doctrinam profitentibus, eique ad illam propagandam præstant auxilium ex aliquo interesse suo & fine extrinseco absque illa credulitate. 296. 2
Non verò iis nominibus veniunt, nec eorum pœnis subduntur, qui hæreticis ex titulo amicitiæ, aliâve justa de causa succurrunt. 296. 2
Hæreticorum filii non subduntur statutis pœnis, istámque inhabilitatem incurrunt, si eorum parentes resipuerint Ecclesiæ reconciliati. 297. 1
Si tamen parentes denuo relapsi, etsi egerint pœnitentiam, eorum filii manent inelegibiles ad officia publica. 297. 1
Filiorum dictorum inhabilitas extenditur ad secundam generationem solùm in viris, non in fœminis. 297. 2
Extenditur quoque non nisi ad filios & nepotes parentum, quorum hæresis vel fautoria hæreticorum est notoria notoreitate facti vel juris, vel per propriam confessionem factam in judicio, vel per sententiam Judicis. 297. 3
Quia nec ad filios parentum, quorum hæresis quidem notoria notoreitate facti; sed, quia inter hæreticos conversati & decesserunt, non incurrerunt infamiam. 297. 3
Nec ad filios suspectorum tantùm de hæresi. 297 4
Nec ad filios damnatorum ut hæreticorum ob solam contumaciam. 297. 6
Nec ad filios, qui parentes denunciarunt Inquisitoribus. 297. 5.
Neque inhabilitas illa respicit beneficia filii obtenta, antequam pater incideret in hæresin, aut hæc fieret notoria. 297. 7.
Neque respicit filios concepros vel natos ante hæresin patris. 297. 8
Hæretici eorum, eorumque fautorum filii sunt quoque inhabiles ad pensiones Ecclesiasticas. 298. 1
Beneficium habitum ante paternam hæresin dein post illam permutare nequeunt. 298. 2
Hæreticorum filii sunt etiam inhabiles ad officia civilia spectantia ad sæculares. 298. 3
Item ad eligendum. 298. 4
Hæreticorum filii non sunt infames, nec propriè irregulares. 299
Hæretici ex debito personali de jure communi obligantur ad solvendas decimas. 483. 7

Horæ Canonicæ.

Horas recitandi obligatio annexa est omnibus beneficiis. 239.
Horas recitare tenentur Vicarii perpetui. 137. 1
Horas recitandi obligationem non inducit Vicaria temporalis. 111. 2. & 137. 2
Hanc tamen inducit in certis casibus. 137. 3.

Hospitale.

Hospitale situm intra limites parochiæ non solùm exceptum à jurisdictione parochi, habens loco parochi illum, qui ibidem ad administranda Sacramenta infirmis & sanis addictis ejus servitio, & degentibus intra septa illius deputatus, sed dicitur habere territorium separatum, & habere quandam speciem parochiæ; habet tamen jus parochiale improprium. 447. 2
Hospitalis Rectoris jus illud quasi parochiale extendit se tantùm ad ea, quæ infirmis vel morientibus in hospitali congrua sunt. 447. 2
In Hospitalis ejusmodi aut Conventuum Regularium Ecclesiis, qualiter nihilominus adhuc adesse dicatur jurisdictio Ordinarii & parochi in concernentibus curam animarum. 447. 2
In Hospitali decedentes sine electione sepulturæ sepeliri possunt in ejus cæmiterio vel Ecclesia. 452. 6
Hospitale commune leprosis cum aliis infirmis non est exemptum à solvendis decimis ex novalibus & hortis suis: secus est de leprosorio purè tali. 488. 1

Ignorantia.

Ignorantia excusat à culpa, non tamen validat actum. 316.

Illegitimus.

Illegitimi quò minùs sint filii, non impedit justa ignorantia impedimenti dirimentis, dum matrimonium celebratum clandestinè, etiam ubi Tridentinum non obligat. 258.

Illegitimi sunt nati ex altero conjugum post matrimonium ratum tantùm professo. 258

Illegitimi qualiter dicendi, qui nati sunt ex propria uxore, viro jam facto Sacerdote, etiam post ratum tantùm matrimonium: vel etiam altero conjugum post consummatum matrimonium professo. 259

Illegimiti per subsequens matrimonium legitimantur, si tempore fornicariæ copulæ, ex qua nati, non adfuit impedimentum dirimens. 260. 1

Idque, etiamsi matrimonium subsequens fuerit clandestinum, modò postmodum ab Ecclesia approbatum, vel denuo in facie Ecclesiæ contractum. 260. 1

Item, etiamsi clandestinè contrahentes habuissent impedimentum dirimens justè ignoratum. 260. 1

Illegitimi non legitimantur per subsequens matrimonium, si tempore fornicariæ copulæ habuerunt impedimentum, etiam justè pro tunc & sequente matrimonio ignoratum, etsi tempore nativitatis filii eo caruerint. 260. 2

Illegitimi sæculares, etiam nati ex simplice fornicatione, etiam occulti, promoveri nequeunt ad ulla beneficia. 262.

Illegitimus talis occultus, nisi gravis urgeret causa, neque ad Ordines etiam minores promoveri potest.

Illegitimi Regulares promoveri nequeunt ad dignitates & Prælaturas, etiam intra Religionem habentes cum honore & dignitate jurisdictionem ordinariam. Secùs est de habentibus potestatem & superioritatem tantùm delegatam. 263

Illegitimus Regularis nequit esse parochus parochialis Regularis. 263

Illegitimus nequit esse diffinitor, nec visitator & commissarius missus à Genera i vel Provinciali, nec Vicarius Provincialis, saltem eo absente à provincia. 263

Illegitimus non potest esse Vicarius Capituli sede vacante. 263.

Illegitimus nequit esse Confessarius monialium, ubi habet simul jurisdictionem externam, & est verè Ordinarius, & Superior localis illarum. 263

Illegitimus nequit esse Vicarius generalis Episcopi. 263

Illegitimæ nequeunt esse Abbatissæ, Priorissæ; & cum illis ad hoc dispensare nequit Episcopus. 263

Illegitimi Regulares, ut obtineant dicta munia, cum illis dispensare nequeunt illorum Superiores Regulares. 263

Illegitimi Regulares sine dispensatione promoveri possunt ad Ordines sacros. 264. 1

Illegitimi validè professi, & dein in perpetuum ejecti ex Ordine sine dispensatione ministrare possunt in susceptis Ordinibus. 264. 1

Illegitimi Regulares de jure communi promoveri possunt ad officia Vicarii localium superiorum, Magistri Novitiorum, Lectorus, Magistri in Theologia, & ad gradum doctoralem. 264. 2

Illegitimi dubiè sunt communiter secretò exposiri. 265. 1

Illegitimi dubii ex eo, quòd nesciatur eorum pater & mater, non sunt inhabiles ad prædicta officia, beneficia, Prælaturas. 265. 1

Idem est de eo, de cujus legitimitate dubitatur ex eò, quòd mulier asserat, non esse suum, dum is aliàs ab ea habitus secundùm famam publicam, ut verus & naturalis filius, & ipse habuit eam ut veram matrem. 265. 1

Item de eo, cujus mater ejúsque verum conjugium certum est, etsi constet de adulterio matris, eáque peperit extra domum matiti, modò tempore conceptionis cohabitaverit marito apto ad generandum. 265. 2

Illegitimum se esse non tenetur credere filius, etsi mater in mortis articulo juret, se eum suscepisse ex adulterio. 265. 2

Idque, etiamsi maritus insuper testetur, se tempore conceptionis abstinuisse ab uxore, nisi id probet, & simul probet, matrem extra tempus illud non potuisse ex se concipere. 265. 2

Ut illegitimum in conscientia habere se tenetur filius, si patris ac matris testimonium talibus fulcirentur circumstantiis & adminiculis ipsi filio notis, etsi ea coram Judice probari nequirent, quæ cogerent illum ad credendum, se se esse illegitimum. 265. 2

Illegitimi dubiè ex eo, quòd etsi eorum pater & mater certi sint, incertum tamen sit, an sint vel tempore conceptionis filii fuerint verè conjuges, non sunt inhabiles ad beneficia &c. 265. 3

Pro illegitimo ut quis habeatur, non sufficit matrimonium parentum fuisse nullum, sed insuper constare debet de mala fide contrahentium. 265. 3

Illegitimum se quis credens ex levitate, ubi non tenebatur, potest speculativè sentire se esse talem, & practicè non credere se esse talem. 266

Illegitimum tamen se non gerendo peccabit talis quo ad ea, quæ agere & suscipere prohibetur, si præcisè tantùm credat, etsi ex levitate, se esse illegitimum. 266

Cum illegitimis sæcularibus, natis etiam ex adulterio, incestu, sacrilegio, quo ad Ordines minores dispensare potest Episcopus; item ad beneficia simplicia. 267. 1

Quo ad natos ex adulterio, incestu, sacrilegio, præbere se debet difficiliórem. 267. 1

Et cum filio proprio spurio, magis decet, ut dispenser non per se, sed per alium. 267. 1

Cum illegitimis dispensare nequit Episcopus quo ad Ordines sacros, & beneficia curata. 267. 2

Idque ne quidem cum occultè illegitimis, aut etiam in casu necessitatis. 267. 2

Neque, dum tales bonâ fide ordinati sunt, dispensare potest Episcopus, ut Ordinem susceptum exercere valeant. 267. 2

Cum illegitimis ad Ordines minores & beneficia simplicia dispensare quoque possunt Prælati habentes similem Episcopali jurisdictionem in suos. 268

Cum illegitimo nisi ad unum tantùm simplex beneficium dispensare potest Episcopus. 269

Nomine simplicis beneficii hic quid veniat. 270

Ex illegirimitate orta inhabilitas nulla vitæ sanctitatè sine dispensatione tolli potest. 271

Cum illegitimis Religiosis ad prælaturas, tam in, quàm extra Ordinè dispensare jure communi potest solus Papa. 271. 1

Cum illis tamen ad hoc ex privilegio ad dignitates, Prælaturas, administrationes, officia sui Ordinis, uti & beneficia regularia; quæ à Religiosis administrantur suo gubernio Prælatorũ, dispensare possunt eorum superiores. 271. 2

Cum illegitimis monialibus, ut fieri possint Abbatissæ, dispensare ex privilegio possunt plures Religiones, quibus eæ subjectæ. 271. 2

Illegitimus filius Sacerdotis alteriúsve Clerici obtinere nequit beneficium, aut ullo modo ministrare in Ecclesia, in quà ejus pater habet, aut habuit beneficiũ, aut ex officio ministravit, uti nec pensionem super fructibus beneficii paterni. 272

Illegitimorum nomine ad hunc effectum veniunt nati ex fornicatione, etiam, antequam eorum pater esset Clericus, vel postquàm renunciasset Clericatui & beneficio; vel etiam legitimitati per rescriptum papale, nisi se illud specialiter ad habendum beneficium patris, aut in Ecclesia patris extendat. 273. 1

Non tamen veniunt descendentes ex patre illegitimo, quò minùs hi obtinere possint beneficia avi. 273. 2

Neque etiam comprehenduntur nepores in linea collaterali, quò minùs beneficium patrui vel avunculi habere possint. 273. 3

Illegitimorum filiorum beneficia habere possunt patres eorum. 273. 4

Illegitimus dicitur argumentum paternæ incontinentiæ ambulans super terram. 273. 4

Illegitimus habere nequit beneficium in Ecclesia, in qua pater ejus habuit stallum vel sedem in choro. 275.

Illegitimus tamen habere potest beneficium in Ecclesia, in quà pater ejus inservivit tanquam Capellanus amovibilis. 275. 2

Illegitimus an obtinere possit beneficium accessoriè unitum beneficio patris. 275. 2

Illegirimus habere nequit beneficium patris sui, etsi is in eo nunquam ministrarit; vel etiam possederit minus pacificè, vel etiam sine titulo in commendam & administrationem tantùm. 275. 3

Illegitimus habere non potest pensionem fundatam super beneficio patris sui; potest tamen habere pensionem, quam habuit pater ejus. 277

Illegitimus prohibetur esse Religiosus Ordinis ejusdem, in quo ejus pater professus. 278

Illegitimus dispensatus ad hoc, ut esse possit Religiosus Ordinis, in quo fuit pater ejus, sine alia dispensatione potest esse Provincialis; non tamen Prior in hoc Conventu, in quo pater ejus fuit Prior. 278

Illegitimi Pater habere potest in Ecclesia beneficium, in qua filius ejus illegitimus habuit beneficium; non tamen idem beneficium, quod habuit filius. 279

Ille-

Illegitimi pater habere non potest beneficium in Ecclesia, in qua filius ejus illegitimus actu habet beneficium. 280
Illegitimi jure antiquo habere poterant beneficium in Ecclesia, in qua patres eorum fuerant beneficiati. 282. 5
Illegitimus institutus ab Episcopo in beneficio paterno, vel in Ecclesia, in qua pater ejus ministravit, non debet amoveri à beneficio. 284. 1
Illegitimus tamen, præscindendo ab Episcopi institutione, promotus ad tale beneficium sine dispensatione, ubi id notorium est, debet & potest, etiam sine processu judiciario, amoveri. 284. 2
Illegitimus, dum deprehenditur actu cum patre habere beneficium in eadem Ecclesia, nisi resignet filius suum, aut cum alio permutet intra tres menses, eo privatus est ipso jure. 284. 2
Illegitimi electio & promotio ad beneficia sine dispensatione, an sit ipso jure nulla. 288
Illegitimus promotus sine dispensatione, an teneatur dimittere beneficium. 288. 2

Illiteratus.

Illiterati æquiparantur cæcis. 241
Illiterati alii simpliciter, alii penitus illiterati. 241
Illiteratus ordinatur validè, recipitque potestatem & jurisdictionem, quantùm est de jure naturæ ac divino. 249. 1
Illiterati promotio vi juris naturæ & divini est irritanda. 249. 1
Illiteratus, sicut peccavit mortaliter recipiendo officium, sic sub mortali tenetur illud dimittere, vel saltem abstinere ab illius exercitio. 249. 1
Illiteratura seu inscitia qualiter probetur. 251. 1
Illiteratus conscius suæ inscitiæ promotus ad beneficia, non tenetur restituere fructus perceptos, uti nec promotores illius. 250
Secùs tamen est, ubi non est titulus beneficii, sed merum salarium, ut in cathedris aliisque officiis. 250
Illiteratura non probatur concludenter per testes. 251. 1

Impetrans.

Impetrans, ut sibi provideatur de personatu, non potest provideri de dignitate. 32. 3
Impetrans à Papa beneficium regulare, dum non expressit se esse sæcularem, & beneficium regulare, impetratio est nulla. 37. 1
Impetrans beneficium, positivè & explicitè hodiedum debet exprimere qualitatem clericatus. 309

Incompatibilitas.

Incompatibilitatem habent duæ capellaniæ fundatæ super eodem altari sub iisdem oneribus. 99. 1
Incompatibilitatem non habent, si fundatæ in eadem Ecclesia vel capella super diversis altaribus, vel super eodem altari ad diversos tamen fines, & sub diversis oneribus. 99. 2
Incompatibilitatem non habet capellania cum alio diversi nominis & instituti beneficio in eadem Ecclesia. 99. 3
Incompatibilitatem habent duo beneficia differmia in Ecclesia eadem, quorum utrumq; est residentiale ex natura sua seu præcisè. 99. 3
Incompatibilitatem non habent differmia ejusdem Ecclesiæ, quorum unum est residentiale verè & præcisè, alterum non residentiale, vel est solùm residentiale causativè. 99. 3
Incompatibilitatem habet beneficium requirens residentiam cum quocunque alio requirente pariter residentiam in diverso. 99. 4

Infamia, Infamis.

Infames hoc ipso censentur parentes, quod prolem exponant. 265. 1
Infames non sunt hæreticorum filii. 299
Infames infamiâ juris sunt incapaces beneficii acquirendi; prius tamen habito ad summum sunt privandi. 338.
Infamia quid sit. 339. 1
Infamis non est, cujus fama læsa tantùm apud maledicos, pueros, mulieres, vel leves personas. 339. 1
Infamia facti quid sit. 339. 1
Infamia juris quid sit. 339. 2
Ad infamiam in majoribus criminibus major numerus personarum requiritur, quàm in minoribus: Item ad infamandum personas publicas quàm privatas. 339. 1
Infamiâ notantur, quos lex infamat, eo ipso, quòd aliquid commiserunt. 339. 2
Infamia facti directè ac primò privat possessione naturali famæ. infamia juris dominio. infamia facti & juris simul dominio & possessione naturali ac civili. 339. 2
Infamis infamiâ facti est inhabilis ad omnes dignitates, & beneficia, & officia Ecclesiastica. 340. 1
Infamis infamiâ facti promotio est ipso jure nulla. 340. 2
Infames infamiâ facti peccant ingerendo se officiis puritatem vitæ requirentibus, uti & promoventes illos. 340. 2
Infamia facti non parit irregularitatem. 340, 2. & 343
Infamia facti propriè est indispensabilis. 341
Infamia facti absterså per pœnitentiam non impedit amplius promoveri ad dignitates & beneficia. 341
Infamia facti, num talis sit, ut impediat, vel etiam num sufficienter sublata per pœnitentiam, arbitrari possunt Episcopi, & Prælati regulares respectu suorum. 341
Infamiæ juris pœna incurritur quandoque ante sententiam declaratoriam delicti; vel etiam, antequam illud sit notorium, vel etiam publicum. 342
Infamis infamiâ juris latæ sententiæ & ipso jure incursa, dum occultus est, non tenetur, in conscientia abstinere ab actibus legitimis, ad quos illum ea infamia inhabilitat, nec prohibetur se extrinsecus in hoc habere ut non infamem. 342. 1
Superveniens nihilominus tali dein sententia declaratoria criminis, retrotrahenda est ad tempus commissi criminis, ita ut ab eo tempore ipso jure nullæ sint & fuerint promotiones illius ad beneficia, & actus ab eo gesti, excepris, quos gessit ratione publici officii & jurisdictionis. 342. 2
Infamis infamiâ juris & irregularis propriè nemo est ex delicto, etiam enormi & publico, nisi sit ex iis, pro quibus in specie lata est à jure irregularitas. 343
Infamia juris & irregularitas propriè talis (nempe quæ tolli non potest per pœnitentiam, & eget dispensatione) non incurritur ex crimine enormi & digno depositione notorio tantùm per evidentiam facti, dum de cetero statuta non est hæc pœna in specie à jure. 344
Infamia consequens crimen notorium extra judicium temporalis est, infertque impedimentum temporale tollibile per pœnitentiam. 334
Infamia juris & irregularitas propriè talis inducitur ex delicto notorio notoreitate juris, quando quis propterea per Judicem Ordinarium damnatur pœnâ ordinariâ per sententiam definitivam transeuntem in judicatum. 345. 1
Infamia tamen hæc aut irregularitas non inducitur, dum delictum commissum sine dolo, etiam ex ignorantia crassa. Item, si damnatus est non sententiâ Judicis, sed arbitri. Item sententia solùm data in contumaciam, vel dum sententia non transiit in judicatum, eò quòd interposita appellatio. Item si pœna fuit mitior vel severior ordinariâ. 345. 2
Infamia hæc non probatur ex eo, quod quis fuerit ductus ad furcas. 345. 2
Infamia juris sequentesque illam effectus non inducuntur per delictum, cui in specie à jure statuta non est infamia, dum illud tantùm notorium est per solam confessionem rei in judicio coram Judice legitimo. 346
Infamia hæc juris ob quas pœnas, ad quas quis damnatus est, per sententiam Judicis ob delictum, incurratur. 347.
Infamiam facti ne quidem incurrit quis præcisè per hoc, quod sit in judicio accusatus, non sententiatus. 350. 1

Infans, Infantia.

Infantia absolvitur septennio. 212. 1
Infans instituendus in beneficio, dum ita voluit fundator. 30. 2. & 214. & 303.

Infidelis.

Infideles non baptizati jure divino impromovibiles sunt ad officia Ecclesiastica. 289
Infideles conversi ne quidem jure humano sunt impromovibiles. 290
Ex infidelibus, puta, Judæis, Saracenis, idololatris descendentes non sunt impromovibiles ad beneficia Ecclesiastica. 291.
Jure tamen speciali aliquarum Ecclesiarum vel Ordinum tales eriam in plures generationes repelluntur ab Ordinibus, beneficiis, Prælaturis. 291

Ab infideli an, & qualiter admittendæ oblationes. 462. 2

Infirmitas.

Infirmitas seu defectus corporis is reddit impromovibilem ad beneficia vel officia Ecclesiastica, per quem quis est inhabilis vel absolutè vel decenter exercere officium, aut ea, quæ sunt beneficii, officii &c. 229
Infirmitas, dum moraliter certò non constat infirmo esse talem, quæ eum ab exequendis partibus Prælaturæ impediat, non obstat, quò minùs validè & licitè Prælaturam acceptare possit. 237
Infirmitate superveniente, & Prælatum reddente inhabilem ad gubernandum, is non tenetur renunciare. 238
Proceditque idipsum, etiamsi Prælatus regularis, præsertim generalis, ex culpa propria in infirmitatem inciderit. 238
Infirmis Episcopis & parochis dantur coadjutores. 238
Infirmitas non levis, dum sanus solebat residere, excusat à residendo, etiam, dum propriâ culpâ contracta. 383. 1
De infirmitate spirituali idem est, modò propriâ culpâ in eam non inciderit quis. 383. 2.

Institutio.

Institutio auctorizabilis cadit in ipsam curam animarum. 68. 3
Institutio auctorizabilis est ab Episcopo tantùm, etiam in beneficio pleno jure subjecto monasterio. 68. 3
Institutio auctorizabilis in tali beneficio jure pleno incorporato monasterio est implicita provisioni factæ à Prælato talis monasterii, & is verè vice Episcopi instituit curatum hac institutione auctorizabili. 68. 3
Institutio verò collativa tituli in hoc casu est penes talem Prælatum, & is hac institutione instituit nomine proprio Vicarium. 68. 3
Institutio in parochiali examinati per Examinatores non synodales ad præsentationem patroni laici non valet, etsi valeat ipsa præsentatio, & non creetur per hoc præjudicium patrono. 187. 1

Interdictus, Interdictum.

Interdictus est prohibitus exercere officia divina. quo nomine veniunt ministeria propria cuique Ordini sacro vel etiam minori, recitatio horarum, quatenus est actus muneris clericalis, & officii Ecclesiastici. 333. 1
Interdictus personaliter, etiam interdicto generali & a jure, & occultus, est impromovibilis, etiâ ad beneficia habentia solùm annexum ordinem minorem, aut primam tonsuram. 333. 2
Idem est de interdictum violante, sive personale sive locale. 333. 2
Et incurritur dicta inhabilitas independenter ab irregularitate; estque promotio talis violatoris ipso jure nulla. 333. 3.
Interdicti tempore potest parochus, etiam sanis, administrare sacramentum pœnitentiæ. 434. 6

Irregularis, Irregularitas.

Irregularis nemo est, nisi de quo id jus exprimit. 265. 1
Irregularitatem inducit bigamia non ex culpa, sed aliunde. 351. 1
Irregularitas inducta per bigamiam non remittitur per Baptismum. 352. 1
Irregularitas per bigamiam non inducitur in conscientia, sine perfectione copulæ: secùs est de foro externo. 352. 1
Irregularitas non contrahitur per hoc, quod quis plures in, vel ante matrimonium cognoverit concubinas. 352. 1
Irregularitas contracta per bigamiam non tollitur per religiosam professionem. 357. 2
Irregulares sunt servi. 362
Irregularis est, qui semel fuit ex causa permanente fatuus, etsi dein perfectè sanatus. 232
Irregularitatem perpetuam, non nisi à Papa dispensabilem incurrit dæmoniacus. 235
Irregulares perpetuò sunt epileptici. 236
Irregularitas ob vitium corporis superveniens post susceptum clericatum an impediat tali conferri beneficium. 239.
Irregularitas superveniens Ordinato ex defectu corporis solum exercitium illius Ordinis impedit, ad quod reddit vitiatum inhabilem. 239
Irregularis in dubio facti nemo censendus extrà casum homicidii. 265. 1
Irregularis ad omnes Ordines est neophytus. 292
Irregularis per se est hæreticus, etiam occultus. 294. 1
Ab irregularitate illa & inhabilitate ad beneficia præcisè vi absolutionis non liberatur quis. 294. 1
Irregulares propriè non sunt hæreticorum filii. 299
Irregularis non est schismaticus purus. 301
Irregularis est inhabilis ad omne beneficium. 335. 1
Irregularitas directè impediendo à susciendis Ordinibus eorumque usu, indirectè impedit à collatione & receptione omnis beneficii, etiam simplicis. 335. 2
Irregularitas partialis impediens usum aliquorum Ordinum, tantùm impedit à beneficio illum Ordinem exigente, non ab alio. 335. 3
Irregularis promotio ad beneficia an sit ipso jure nulla. 336
Irregularitas est gravis pœna, quæ non incurritur, nisi in casibus in jure expressis. 336
Irregularis per se, seu spectatâ institutione irregularitatis non est incapax beneficii. 336
Ab irregularitate non absolvit Papa in suis collationibus, sed à censuris. 336
In irregularitate obtentum beneficium in conscientia, an teneatur dimittere. 336
Irregularis tamen peccat recipiendo beneficium, teneturque quamprimùm petere dispensationem super irregularitate. 336
Cum irregularitate stat retentio beneficii antecedenter habiti. 336
Irregularis electio ad instantiam partis est cassanda. 336
Irregularitatem non parit infamia facti. 340. 2. & 243
Irregularitas ex quibus pœnis, ad quas quis damnatus, incurratur. 347
Irregularis est & manet peractâ pœnitentiâ, qui ex crimine famoso damnatus est ad pœnas solennes. 348
Irregularitas ex delictis, pro quibus in specie lata est infamia juris ipso jure incurrenda, notoriis per evidentiam facti, non incurritur ante sententiam declaratoriam judicis; nec ante eam tenetur quis abstinere ab actibus legitimis. 349

Judæus.

Judæi non tenentur ratione ædium, quas incolunt, parochis ad interesse & lucrum, quod haberent à Christianis eadem inhabitantibus. 443
Judæi aliique non baptizati non tenentur debito propriè personali solvere decimas. 483. 3
Judæi tamen per accidens & indirectè cogi possunt, ut in defectum personalium decimarum & oblationum, quas aliàs Ecclesiæ ministris penderent fideles inhabitantes ædes, quas ipsi incolunt, ad compensationem damni hujus. 483. 3
Judæos similesque infideles cogere posset Ecclesia, ut alerent ministros necessarios ad docendam fidem. 483. 3
Judæi similesque infideles debito reali tenentur ad solvendas decimas ex possessionibus, jam antequam ad illos devenirent, decimis obnoxiis; secùs est de iis, quæ nunquam à Christianis possessa. 484. 5
Tenentur quoque has decimas de præterito solvere ex terris Christianis injusto bello ereptis, dum revertuntur ad Ecclesiam, quantùm est de rigore juris. Ecclesia tamen non solet eas exigere. 484. 5

Judex.

Judex competens in causa decimarum quis. 497. 1. & seq. Vide V. *Decimæ.*

Jurisdictio.

Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes possunt examinare ad beneficia parochialia, & confessarios approbare. 51. 1
Jurisdictionis potestas quæ dicatur. 310
Jurisdictionis potestas non requiritur ad regimen religiosum & regulare. 310
Jurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ sine ulteriore Ordinarii licentia & approbatione habet parochus. 434. 1
Jurisdictione ulteriore, non approbatione, eget parochus, ut subditum non suum absolvat in aliena diœcesi. 434. 2
Jurisdictionis actus est, dare alteri sacerdoti licentiam audiendi confessiones sui parochiani. 435. 4
Jurisdictio, etiam delegata, exerceri potest extra territorium conce-

concedentis, ubi per hoc non fit injuria Judici illius territorii. 435. 4
Jurisdictionis actus non est assistere matrimonio. 435. 7
Jurisdictionis tamen actus esse videtur, dare alteri licentiam assistendi matrimonio. 435. 7
Ad jurisdictionem fori externi spectat ferre censuram. 444.

Ius.

Jus percipiendi fructus (quæ est ratio formalis beneficii) ratione spiritualis ministerii, an & quâ ratione sit spirituale. 3. & 6
Jus illud habet connexionem cum ministerio spirituali tanquam cum sua causa, ob quam datur. 9
Jus canonicum prævalet Theologiæ in Ordine ad lucrandum panem. 380. 1
Juri canonico studentes curati olim abesse poterant ad quinquennium: secus est de studentibus juri civili aut Philosophiæ: quod ipsum tamen limitatur. 380. 1
Jus parochiale in quo consistat. 441. 2. & 440. 1
Super jure parochiali percipiendo juris assistentiam habent parochi intra parochiarum suarum limites. 449. 2
Jus parochiale qualiter perdatur & acquiratur. 449. 2
Jura sua non amittit parochialis effecta habitu tantum talis, & similex beneficium. 449. 4
Jura parochialia omnia, quantùm est de jure communi, spectant ad eum, cui cura habitualis competit. 450. 1
Jus parochiale, dum adest filialis, impropriè in solidum spectat ad matricem. 450. 2
Jus parochiale in solidum residere potest penes plures, repræsentantes unam personam intellectualem. 450. 3
Jus quale sit parochi circa funera. 451
Jus quale sit parochi sepeliendi. 452
Jus sepeliendi quænam Ecclesiæ habeant. 452. 2
Jus interveniendi funeribus de jure communi competit parocho. 455. 1
Jus parochiale quò ad funera versatur solùm in præeminentia occupandi primum locum, cum stola faciendi officium super cadavere, & percipiendi emolumenta. 453. 4
Jus decimarum primarium & proprium competere an & qualiter possit laico. 473. & seq. Vide V. *Decimæ.*

Iuspatronatus.

Juspatronatus acquiritur æquè ex constructione, fundatione, dotatione altaris, quàm Ecclesiæ. 19
Juspatronatus acquiritur supplenti dotem omnino insufficientem sine consensu prioris patroni. 26. 2
Non tamen acquiritur de jure communi ex quocunque dotis supplemento. 26. 2
Juspatronatus concessum intuitu augmenti dotis à Papa dicitur competere ex privilegio, non ex dispositione juris. 26. 2
Juspatronatus seu jus præsentandi Rectorem novæ parochialis erectæ cum dismembratione veteris præservatur Rectori veteris Ecclesiæ. 157. 6
Jus illud patronatus non acquiritur Ecclesiæ antiquæ, ejusvé Rectori, nisi ubi ea aliquid de suo pro dote Ecclesiæ noviter erectæ contulerit. 157. 6
Juspatronatus dicitur servitus Ecclesiæ. 167. 2
Juspatronatus perditur per unionem beneficii. 163. 1

Laicus.

LAicus incedens tonsuratus, & animi destinatione jam clericus, incapax adhuc est beneficii Ecclesiastici. 302
Laico ranquam clerico Papa conferente beneficium, nominando illum in literis clericum, collatio hæc nullum jus confert. 303
Laico oratori qualiter Papa providere soleat. 305
Laico mansuro laico Papa conferre potest beneficium. 304.
Laicus postulari potest ad beneficium, non eligi. 306
Laico, dum dicto modo conceditur beneficium, evadit illud quid temporale. 3. 4
Laicus de jure communi capax pensionis, ejusdem est incapax ex stylo curiæ Romanæ. 308
Laicus conversus largo modo est clericus. 309
Laicus nullo modo aut tempore prætendere potest jus proprium in oblationes. 463. 1
Laico nullo modo competere potest jus decimandi primarium & proprium, seu jus percipiendi decimas jure & nomine proprio ratione ministerii Ecclesiastici exhibiti. 473. Vide V. *Decimæ.*
Laicis nihilominus religiosis jus illud primarium decimandi competere potest. 473. 2
Laici hi gaudent privilegio clericorum, adeoque capaces sunt juris spiritualis. 473. 2
Laico competere potest jus decimandi aliquod secundarium ducens ortum (nempe mediante emptione, donatione &c.) ex jure decimandi illo primario. 473. 3. & seq.
Laico à Papa decimæ concedi possunt in feudum perpetuum. 474. 5
Laicus possidens decimas citra Papæ auctoritatem ei in feudum concessas, præscindendo à consuetudine, tenetur eas restituere. 474. 6
Laicus, an possit immemorialis temporis detentione decimas seu jus decimandi, prout à titulo spirituali separatum, præscribere contra Ecclesiam. 474. 7. & 8.
Laicus dictum jus decimarum possidere potest, sed nonnisi per legitimam Prælati Ecclesiastici concessionem. 474. 8
Laicus per ipsam hanc concessionem sibi factam redditur capax possessionis juris decimandi. 474. 8
Laici pro salvandis eorum conscientiis, & manutenendis in possessione decimarum, relictâ viâ præscriptionis recurrendum ad præsumprionem. 474. 8
Laicus potest decimas legitimè possessas, etiam in feudum perpetuum, sine consensu Episcopi redonare Ecclesiæ, ad quam spectabant. 475. 1
Potest quoque eas donare alteri loco pio, accedente & necessariò requisito consensu Episcopi. 475. 2
Laicus laico oppignorare potest decimas, etiam habitas in feudum. 475. 4
Laicus non potest esse arbiter super jure decimandi; potest tamen una cum clerico esse compromissarius, ex commissione tamen Judicis. 477. 2
Laicus contra laicum præscribere potest decimas. 475. 6
Laicus potest vi consuetudinis disponere de decimis liberè ac de aliis bonis patrimonialibus. 478. 3
Laicus in quacunque dignitate constitutus non potest donare jus illud decimandi primarium seu spirituale, etiam Clerico vel Ecclesiæ. 478. 4
Laicus princeps nullus relaxare potest obligationem solvendi decimas. 487. 5
Laicus potest esse Judex, dum causa decimarum est facti, & agitur contra laicum; secus si est causa juris. 497. 1. & 2
Laicus potest esse Judex in causa decimarum, dum decimæ datæ in feudum perpetuum à Papa: secus, si ad tempus vel limitatis personis. 497. 3. Vide V. *Decimæ.*

Legatus.

Legatus Apostolicus cum curatis ex gravi causa dispensare potest, ut ad breve tempus non resideant. 374. 3
Legatus Apostolicus nequit parochum abstrahere à sua Ecclesia, & occupare in suo servitio. 386. 4
In legati servitio existentes duo canonici vel alii beneficiati de ejus provincia excusantur à residentia, & percipiunt fructus, non distributiones. 405. 6

Legitimatio, Legitimatus.

Legitimatio & dispensatio in quo differant. 287
In legitimatione per subsequens matrimonium debet attendi tempus conceptionis vel nativitatis, prout filio magis expedit. 260. 2
Legitimatus per subsequens matrimonium venit sub nomine nati ex legitimo matrimonio, etiam in materia stricta. 273. 1
Legitimari potest quis natus & conceptus pro tempore, quo parentes habebant impedimentum, per subsequens matrimonium contractum cum impedimento justè ignorato, si tempore intermedio cessaverint impedimento. 260. 1
Legitimatur susceptus ex fornicaria copula habita cum impedimento dirimente per subsequens matrimonium, Papâ in eo cum tali impedimento jam contracto dispensante, seu illud ante contractum ratihabendo cum clausula: *tunc, seu ab initio.* 260. 3
Secus est, seu proles ante nata non legitimatur, si Papa solùm super tali matrimonio de novo contrahendo dispenset. 260. 3
Legitimati per subsequens matrimonium promoveri possunt ad Ordines, beneficia, dignitates, etiam Episcopatum. 261.

Legitimus,
Vide *illegitimus.*

Legitimi adhuc sunt ex matrimonio vero, etsi non Sacramento. 258.

Item

Item licet ob occultum impedimentum fuerit nullum, modò bona fide reputatum verum. 258
Idque licet ignoretur, an parentes contraxerint bona fide. 258.
Quin etsi parentes postquam contraxerant bonâ fide, dein dubitarint de valore matrimonii, & filii nati tempore hujus dubii. 258
Et licet uni conjugum constiterit de invaliditate matrimonii, altero laborante justâ ignorantiâ. 258
Justa tamen ignorantia non impedit, quò minus filii sint illegitimi, dum matrimonium celebratum clandestinè. 258
Legitimi adhuc sunt, qui nati ex legitima uxore post susceptum à viro de licentia uxoris Ordinem sacrum. 258
Non tamen nati ex altero conjugum post matrimonium ratum tantùm professo. 258
Legitimi adhuc sunt, qui nati ex legitima uxore post susceptum à viro invita uxore, matrimonio necdum consummato, ordinem sacrum. 258
Quin &, si vir de licentia uxoris susceptisset Ordinem. 258
Secùs, si vir post matrimonium ratum tantùm validè professus esset. 258
Legitimi aut legitimati probabiliter sunt, qui nati, tam ante quàm post matrimonium clandestinum ab Ecclesia approbatum, ubi clandestinè contrahentes habuerunt impedimentum dirimens justè ignoratum. 260. 1
Legitimus illegitimi, ut sit de legitima stirpe, & in ascendentium hæreditate succedere possit, non obstat, quod priùs post eum generatum per subsequens matrimonium avi & aviæ parens ejus sit legitimatus. 260. 1
Idque etiam, si ante matrimonium subsecutum avi & aviæ jam mortuus sit pater illius. 260. 1
Legitimi haberi debent, & pro talibus se gerere possunt, quorum parentes, etsi non essent conjuges, vivunt tamen, & habent se pro talibus, & filii aliud non sciunt. 265. 3
Item quorum parentes (sive sint verè conjuges sive non) dicunt, se non esse conjuges, modò se priùs dixissent, & habuissent ut conjuges. Secùs, si semper dixissent & habuissent ut solutos. 265. 3

Lex.

Legum beneficii nomine quid veniat. 28. 1
Leges, quas voluerit, adjicere potest fundator. 28. 2
Ad leges has constituendas plurimum jura deferunt fundatori. 28. 2
Leges beneficii à fundatore adjectas examinandi admittendique potestas est penes potentem erigere beneficium. 28. 3
Legum beneficii causa efficiens est auctoritas Episcopi. 28. 3
Leges hæ, quandónam sint tales, ut eas rejicere possit Episcopus. 29
Leges seu conditiones beneficii, quænam censendæ sint contra perpetuam canonum eas improbantium prohibitionem. 30. 1
Leges beneficii à fundatore in limine fundationis adjectæ dein, etiam ex consensu Episcopi, alterari nequeunt. 30. 2
Leges has fundator patronus (non tamen patronus successor fundatoris) à se appositas ex causa justa cum consensu Episcopi alterare vel tollere potest. 31
Lex pœnalis puniens in filiis peccatum parentum, ultra expressa in lege non est extendenda. 297. 4
Lex pœnalis sub pœna ipso jure incurrenda, quando obliget delinquentem ad executionem sine sententia declaratoria. 389. 3
Lex generaliter loquens non tollit privilegium particulare concessum super eo, de quo lex loquitur. 397. 10
Lex generalis posterior limitatur & determinatur per legem priorem specialem. 405. 1

Liber.

Liber baptismalis parochi probat Baptismum. 422. 2
Liber baptismalis probat ætatem. 227. 1. 432. 2
Item liber patris, in quo nativitas prolium describi solet. 227. 2
Librum habere debet parochus, in quo familias & personas subditorum cum ætatis nota describat. 432. 1
Librum etiam, in quo describantur nomina eorum, qui in ejus parochia contraxerunt matrimonium, nomina testium & loci, in quo contractum. 432. 3
Liber hic, etiam mortuis testibus, sine aliis probationibus plenè probat matrimonium. 432. 3
Librum quoque habere debet parochus, in quo scribantur nomina mortuorum in ejus parochia sepultorum 432. 4
Liber hic probat mortem & sepulturam. 432. 4
Libri, in quibus parochus describit, hæc vel illa bona spectare ad dominium Ecclesiæ suæ probant, nisi hæc annotatio sit contra tertium, tunc enim solam faciunt præsumptionem. 432. 7
Libri verò hi parochiales, ut in judicio probent, necessariò fides facienda cum formali transumptione partitæ de verbo ad verbum. 432. 7
Libri illi parochiales per Episcopum de parochorum potestate non extrahendi, sed penes illos servari debent, &, si necessarium, copia illorum danda. 432. 7

Locatio, Locator.

Locatio bonorum immobilium sine Apostolica auctoritate ultra triennium sub excommunicatione Ecclesiæ Rectoribus prohibita. 446. 3
Locatio, etiam alia, quæ fit cum anticipatis solutionibus prohibita per Tridentinum. 446. 4
Locatio juris decimandi sumpti materialiter pro sola commoditate percipiendi fructus facta auctoritate propriâ à Rectore ad breve tempus non est prohibita. 474. 2
Elocatio decimarum non est, sed conductio operæ pro decimis, dum hæ conceduntur, etiam ad vitam, in stipendium præstiti obsequii Ecclesiæ. 474. 2
Locator seu dominus prædii, an verò locatarius seu conductor & colonus ex debito reali solvere teneatur decimas. 489
A locato & conducto vix distinguitur contractus emphyteuticus, nisi in majore vel minore tempore. 489. 6

Mansus.

Mansus quid sit. 27. 1

Manualitas.

Manualitas quid significet. 61. 1
Manualitas unde insit beneficiis. 61. 2
Manualitas exprimenda ad evitandam subreptionem, si beneficium est sæculare. 61. 2
Manualitas in beneficiis sæcularibus constituitur in substantia beneficii ex vi dispositionis fundatoris. 61. 2
Manualitas in beneficiis regularibus non tam afficit naturam beneficii, quàm sita est in obedientia, & procedit ex vi professionis religiosi. 61. 2
Manualitas potest amitti, & induci perpetuitas, & contra beneficio per præscriptionem quadragenariam. 61
Manualitati non contrariatur omissio revocationis, dum hæc est libera. 62
Manualitatis qualitas num insit beneficiis omnibus regularibus, & è contra absit à sæcularibus. 63
Manualitatem non ex eo amittit beneficium, quòd quis ejus titulo ordinetur Ordinibus sacris. 63
Manualitas non cadit in beneficia parochialia sæcularia. 66
Manualitas non cadit in beneficia ad regularia electiva. 67
Manualitas non est contra naturam beneficii. 84
administrare moribundo sacramentum pœnitentiæ decessuro aliàs sine illo; limitatur tamen hoc ipsum 425. 5
Parochus tenetur administrare Sacramentum Eucharistiæ, quoties id pii subditi rationabiliter petunt. 425. 6
Tenetur etiam illud sub gravi præcepto ex justitia ministrare infirmis tempore pestis, etiamsi intelligat ægros esse dispositos per Sacramentum confessionis. 425. 6
In casibus tamen particularibus poterit excusari, prout periculum propriæ vitæ multum augetur, & necessitas proximi minuitur. 425. 6
Parochus tenetur suis ratione officii ex Justitia ministrare unctionem extremam, ita ut peccet mortaliter, si sine justa causa id neget vel differat cum probabili periculo, ne sine illa decedat infirmus. 425. 7
Tenetur etiam illam tempore contagionis, sine morali tamen vitæ suæ periculo, ministrare; & etiam cum hoc, ubi alia Sacramenta ministrari nequirent. 425. 7
Parochi nolentis administrare subdito Baptismum, & is sine illo moriatur, pœna est depositio: nolentis verò administrare alia Sacramenta, pœna non est determinata, sed arbitraria. 426
Parochi obligatio circa missarum celebrationem quæ. 427
Parochi quæ obligatio applicandi sacrificium subditis. 427. 4.
Parochus aliúsve, num recipere possit eleemosynam pro ea missa, ad quam dicendam alicubi est obligatus, etiam citra astrictionem intentionis. 427. 4
Parochi quæ obligatio assistendi infirmis ac moribundis. 428.
Parochi quæ obligatio prædicandi verbum Dei. 429
Parochi quæ obligatio docendi rudes doctrinam Christianam. 430
Parochus tenetur facere denunciationes festorum & jejuniorum; item denunciationes matrimoniales. 431. 1
Parochus sine licentia Episcopi facere non debet citationes, præcepta & similia judicialia. Item indulgentias papales, & miracula nova denunciare & publicare. 431. 2
Parochus quæstuarios eleemosynarum absque Episcopi licentia commendare publicè non debet, dum petunt pro hospitali conventu: secus pro sua singulari persona. 431. 2.
Parochus jubente Episcopo denunciare tenetur promovendos ad majores Ordines. 431. 2
Parochus sine licentia facere potest, non tamen tenetur, denunciationes rerum deperditarum, postulationes precum pro hac vel illa necessitate. 431. 2
Parochus habere debet librum, in quo familias & personas subditorum cum ætatis nota describat. 431. 1
Item librum specialem, in quo describantur omnes in ejus Ecclesia baptizati cum nominibus parentum, si legitimi sint, & patrinorum, cum die, mense, anno. 432. 2
Item librum, in quo describantur nomina contrahentium in ejus parochia matrimonium, unà cum nominibus testium & loci, in quo contractum. 432. 3
Item librum, in quo scribantur nomina confirmatorum, parentum, patrinorum, nomen Episcopi confirmantis. dies, mensis, annus, Ecclesia, in qua confirmati. 432. 5
Item librum, in quo scribantur nomina mortuorum, in ejus Ecclesia sepultorum. 432 4
Parochus dictis libris custodiam bonam adhibere tenetur, ne ad aliorum manus facilè deveniant, aut corrumpantur. 432 7
Parochorum hi libri per Episcopum de eorum potestate extrahendi non sunt, sed penes illos conservandi, & eorum, si necessarium, copia danda. 432. 7
Parochi quæ obligatio circa reparationem Ecclesiæ & domûs parochialis. 433
Parochus, aut etiam parochiani, cedere nequeunt usui Ecclesiæ, ut onera reparandi vitent 433
Parochus jurisdictionem ordinariam in foro conscientiæ habet, quo ad hoc à lege approbatus, sine alia desuper ei facienda per Ordinarium licentia, seu approbatione. 434. 1.
Parochus potest administrare Sacramentum pœnitentiæ etiam extra parochiam & diœcesin, & ubique locorum suis subditis. 434 1
Potest & idipsum administrare ubique locorum non parochiano suo, absque eo, quòd egeat ad hoc novâ, seu alterius Ordinarii approbatione, modò ei ulterior ad hoc conferatur jurisdictio. 434. 2
Parochus per collationem beneficii parochialis constituitur minister publicus Ecclesiæ ab ea approbatus. 434. 2
Secus est de aliis tam Regularibus quàm sæcularibus non parochis, aut Vicariis perpetuis parochialis; hi enim etiã eorum, pro quibus approbati, confessiones audire nequeunt in diœcesi, à cujus Ordinario approbati non sunt. 434. 3
Parochus, an post dimissum parochiale beneficium citra novam approbationem audire possit confessiones. 434. 4
Parochus, qui verè talis non est, sed communi errore habetur pro tali validè absolvit, valéntque ab eo alia sacramentaliter gesta. 434. 5
Parochus potest tempore interdicti, etiam sanis, administrare Sacramentum pœnitentiæ. 434. 6
Parochus potest secluſa Episcopi reservatione dare alteri simplici sacerdoti licentiam administrandi Sacramenta parochianis suis, exceptâ pœnitentiâ. 435. 1
Et in specie potest etiam citra necessitatem dare licentiam alteri Sacerdoti (imò Diacono, ex causa tamen rationabili) solenniter baptizandi infantem suæ parochiæ. 435. 2.
Parochus potest, & quandoque tenetur, alteri Sacerdoti (intellige appobato pro illo loco, in quo auditurus confessiones) dare licentiam audiendi confessiones parochiani sui. 435. 3
Parochus tamen excommunicatus vitandus hanc facultatem dare nequit. 435. 4
A Parocho delegatus ad audiendas suorum confessiones subdelegare nequit; quod ipsum limitatur. 435. 4
Parochus potest Sacerdoti, etiam ab Episcopo non exposito ad Sacramenta administranda, dare commissionem administrandi suis parochianis in, & extra parochiam Eucharistiam. 435. 5
Parochus potest dare licentiam parochiano suo, ut præceptum communionis annuæ impleat recipiendo eam extra parochialem. 435. 5
Item potest alteri dare licentiam præbendi communionem loco viatici suo parochiano. 435. 5
Parochus dare potest cuivis sacerdoti potestatem administrandi extremam unctionem parochianis suis. 435. 6
Parochus, etiam irregularis, suspensus, excommunicatus, non tolerarus potest citra necessitatem dare alteri sacerdoti licentiam assistendi matrimonio suorum parochianorum, etiamsi hic sacerdos sit quoque excommunicatus vitandus. 435. 7
Sufficit hæc licentia assistendi matrimonio concessa à parocho non data in scriptis, extortâ vi, metu, dolo, data contra prohibitionem Episcopi, concessa nuncio ad eam petendam misso, antequam ea ad notitiam sacerdotis deveniat. 435. 7
A parocho censetur sufficienter concessa hæc licentia, dum ab eo abfuturo aut infirmo data alteri generalis commissio administrandi omnia sacramenta, vel ut possit omnia intra parochiam ad animarum curam spectantia exercere, quod ipsum limitatur. 435. 7
Licentia illa viget, donec à parocho concedente revocetur; & quando revocata censeatur. 435. 7
Parochi quoque delegari ab Episcopo constituti amoviblliter idem quo ad hanc licentiam assistendi matrimoniis dandam possunt. 435. 7
Parochus hodiedum nulli dare potest licentiam prædicandi in Ecclesia parochiali, nisi ad hoc ab Ordinario approbato. 436
Parochus (saltem ubi sic habet consuetudo) potest cum parochianis suis in dubio justa de causa, etiam in urbe, ubi adest Episcopus ejúsve Vicarius, dare licentiam quo ad esum carnium & secundam refectionem diebus jejunii. 437. 1.
Parochus potest ex causa justa, dum nimirum hæc est dubia, aut videtur non satis sufficiens, dare suis parochianis licentiam laborandi diebus festis. ubi Episcopus ejúsve Vicarius generalis vel forensis facilè aditi non potest. 437. 2
Parochus cogere non potest parochianos ad audiendam missam in parochia. 438. 1
Parochus potest, & debet invitare & adhortari parochianos, ut diebus solennibus audiant in parochia concionem, ad id tamen, uti nec Episcopus cogere potest mulctis. 439
Parochi mulctis ac pœnis, saltem gravioribus, compellere nequeunt pueros ad audiendam doctrinam Christianam, eorúmque parentes ad eos mittendos. 440
Ad parochum de jure parochiali spectat habere solennitates illas, quæ ad instar earum, quæ in Cathedralibus & Collegiatis dicuntur pontificales; & in hoc ingerere se non debent laici aut laicorum congregationes, nisi quantùm legitima consuetudo permitteret. 441 1
Parochus aliàs solennitates non tangentes jus parochiale

exercendas in aliis Ecclesiis, vel oratoriis sitis intra parochiam impedire nequit. 441. 2
Parochus functiones quoque plures parochiales, quò minùs fiant de consuetudine vel privilegio in templis Religiosorum, impedire nequit. Secùs est de iis, quæ à jure parochiali diversæ non sunt; hæ enim in templis Regularium, invito parocho, cum parochianis fieri nequeunt. 442. 1. & 2.
Parochi impedire nequeunt, quò minùs Regulares parochianorum confessiones audiant. 442. 2
Parochi impediri nequeunt ab Episcopo, quò minùs ipsi concionentur, si velint ac possint. 442. 3
Parochi prohibere non possunt Regulares, ut hi in suis Ecclesiis non annuncient populo festa & jejunia. 442. 4
Parochi impedire possunt Regulares, quò minùs ducant ac dirigant processiones extra suum ambitum per vias publicas parochiæ. 445. 5
Parochi impedire nequeunt monasteriorum ac Collegiorum Regularium ædificationem sub prætextu, quòd vel sic priventur emolumentis ex domibus isti ædificationi incorporatis aliàs percipi solitis. 443
Parochis dicta emolumenta resarcire non tenentur Regulares; uti nec Judæi pro domibus, quas inhabitant, ad emolumenta, quæ percepissent à Christianis easdem inhabitantibus. 443
Parochis tamen aliarúmque Ecclesiarum Rectoribus reluctantibus erigi non possunt, nisi ad certas cannas Collegia Regularium unà cum Ecclesiis ad recipienda inibi Sacramenta & divina. 443
Parochi nequeunt in suos ferre censuram. 444
Parochus, seu Rector pro juribus suæ Ecclesiæ potest agere. 445. 1.
Item, etiam sine superioris auctoritate pacisci in favorem & commoditatem Ecclesiæ suæ. 445. 2
Parochi tenentur conficere bonorum ac redituum Ecclesiæ suæ inventarium, & illius copiam tradere Ordinario. 446. 1.
Parochus quid possit circa alienationem, elocationem rerum mobilium & immobilium Ecclesiæ suæ. Vide v. *Alienatio bona.*
Parochus habet territorium limitatum intra suos fines, ac etiam intra illos respectu eorum, qui subsunt ejus curæ & jurisdictioni. 447. 2
Parochus, dum ingreditur Ecclesiam exemptam intra dictos fines sitam, dicitur esse extra territorium proprium. 447. 2.
Parochi jurisdictio qualiter nihilominus adesse adhuc dicatur in Ecclesiis Regularium aut Hospitalis, quò ad concernentia curam animarum. 447. 2
Parochus in Ecclesia parochiali præcedit etiam primas dignitates. 447. 3. & 448. 1
Parochus, seu Rector Ecclesiæ parochialis in ea thurificandus ante dominum loci; quin & ante Canonicos Cathedrales intervenientes jure privato & singulari 448. 1
Parochus non præcedit Canonicos Cathedrales, ubi illi repræsentantes corpus Capituli interveniunt in Ecclesiis parochialibus. 448. 1
Parochus in processionibus funeralibus Canonicis Cathedralibus capitulariter incedentibus, seu Capitulo & Clero Cathedralis Ecclesiæ digniorem locum relinquere debet. 448. 1
Ad parochum Ecclesiæ, in qua defunctus sepeliendus, spectat facere officium. 448. 1
Parochus defuncti, vel Ecclesiæ, in qua defunctus sepeliendus, præcedit ceteros quoscunque presbyteros. 448. 1
Parochus & Rectores omnes curati in associandis funeribus propriæ parochiæ, processionibus, functionibus synodalibus digniorem locum cedere debent Canonicis Collegiatarum. 448. 2
Parochorum præcedentia respectu aliorum parochorum, sive Regularium, sive sæcularium, datur secundùm Ecclesiarum, quibus præsunt, prærogativam. 448. 3
Parochus tamen, ad cujus Ecclesiam defertur defunctus, præcedit alterum, ad cujus parochiam spectabat defunctus. 448. 3
Parochi & alii Clerici sæculares præcedere debent Regulares, tam monachos quàm fratres quorumcunque Ordinum, etiam mendicantium in processionibus similibúsve actibus publicis. 448. 4
Parochi habent juris assistentiam super jure parochiali percipiendo intra parochiarum suarum limites. 449. 2
Parochi quale jus circa funera. 451.
Parochus quale jus habeat sepeliendi. 452
Parochus omnes parochianos suos, quibus sacra sepultura conceditur, sepelire debet in Ecclesia vel cæmiterio parochiali 452. 1
Parochus illud officium sepulturæ præstare debet peregrinis decedentibus intra suam parochiam, nisi consuetudo aliud habeat. 452. 1
Parochus quò ad hoc officium præstandum præfertur omnibus, quod pluribus limitatur. 452. 1
Parocho privato corpore jam alibi sepulto, illud extractum restitui debet. 452. 1
Parocho de jure communi competit jus interveniendi funeribus. 453. 1
Parochus, quamvis invitus, intervenire debet, & parochiani, quamvis inviti, eum vocare tenentur. 453. 1
Vide *V. Regulares.*
Parochus impedire nequit Regulares privilegiatos, ut in Ecclesiis suis sæculares sepeliant. 453. 1
Parocho inconsulto, possunt Regulares decedentes suos extra claustra ad suas Ecclesias deferre. 453. 1
Sine interventu parochi non possunt Regulares funus alicujus suorum mortui intra claustra deferre per plateas parochiæ. 453 1
Parocho non interveniente nequeunt Regulares in propria etiam Ecclesia, funus & sepulturam peragere, etiam dum cadaver clam sine eorum interventu delatum esset ad eorum Ecclesiam. 453. 1
Parocho irrequisito, funus levare domo non licet aliis 453 3.
Parocho invito, ubi is vocatus venire renuit, funus de domo defuncti levare, & rectà ad suas Ecclesias deducere possunt Regulares. 453 3
Ad parochum spectat, tam in domo defuncti, quàm per viam ad Ecclesiam Regularem, in qua sepeliendus, officium peragere etiamsi incedendum per fines aliarum parochiarum. 453. 3
Parochus proprius defuncti, & non parochus, in cujus parochia situm Hospitale, subintrat, dum funus defuncti in hospitali alibi elegentis sepeliri deportandum. 453. 3
Parochus in ingressu portæ vel atrii Regularis Ecclesiæ, aut alterius, in qua sepeliendus defunctus, munus suum dimittit, & illud reassumit aliquis de Regularibus. 453. 3
Parochi est declarare, per quam viam deducendum funus, & convocare sacerdotes alios ad funus associandum, quod tamen limitatur. 453. 4
Parochi non habent jus plus exigendi pro tumulandis externis quàm civibus; & pauperes gratis sepelire debent. 453. 8.
Parochus non tenetur functiones funerales facere de nocte, vel etiam in majore pompa, majore cum labore: unde tunc plus ei dandum, quàm aliàs determinatum. 453 8
Parocho debentur oblationes factæ in Sacello vel Capella sita intra fines parochiæ. 463. 3
Item factæ imagini positæ intra fines parochiæ, etsi extra parochialem. 463. 5
De oblationibus ad parochum pertinentibus, & de earum administratione spectante ad parochum. Vide V. *Oblationes.*
Parochus parochianum ad solvendas decimas cogere nequit, negando ei Sacramenta, aut eas ab illo accipere vi. 495 4.
Parochi ex debito reali tenentur solvere decimas ratione bonorum non titulo spirituali habitorum. 484. 2
Contra parochum à non parocho, v. g. conventu religioso præscribi potest jus decimarum. 479. 3
Parochus præcipuè ac primario de jure communi debentur decimæ. 480. 4
Parochus quò ad jus decimandi habet intentionem fundatam contra quemcunq; perceptorem decimarum & possessorem juris decimandi, etiam Episcopum, & Vicarium curatum perpetuum; quod ipsum limitatur. 480. 4
Parochus non tenetur probare jus decimandi pertinere ad se, sed contrarium asserenti incumbit onus probandi. 480. 4.
A parocho spoliatus possessione percipiendi decimas, non restituitur, nisi plenè de suo jure docuerit, & sic justificet possessionem. 480. 4
Parochi non tenentur ex debito personali de jure communi solvere decimas; nec illas eis imponere potest Episcopus. 485. 6

Patronus.

Patrona, vel comparrona non efficitur Ecclesia, aut ejus Rector ratione concessi in ea fundi ad construendam Capellam, vel Altare. 10

Patroni consensus requirendus, ubi novum onus beneficio imponitur ab Episcopo. 31
Patroni consensus non requiritur ad hoc, ut Rector principalis constituat Vicarium perpetuum in beneficio patronato unito suæ Prælaturæ. 117
Secus est in aliis casibus, v. g. dum constituitur Vicarius in Ecclesia filiali erecta ob parochiæ amplitudinem. 117
Patronus ecclesiasticus ex approbatis in examine pro concursu eligit digniorem, dum institutio spectat ad Episcopum, ab eo instituendum. 206. 11
Si verò institutio spectet ad alium, Episcopus eligit digniorem, quem patronus ecclesiasticus præsentat habenti instituere. 206. 11
Patronus ecclesiasticus, dum duo judicati sunt æquè idonei, potest gratificari uni ex illis, cui voluerit, & illa gratificatio non spectat ad Ordinarium, etiamsi ad hunc spectet institutio. 206. 11
Patronus ecclesiasticus, si ex judicatis in concursu dignis præsentet minùs dignum, tenetur eum adhuc instituere Episcopus. 206. 11
Patroni quando teneantur ad reparationem Ecclesiæ patronatæ. 433 1

Pauperes.

Pauperes, etiam gravi solùm necessitate pressi, ita ut solutis decimis non possint se suosque alere, non tenentur eas solvere. 483 5
Pauperibus jure antiquo applicata pars decimarum & fructuum ecclesiasticorum. 483. 5
Pauperes communi pressi necessitate solvere adhuc tenentur decimas. 483. 5

Pensio, Pensionarius.

Pensio venit sub lata acceptione beneficii. 298. 1
Pensionarius quo ad privilegium fori venit appellatione beneficiati. 308
Pensio non habet rationem beneficii. 1. 4. 1
Pensio nullam certam ætatem requirit. 212. 2
Pensionem super fructibus paterni beneficii obtinere nequit filius illegitimus sacerdotis, alteriúsve Clerici. 272. & 277. 1.
Pensionem tamen, quam habuit pater, habere potest filius ejus illegitimus. 277. 2
Pensionis incapaces sunt filii hæreticorum. 298. 1
Pensionis super fructibus beneficii de jure communi capaces sunt laici; ex stylo tamen Curiæ Romanæ non sunt capaces. 308
Pensionarius, si tempore reservationis pensionis est laicus, reservatio est nulla. 308
Pensio habet annexum onus recitandi officium B. Virginis. 308
Pensio reservata excommunicato qualiter sit nulla. 325

Permutatio, Permutare.

Permutatio quævis facta in favorem excommunicati excommunicatione majore est ipso jure nulla. 325. & 326
Permutare beneficium habitum ante paternam hæresim, dein post illam nequeunt hæreticorum filii. 298. 2
Permutare quis potest parochiam intra annum absque eo, quod factus sit sacerdos. 320. 3
Permutari potest jus decimarum cum jure decimarum alterius Ecclesiæ, interveniente consensu Episcopi. 477. 3

Personatus.

Personatus quid. 32. 3
Personatus & dignitas sumuntur quandoque pro eodem. 32. 3.
Personatus in multis locis dicitur quodlibet beneficium cu tatum. 32. 3

Pœna pœnalis.

Pœnæ, ad quas quis damnatus per sententiam Judicis, quænam inducant infamiam juris, & irregularitatem. 347.
Pœnæ statutæ curatis non residentibus jure antiquo. 388
Pœnæ iisdem statutæ jure novo. 389
Pœna ubicunque ipso jure incurritur propter factum, exigitur sententia factum illud simpliciter declarans. 388. 5
In pœnali materia quælibet causa colorata excusat. 187 1
Pœnalis lex, etiam sub pœna incurrenda ipso jure, quando obliget delinquentem ad executionem sine sententia declaratoria Judicis. 389. 5
Pœna amissionis fructuum ob non residentiam non habet locum in Abbatibus & Prioribus. 389 12
Pœna parochi nolentis administrare suis Sacramenta quæ. 426.
Pœnæ quæ jure communi staturæ non solventibus decimas, aut solvi impedientibus, aut usurpantibus. 494. 1. & seq.

Pœnitentia.

Pœnitentiæ Sacramentum, quo minùs infirmis in propriis eorum ædibus ministrent Regulares, impedire nequit parochus. 442. 2
Pœnitentiæ Sacramentum potest parochus tempore interdicti ministrare, etiam sanis. 414. 6
Pœnitentiæ Sacramentum administrare potest parochus extra parochiam & diœcesin suam ubique subditis suis. 434. 1.
Pœnitentiæ Sacramentum potest parochus administrare ubique locorum non subdito suo absque eo, quòd egeat ad hoc novâ, seu alterius Ordinarii approbatione, modò ei ad hoc conferatur ulterior juris dictio. 434. 2
Pœnitentiæ Sacramentum tenetur parochus ex justitia cum morali periculo vitæ suæ ministrare moribundo decessuro aliàs sine illo; limitatur tamen hocipsum. 425. 5
Pœnitentia salutaris quæ. 300

Pœnitentiarius.

Pœnitentiarius in exercitio curæ & administratione Sacramentorum impeditus habetur pro assistente in Choro in ordine ad participandas distributiones. 133. 1
Pœnitentiarius esse debet 40. annorum; defectu tamen hujus ætatis non obstante, dum alius aptior pro loci qualitate haberi nequit. 219
Pœnitentiarius Cathedralis audiens confessiones habetur pro præsente in Choro, & lucratur distributiones. 404. 6
Pœnitentiarius Canonicus occupari non potest ultra 3. menses aliàs datos Canonicis in servitio Episcopi. 405. 2

Populus.

Populus quot homines requirat. 339. 1

Portio quarta canonica.

Portio quarta canonica seu funeralis quid sit. 454. 1
Portio quarta canonica parochialis qualiter distinguatur à portione quarta canonica episcopali. 454. 1
Portio hæc de jure communi est quarta pars obventionum; potest tamen ex consuetudine esse pars tertia, vel medietas. 454. 2
Portio hæc unde solvenda. 456
Ab ea solvenda quænam Ecclesiæ sint immunes. 457
Cui Ecclesiæ debeatur. 458

Possessio.

Possessio beneficii adjudicanda secundùm ultimum statum, in quo vacavit. 32. 2
Possessio temporis immemorialis facit præsumptionem juris ac tituli, dum illius capacitas est in possidente 474. 6
Possessio immemorialis quænam dicatur. 474. 8
Possessor malæ fidei nunquam præscribit. 38. 6
Possessione spoliatus, antequam de titulo & causa possidendi agatur, restitui debet. 480. 4
Possessione tamen decimarum spoliatus à parocho non restituitur, nisi plenè de suo jure docuerit. 480. 4

Præbenda.

Præbenda est perpetuò accessoria ad Canonicatum. 312. 6
Præbenda est quid diversum à Canonicatu. 312. 6
Præbendæ annexus esse potest Ordo, & non Canonicatui, & contra, vel etiam utrique. 312. 5
Præbenda quænam sit sacerdotalis. 312. 5
Præbenda est sacerdotalis, vel diaconalis; ergo etiam Canonicatus est sacerdotalis: mala est argumentatio. 312 6
Præbenda est Canonicatus, dum prorsus inseparabiles sunt propter annexionem constitutivam unius individui, Ordo annexus uni, censetur etiam annexus alteri. 312. 6

Præcedentia.

Præcedentiam habent Canonici, etiam Collegiatarum supra parochos in processionibus similibúsq; actibus publicis; nisi forte parochus in exequiis faciat officium in propria sua Ecclesia. 448. 2

Præ-

Præcedentiam supra monachos habent parochi aliíque Clerici sæculares. 448. 4
Præcedentiam habent parochi inter se secundùm prærogativam Ecclesiarum, quibus præsunt. 448. 3

Prælatus, Prælatura.

In prælatum eligi nequit, qui sæpe inebriatur. 234
In prælatum eligi num possit dæmoniacus. 235
In prælatum eligi nequit mente captus, etsi in una tantùm materia deliret, vel habeat lucida intervalla, vel qui semel tantùm fuit fatuus ex causa habituali, seu permanente. 232
Si tamen talis probetur perfectè sanatus, poterit sine dispensatione eligi in prælatum, si priùs fuit in Ordine, quem talis prælatura requirit; si verò priùs non fuit in isto Ordine, sine dispensatione Papæ ordinari nequit; quia irregularis, & sic indirectè ineligibilis. 232
Prælatus, etiam principalis, Ecclesiæ collegiatæ non habens aut negligens recipere Ordinem isti dignitati annexum, præsidere adhuc potest, & habere vocem in Capitulo. 318
Prælatura seu Superioratus Regularium requirit professionem. 323
Prælati Regularium exempti, & aliàs privilegiati cum suis, ne quidem ad Ordines minores dispensare possunt in bigamia interpretativa & vera. 358
Possunt tamen id in bigamia similitudinaria, dum jurisdictionem in suos quasi episcopalem habent. 358
Prælati Regulares cum suis tantùm dispensare possunt, quantum Episcopi cum suis. 358
Prælaturam validè & licitè admittit infirmus, dum illi moraliter certò non constat, se ratione infirmitatis non posse exequi partes prælaturæ & muneris. 237
Prælatus, cui supervenit infirmitas reddens illum inhabilem ad gubernandum, non tenetur renunciare. 238
Prælatus Regularis post depositam prælaturam non manet amplius approbatus respectu suorum Regularium. 434 4
Prælatus nullus inferior Papâ relaxare potest obligationem solvendi decimas. 487. 5

Præpositura.

Præpositura requirit sacerdotium; dum curam animarum habet: secùs, si eam non habet.
Præpositus talis intra annum sacerdotium non recipiens, præpositurâ non ipso jure privatus, sed privandus est, si monitus id non fecerit. 320. 4

Præscriptio, Præscribere.

Præscriptio repugnans ultimo statui beneficii eget plenâ & concludente probatione. 33 1
Præscriptio perficitur etiam unico actu, dum is habet tractum successivum, ita ut relinquat effectum continuatum per tempus à jure requisitum ad præscriptionem. 38. 1.
Præscriptionis modus idem est in beneficio sæculari ac regulari. 38. 5
Præscriptio decimarum ab una Ecclesia contra aliam, an & qualiter contingat. 472. 3
Præscribi nullatenus à laico potest jus decimarum primarium. 473. 2
Præscribere an possit laicus jus decimandi secundarium, seu præcisum à titulo spirituali. 474. 7. & 8
Præscriptionem nulla consuetudo aut detentio generare potest, ubi est incapacitas possessionis. 474. 8
Præscribere laicus contra laicum potest decimas. 475. 6
Præscribi possunt decimæ, etiam contra parochum, à quocunque Clerico, vel etiam Conventu Regularium. 479. 2
Præscriptio hæc in specie respectu diversarum personarum, quæ præscribunt, vel contra quos præscribitur, quantum tempus, quæve conditiones requirat. Vide *V. Decimæ.*
Ad præscribendum contra Ecclesiam requiruntur 40. anni cum titulo vel tempus immemoriale, quando jus est contra præscribentem. 479. 3
Præscribens in fundo decimas, censetur præscribere eas ex omnibus fructibus, qui ibi nascuntur. 479. 8
Præscribens decimas personales habitantium in aliquo loco, præscribit eadem contra advenientem post modum, ibidémque figentem domicilium. 479. 9
Præscriptione propriè dicta qualiter eximi possint aliqui à solvendis decimis. 492.
Vide *V. Decimæ.*
Præscriptio propriè talis qualiter differat à consuetudine. 492.

Præsentatio.

Præsentatio tunc censetur fieri, quando literæ præsentationis traduntur Ordinario. 305
Præsentationis tempore requiritur in præsentato Clericatus. 305
Præsentatio ad parochialem facta à laico est valida, nec præsentato per hoc creatur præjudicium, dum is dein examinatus per Examinatores non synodales invalidè instituitur. 187. 1

Præsumptio.

Præsumptionem juris ac tituli facit possessio immemorialis, dum hujus capacitas est in possidente. 474. 6. & 8
Præsumptio cedit veritati. 33. 1
Præsumitur major idoneitas in prælecto ab Episcopo in concursu, donec ea excludatur per probationes contrarias. 201. 1
Præsumptio hæc non cessat, etsi appelletur, & per sententiam Metropolitani revocetur prælectio facta ab Episcopo. 201. 2
Præsumptiones & conjecturæ probant ætatem. 227. 4
Præsumptionem inter & præscriptionem quæ differentia. 474. 8.
Præsumptionem legitimè olim factæ concessionis decimarum laico facit consuetudo immemorialis cum bona fide. 478. 8.

Primitiæ.

Primitiæ quid sint. 499. 1
Primitiæ quo jure debitæ. 499. 2

Prioriſſa,
Vide *Abbatiſſa.*

Prioratus.

Prioratus claustralis non est administratio aut officium cum jurisdictione, sed simplex quædam procuratio & agentia. 67
Est ad nutum revocabilis. 67

Privatio.

Privatio non ipso jure, sed facienda per sententiam privatoriam Episcopatus statuta olim Episcopis non residentibus. 388. 1
Privatio ipso jure incurrenda ob non residentiam statuta aliis curatis, erat jure antiquo. 388. 2
Privationis hujus pœna, ut incurratur, an opus præviâ monitione. 388. 3
Super privatione illa non est opus positivâ pronunciatione, sed sufficit declaratoria super vacatione ob non residentiam. 393 5
Ad privationem beneficii ob non residentiam non curati requiritur trina monitio per edictum publicum. 424. 10
Privatio fructuum ob non residentiam nullam requirit monitionem. 424. 4
Privatus quis ob non residentiam, dum hæc solùm causativa est, quandocunque revertitur, restituitur in beneficium. 424. 14.

Privilegium.

Privilegium vergens in præjudicium tertii strictè interpretandum. 489. 6
Privilegio concesso conferendi beneficia comprehenduntur omnia, etiam curata & dignitates. 34. 2
Non tamen comprehenduntur electiva. 34. 2
Privilegio quidquid obtineri potest, consuetudine quoque induci potest. 368
Privilegio papali tolli potest obligatio solvendi decimas in totum, vel in partem. 485. 486. 3
Privilegium illud amplum concessum omnibus Religiosis non solvendi decimas de laboribus seu nutrimentis suis propriis, adeoque de prædiis, quæ propriis manibus vel sumptibus colunt, revocatum est. 488. 4
Privilegium specialiter concessum non solvendi decimas qualiter valeat, & extendendum limitandúmque sit. 489
Privilegium dictum, ut valeat, derogandum cap. *nuper*. 489 1
Privilegium exemptionis à decimis non censetur Papa communicare communicando privilegia alicujus Ordinis specialiter exempti à solvendis decimis. 489. 2
Privilegium exemptionis à decimis conceptum his vel similibus verbis: *ut non solvant decimas de prædiis, quæ habent, vel ex bonis possessis*: non extendit se ad sola novalia, sed ad omnia tunc habita; quod ipsum limitatur. 489. 3

Privilegium cum dictis verbis conceptum extenditur quoque ad prædia post illud acquirenda. 489. 4
Non verò extenditur ad prædia, quæ habent Religiosi sibi locata, conducta, vel in emphyteusin. 489. 6
Dum in privilegio tali diceretur: *Eximimus Religiosos & eorum prædia à decimis*: vel, *eximimus Religiosos à solvendis decimis prædiorum suorum*: nullâ adjectâ restrictione vel ampliatione, extenditur etiam ad colonos talium prædiorum, ut & hi liberi sint à decimis. 489. 7
Privilegium tale conceptum his similibúsve verbis: *ut non solvant decimas laborum suorum*: extenditur ad prædia, quæ aliis tanquam nudis ministris & servis tradunt colenda, constitutâ illis mercede, sive in pecunia, sive in frumento: non verò ad illa, quæ colenda tradunt pro certa annua pensione pecuniaria. 489 8
privilegium tale concessum pluribus, v. g. Ordinibus, dum revocatur quo ad unum, non censetur revocatum quo ad alios: quod ipsum limitatur. 489. 9
Privilegium non solvendi decimas qualiter amittatur. 490
Vide V. *Decimæ*.

Probatio.

Probatio vera status beneficii elicitur aut ex tenore fundationis, aut ex legitima præscriptione. 33. 1
Probatio præsumpta status beneficii oritur ex simplice ultimo statu beneficii. 33. 1

Processio.

Processiones facere per parochiam spectat ad parochos, & possunt hi impedire regulares, ne eas ducant extra ambitum suum. 442 5

Professio.

Professio expressa in eadem Religione requiritur, ut validè quis possit promoveri in Prælatum, vel Superiorem Regularem. 323
Professus, si in Religione non adesset, qui eligi possit, adhuc à nullo inferiore Papâ eo inconsulto fieri potest, ut eligatur alia persona digna ex alio Conventu, vel Religione. 323.
A professione tempus quantùm requiratur, ut eligi quis possit in Prælatum Religionis. 324
A professione mox electi electio non est irrita, sed dum is non foret satis instructus in observantiis sui Ordinis, irritanda. 324
Professionem quis emittere nequit nisi post expletum annum probationis. 324

Rector.

REctori de cura respondere non tenetur Vicarius. 132. 3
Rector principalis non potest Vicarium impedire in cura. 132. 3
Rector principalis non potest se, invito Vicario, ingerere in exercitio curæ ipsius. 132. 3
Rector habitualis solus est propriè sponsus Ecclesiæ. 110, 2
Rector Ecclesiæ parochialis, dum ea unitur monasterio, ita tamen, ut per sæcularem regatur, is præsentatus à monasterio, non potest ab illa Ecclesia removeri nisi per Episcopum ex rationabili causa. 66

Regressus.

Regressus ad beneficium quid sit, & quando concedatur. 206. 15.
Regressus conceditur tantùm Cardinalibus aliisque personis qualificatis Papæ gratis. 206. 15
Per Regressum, dum acquiritur parochia, opus non est concursu, si regrediens eam ante possedit; secus est, si eam nunquam possedit. 206. 15.

Regulæ.

Regulæ Cancellariæ exspirant morte Papæ. 174. 2
Regulæ de annali & triennali possessione non habent locum in beneficiis manualibus. 84
Regula de annali non intrat in Vicaria temporali. 111. 2

Regulare, Regulares.

Regulare beneficium esse unde arguatur. 35
Regulari beneficio conditio illa, quòd non nisi regulari conferri possit, non est ita essentialis, quin quandoque conferri possit sæculari. 36
Regularibus non habentibus beneficium, possidentibus decimas, eæ debentur quidem ex Justitia, non tamen de jure communi. 480. 2
Regulares in odiosis non veniunt nomine Clerici. 278
Regulares etiam exempti ædificare nequeunt in loco non exempto sine licentia Episcopi Diœcesani. 43. 1
Hic tamen consensus necessarius non est ad mutationem monasterii de loco in locum, uti nec ad ampliationem monasterii. 43. 1
Regularibus ædificandi novos conventus licentiam dare non potest Ordinarius, nisi vocatis & auditis aliis interesse habentibus. 43. 1
Regulares, ut ædificent novos Conventus, præter licentiam Ordinarii adhuc requiritur auctoritas Papæ. 43. 2
Regulares in Ecclesiis sæcularibus habere possunt beneficia. 44
Regularium in Ecclesiis esse possunt vera beneficia sæcularia. 44
Regulares habere non possunt in titulum beneficia sæcularia simplicia, etiamsi sint Canonici regulares. 46. 1
Neque ad hoc cum illis dispensare potest Episcopus, potest tamen Papa. 46. 2
Regularis, etiam monachus, citra dispensationem obtinere potest Episcopatum in sæculari Ecclesia. 49
Regulares num etiam citra dispensationem obtinere possint prælaturas alias habentes propriè curam animarum. 50
Regularis an esse possit præpositus aut Decanus in Ecclesia sæculari. 50
Regularis an obtinere possit dignitates in sæculari Ecclesia, dum hæ non habent curam animarum, nisi respectu Capituli. 50. & 54
Regulares, etiam monachi & mendicantes, citra ullam dispensationem habere possunt in titulum beneficia parochialia, seu curata sæcularia, quantùm est de jure antiquo. 51. 1.
Opus tamen iis ad hoc est præter consensum Prælati proprii consensus Episcopi, non secus, ac dum sæculares ad id assumuntur. 51. 1
Item requiritur necessitas aut utilitas talis Ecclesiæ. 51. 2
Et ut non obstet speciale statutum alicujus Religionis prohibens promoveri ad beneficium sæculare. 51. 2
Regulares tamen, ne quidem quantùm est de jure antiquo, obtinere possunt beneficia solùm habitu curata. 51. 2
Regulares monachi jure novo beneficia sæcularia curata sine dispensatione habere non possunt. 52
Sed neque in hoc cum iis, etiam non translatis, dispensare potest Episcopus. 52
Neque ea adhuc in necessitate, ubi nempe non adsunt sæculares Clerici idonei, iis dari possunt in titulum, sed tantùm in commendam. 52
Posse tamen eos ad ea præfecturi, non tanquam claustrales, sed ut sæculares Clericos, tenet Lotterius. 52
Regulares quoque Canonici & Clerici ab habendis istiusmodi beneficiis curatis excluduntur. 53. 1
Idémque speciatim de Canonicis Regularibus Ordinis Præmonstratensis probat Pignatellus. 53 1
Regularis, ut obtineat beneficium sæculare, sive dispensativè, sive citra dispensationem, eget licentiâ sui Prælati, non tamen sui Conventûs. 55
Hac tamen Prælati sui licentiâ non eget, ut à Papa obtineat beneficium. 55
Uti nec eâ eget, ut relictò parochiali beneficio habito in titulum, alterum accepter. 55
Regularis per obtentionem beneficii parochialis sæcularis est exemptus ab obedientia sui Prælati. 55
Regulari non sufficit antecedenter dare licentia ad electionem, collationem, præsentationem sub conditione: si eligaris ad tale beneficium sæculare. 56
A quo Prælato dicta licentia concedenda. 57
Si injustè dicta licentia negetur, compellendus est à suo Superiore ad eam concedendam. 58
Regularis mendicans, cujuscunque sit Ordinis, ut obtineat Prælaturam sæcularem, cujus provisio pendet à pluribus suffragatoribus, eget omnium suffragiis. 59
Regularis non mendicans ad obtinendum talem Prælaturam eget solùm majore parte suffragiorum. 59
Regularis mendicans ad obtinendum beneficium, cujus provisio dependet à pluribus suffragatoribus, & non est Prælatura, eget solùm majore parte votorum. 59
Regularis mendicans creatus Episcopus, si deinalrer eidem conferatur Episcopatus, debet quoque in hac secunda electione eligi in concordia, seu habere omniù suffragia. 60
Regulares per seipsos exercere curam jus simpliciter non vetuit. 68
Regulares illegitimi prohibentur obtinere monasteria & beneficia regularia & sæcularia, quæ pater eorum aliquando habuit. 278

Regulares Prælati cum suis dispensare nequeunt, ut filius, etiam legitimus succedat patri immediatè in beneficio vel Prælatura, etsi aliàs haberent privilegium dispensandi in defectu naturalium. 285
Possunt tamen dispensare cum illegitimis, ut admitti possint ad eundem, in quo pater eorum fuit, Ordinem; quin & ad Prælaturas, quas pater non habuit. 285
Regulares ob delictum pertinens ad officium Inquisitionis affecti pœnitentiâ aliquâ non purè salutari post peractam pœnitentiam, & postquam recepti in gratiam, inhabiles sunt ad Prælaturas Ecclesiasticas, & officia suæ Religionis. 308
In regularem Superiorem per se loquendo eligi potest non Clericus. 310
Regularibus non nisi Regulares ejusdem Ordinis præficiendi. 323
Regulares Prælati, etiam exempti, non possunt cum suis, etiam ad minores Ordines, dispensare in bigamia vera & interpretativa. 358
Possunt id tamen in bigamia similitudinaria, dum jurisdictionem in suos quasi episcopalem habent. 358
Regularis exemptus etiam de licentia sui Superioris, nequit se subjicere Episcopo pro petenda dispensatione in bigamia. 358
Regulares Prælati possunt cum suo subdito dispensare tantum, quantum Episcopus cum suo. 358
Regulares aliique sæculares Sacerdotes non parochi, etiam eorum, pro quibus approbari, confessiones audire nequeunt in diœcesi, à cujus Ordinario approbati non sunt. 434. 3.
Regulares post dimissam prælaturam, per cujus collationem censentur approbati, quo ad suos subditos regulares, respectu eorundem non manent amplius approbati. 434. 4
Regulares quidam possunt vi privilegii papalis, non requisitâ parochi licentiâ, distribuere in templis suis omnibus Christi fidelibus communionem liberam, hoc est, non paschalem, aut debitam moribundis in viaticum. 435. 5
Idque eriam toto tempore paschali, excepto fortè ipso die Resurrectionis Domini. 435. 5
Regulares citra necessitatem citraque privilegium Papæ, Episcopi & parochi licentiam ministrantes communionem incidunt ipso facto in excommunicationem Papæ reservatam. 435. 6
Possunt tamen eam ministrare non tantùm ejusdem Ordinis Religiosis, sed & Conversis, Donatis, Oblatis, Novitiis & familiaribus suis sæcularibus, dum intra eorum claustra habitant. 435. 6
Regulares celebrare possunt missas, & pulsare campanas ante celebrationem missæ & pulsationem campanarum in parochiali; neque id eis inhibere potest Episcopus 438. 2
Regulares à parochis impediri nequeunt, quo minus audiant parochianorum confessiones, etiam in domibus infirmorum, ad quos vocantur. 442. 2
Regulares prohiberi nequeunt à parocho annunciare in suis Ecclesiis populo festa & jejunia; quin & ab Episcopo cogi possunt, ut id faciant. 442 4
Regulares impediri queunt à parochis, quo minus ducant ac dirigant processiones extra claustra & ambitum, incedendo per vias publicas parochiæ. 442. 5
Regulares impediri nequeunt à parochis in ædificatione conventuum intra parochiam, quod ipsum limitatur. 443
Regulares neque tenentur refarcire parochis emolumenta, quæ ex domibus incorporatis isti ædificationi percepissent. 443
Regulares antehac attentâ primâ origine, erant subjecti Capitulo Cathedrali, à cujus proinde jurisdictione modò non nisi privilegialiter eximuntur. 447. 3
Ad regularem Prælatum num spectet jus peragendi officium in sua Ecclesia, dum ibidem in exequiis intervenit Capitulum Cathedrale solenniter & capitulariter. 447. 3
Regulares quid juris habeant in deducendis funeribus, & peragendis sepulturis sæcularium, vel etiam suorum. 453
Vide V. *Funus*. V. *Parochus*.
Regulares an & qualiter solvere debeant decimas, & qualiter ab iis solvendis exempti. Vide V. *Decimæ*. V. *Religiosus*.

Religiosus.

Religiosus esse potest sine voto solenni. 46. 2
Religiosus professus manens talis ex dispensatione Papæ potest habere dominium fructuum beneficii. 46. 2
Religiosi Ordinum militarium beneficia sæcularia habere non possunt. 47
Contrarium tamen etiam probabile censet Castropalaus. 47
Religiosus ejusdem Ordinis esse non potest illegitimus, in quo ejus patet aliquando professus. 278
Ad religiosum & regulare regimen in Superiore non requiritur potestas jurisdictionis, sed sufficit potestas dominativa spiritualis & paterna. 310
Religiosos quà tales non tenetur populus alere ex justitia, sed ex gratitudine, charitate, misericordia, religione. 480. 2.
Religiosi curam animarum gerentes, & parochias monasterio incorporatas administrantes, decimas personales ac prædiales exigere possunt perinde ac alii parochi & curati sæculares. 480. 4
Religiosi jure antiquo præcisis privilegiis ac contrariâ consuetudine, tenentur solvere decimas ex debito personali. 483. 9.
Religiosi, etiam exempti, tenentur hoc debito solvere decimas ex possessionibus acquisitis & acquirendis, dum dictæ possessiones, antequam ad illos devenerint, essent obnoxiæ decimis, nisi muniantur desuper speciali privilegio, vel consuetudine. 484. 4
Religiosi omnes hodiedum exempti sunt à solvendis decimis ex novalibus, quæ propriis manibus vel sumptibus colunt; item ex hortis suis, & de nutrimento animalium suorum. 488. 1
Limitatur tamen hoc ipsum. 488. 2
Religiosi ferè omnes hodiedum per specialia privilegia exempti sunt à decimis solvendis ex prædiis suis, quæ propriis manibus suis vel sumptibus colunt. 488. 9

Rescriptum.

Rescriptum beneficiale, ut dignoscatur, num sit obrepticium, attendi debet tempus datæ. 272. 1

Reservatio.

Reservationes papales fiunt ideo, ut Papa ipse provideat efficaciter, & gratia ejus non frustretur. 84
Reservationes generales se non extendunt ab beneficia manualia. 84
Reservationibus non comprehenduntur Vicatiæ temporales. 111. 3
Reservatio mensium cessat, Papâ mortuo. 174. 2
Reservata sunt Papæ beneficia sede Episcopali vacante vacantia. 171. 1. & 2

Residentia,

Vide V. *Abesse.*

Residentia quid sit. 364
Residentia alia voluntaria, alia necessaria; hæc subdividitur in præcisam & causativam. 364
Residentiæ præcisæ causa est vel jus commune, vel singulare. 365.
Residere personaliter tenentur omnes habentes beneficia parochialia & propriè curata. 366. 1
Residere tenentur Episcopi non secùs ac alii curatores animarum. 366. 1
Residere tenentur parochi actu tales, etiamsi reditus tenues, & non nisi tres vel quatuor parochiani remanserint 366. 2
Idque etiamsi obtinuerint Coadjutorem vel Vicarium perpetuum ratione senii, infirmitatis, &c. quod ipsum limitatur. 366. 2
Residere pariter tenentur Vicarii tam temporales quàm perpetui parochialis. 366. 2
Residere tenentur obtinentes Ecclesiam baptismalem, cui sola cura baptizandi omnes in oppido infantes incumbit. 366. 2.
Item habentes beneficium curatum solùm in commendam. 366. 2.
Item habentes simplicia beneficia, modò habeant exercitium aliquod curæ; quod ipsum limitatur. 366. 2
Residere tenetur, cui in limine adepræ possessionis Ecclesiæ parochialis lis movetur in petitorio. 366. 2
Residere tenentur Episcopi, parochi, aliique propriè ac strictè curati, jure non tantùm humano, sed & divino ac naturali. 367
In residendi lege, an & qualiter dispensare possit Papa 369.
Residere quoque jure humano ac divino personaliter tenentur, quibus cura animarum latius talis seu exterior incumbit. 370
Residere non censetur parochus degens in urbe tribus vel quatuor milliaribus Italicis distante à parochia; neque degens in urbe nocte claudi solita. 371. 1

Residere non ita tenentur curati, quin quandoque ad breve tempus abesse possint. 371. 2
Non residendi ad tempus ex causa justa curatis licentiam quatenus dare possint Episcopi. 374. 1
Ad non residendum ad breve tempus ex gravi causa cum curato potest Episcopus, Legatus Apostolicus, Capitulum sede vacante dispensare. 374. & seq.
Residentiam de jure requirunt omnia beneficia; ex consuetudine tamen generaliter recepta eam non requirunt beneficia simplicia, præscindendo ab ordinatione fundatoris. 100. 1. & 395. 1
Residentiam non requirit Capellania, etsi præter onus missarum impositum haberet servitium cantandi in Choro. 100. 1. & 396. 3.
